

~~3087~~

R. XII. 6. no. 128.



3978

## DUODECIM

PROPHETAS QUOS

NOMINANT MI-

nores: puta

I N

Oseam, Joëlem, Amosum, Obad-  
jam, Jonam, Michæam, Nahu-  
mum, Abacucum, Sophoniam,  
Haggeum, Zachariã, Malachiam:

## COMMENTARII.

In quibus ordine & distinctè  
proponuntur

- I. *Analysis Logica singulorum capitum.*
- II. *Scholia in singula capita.*
- III. *Observationes locorum doctrinæ è singulis capi-  
tibus depromptæ.*

Authore JOHANNES PISCATORE, Professore  
sacrarum literarum in illustri Schola  
Nassovica-Herbornensi.



HERBORNÆ NASSOVIORUM: 1615.

Faint, illegible text, possibly bleed-through from the reverse side of the page.

DE ECCLESIIS EXTE-  
RIS QUÆ DEGUNT FRANCO-  
FURTI AD MOENUM, HANOVIAE  
& Wetzlariae: necnon fidis ea-  
rum pastoribus;

TIMOTHEO POTERATIO, pastori ecclesiae Gallicae  
Francofurtanae:

ISAACO BOOTSIO, pastori ecclesiae Belgicae Hano-  
viensis:

FRIDERICO BILLETIO, & CLEMENTI de Bois,  
pastoribus ecclesiae Gallicae Hanoviensis:

ET

JACOBO MOTTIO, pastori ecclesiae Gallicae Wetzla-  
riensis:

Fratribus in Christo dilectis, ac dominis  
honorandis

*Gratiam & pacem à Deo patre domini nostri  
Jesu Christi precatur*

JOHANNES PISCATOR, professor sacrarum literarum  
in illustri Schola Naslovica Herbornensi.

*Dilecti in Christo fratres, & domini honorandi.*

**D**UÆ sunt causæ quæ me movent ut hosce  
meos in minores prophetas commentarios  
nomini vestro inscribam: una, ut honore vos  
afficiam propter constantiam in profitenda  
pura religione, eademq; publicè exercenda;  
necnon in ministris verbi divini orthodoxis ac fidis pasto-  
ribus liberaliter alendis: altera, ut vos ad constantiam hanc  
continuandam exhorter. Sanè justam hanc esse honoris  
exhibendi causam, cum omnes pii per se intelligunt, tum

):( 2

P R Æ F A T I O.

facto apostoli Johannis perspicuum evadit: quippe qui se-  
*Joan. 1. v. 1.* cundam suam epistolam ad dominam quandam Christia-  
*cap. 2.* nam & liberos ejus hac causa motus scripsit, quòd eos dili-  
 geret propter veritatem: nimirum propter professionem  
 veritatis cælestis seu puræ religionis Christianæ. Ad cujus  
 quidem professionis, atq; etiam exercitationis, constanti-  
 am à vobis præstandam, magni momenti rationes ex ver-  
 bo Dei afferri possunt, quæ vos jure commoveât. Primum  
 enim illa professio promissionem divinam habet vitæ præ-  
 sentis & futuræ. Ac de futura quidē vita memorabilia sunt  
*Matth. 5.* verba Christi, dicentis ad discipulos: Beati eritis quū con-  
*v. 11. cap. 12.* viciati fuerint vobis, & persecuti fuerint, & dixerint quid-  
 vis mali adversus vos, mentientes, propter me. Gaudete &  
 exultate: quoniā merces vestra multa est in cælis. Ita enim  
 persecuti fuerunt prophetas qui fuerunt ante vos. De re-  
*Matth. 19.* muneratione autem in utraq; vita idem Christus sic loqui-  
*v. 29.* tur, Quisquis reliquerit domos aut fratres, aut sorores, aut  
 patrem, aut matrem, aut uxorem, aut liberos, aut agros,  
 causâ nominis mei: centuplicia accipiet, & vitam æternam  
 hæreditatis jure possidebit. Atq; hæc de professione. Exer-  
 citium verò puræ religionis hanc habet annexam utilita-  
 tem, quòd alit fidem in Christum & studium pietatis: unde  
 nascitur tranquilla conscientia, & gustus paterni favoris  
 Dei; qui initium est & bona pars vitæ æternæ. Hinc David  
 tantopere prædicat meditationem legis Dei, id est, libro-  
 rum Mosis, psalmo centesimo decimo nono. Hinc idem in  
 exilio degens, tantopere desideravit interesse exercitio pu-  
 blico cultus à Deo instituti: ut videre est psal. 42. Huc acce-  
 dit, quòd à Spiritu sancto in scriptura laudantur illi qui  
 exercitio publico veræ religionis operam dederunt: ut in  
*1. Sam. 1. v.* Vetere Testamento Elkana, qui quotannis ascendebat in  
*3. cap. 2.* oppidum Silo, ut in sacro tabernaculo sacrificaret Domi-  
*v. 19.* no: item sacerdotes & Levitæ, qui introductâ à rege Jero-  
 beamo corruptelâ cultus divini, Hierosolymam se contu-  
 lerunt ex omnibus tribubus, ut ibi vacarent cultui à Deo  
*2. Chron. 11.* instituto. In Novo autem Testamento laudatur Anna pro-  
*v. 13. cap. 16.* phetissa, quæ non abscedebat à templo, sed jejuniis ac de-  
*Luc. 2. v. 37* precatio-

P R Æ F A T I O.

precationibus serviebat Deo noctem ac diem. Item parentes Christi: qui quotannis ibant Hierosolymam in festo paschæ. Item primi Christiani in urbe Hierosolyma: qui perdurabant in doctrina Apostolorum, & communicatione, & fractione panis, & precibus. Item eunuchus ille Æthiops, dynastes Candaces reginæ Æthiopum: qui quum Hierosolymis adorasset, & in curru suo sedens, domum reverteretur: legebat prophetam Esaïam: cujus quidem exercitii pietatis insignem fructum mox retulit, quòd ad eum à Domino missus fuit Philippus Evangelista, qui locum Esaïæ, quo prophetia de passione Christi continetur, ei interpretaretur.

*Ibid. v. 41.*

*Act. 2. 42.*

*Act. 8. v.*

*27. & seqq.*

Atque hæc ipsa in puræ religionis exercitio constantia eam vim habet, ut in periculis quæ nobis à veræ religionis desertoribus creantur, sanctam confidentiam & animi magnitudinem pariat: sicut clarè perspicitur in Abija, rege Judæ, quum ei bellum inferret Jerobeamus, rex Israël. Is enim quum è summo monte Jerobeamum & exercitum ejus alloquens, defectionem à vero Dei cultu illis exhibisset, è regione opponit suam & tribus Judæ in vero Dei cultu constantiam: Nos autem (inquiens) habemus Jehovam deum nostrum, quem non dereliquimus: sacerdotes autem ministrantes Jehovæ sunt filii Aharonis, & Levitæ sunt in opere suo. Et adolent Jehovæ holocausta quolibet mane & quolibet vespere: suffitum quoque aromatum & dispositionem panum super mensa munda, & lychnuchum aureum cum lucernis ejus curant accendendo quolibet vespere. Observamus enim observationem Jehovæ dei nostri: vos autem dereliquistis eum. Tum infert, Quare ecce nobiscum est in principiis Deus, & sacerdotes ejus cum tubis clangoris ad clangendum contra vos. Filii Israël, ne pugnetis contra Jehovam deum patrum vestrorum: non enim secundabimini. Et sanè sanctæ hujus fiduciæ vi victoriam Abijas contra Jerobeamum adeptus est. Atq; hæc de constantia in veræ religionis exercitio. Porrò ad constantiam in orthodoxis verbi divini ministris fidisq; pastoribus liberaliter alendis ac sustentandis commovere vos

*2. Chron.*

*13. v. 4. &*

*seqq.*

P R Æ F A T I O.

inprimis debet, quòd hanc sustentationem Deus populo suo præcepit. Ac in Vetere quidem Testamento Levitis, qui erant sacrorum ministri, pro hoc illorum ministerio dari præcepit omnes decimas. Deinde quòd hujusce liberalitatis remunerationem amplam promisit. Sic enim ait Salomon, Honora Jehovam de substantia tua, & de præcipuo totius proventus tui. Ita implebuntur horrea tua futuritate, & musto lacus torcularii tui perrumpet. Similis promissio exstat apud Malachiam capite tertio, ubi Dominus populum Israëliticum his verbis affatur, Afferte omnes decimas in thesaurum, ut sit cibus in domo mea: & probate me jam in hoc, ait Jehova exercituum: si non aperuero vobis cataractas cælorum, & proferam vobis benedictionem, adeò ut non sufficiatis. In Novo autem Testamento tum Christus ipse divinâ suâ providentiâ procuravit ut Apostolis ad Evangelium in Judæa prædicandum ab ipso emissis nihil deesset: tum Apostolus Paulus de hoc pastorum Ecclesiæ jurè multis verbis in priore ad Corinthios epistola differit: ubi inter alia dicit, Si nos vobis spiritualia seminavimus, magnùmne fuerit, si nos vestra carnalia messuerimus? Quo ipso simili etiam utitur, quum Corinthios fideles ad liberalem collectam in egenos fratres Hierosolymitanos contribuendam hortatur: Qui serit parcè, (inquit) parcè etiam metet: & qui serit largè, largè etiam metet. Huc accedit, quòd in sacra scriptura laudantur qui ad publici cultus Dei conservationem liberaliter contribuerunt. Laudatur Abrahamus, quòd Melchisedeco, sacerdoti dei excelsi, decimam dedit de omnibus rebus quas à quatuor regibus bello justo fuerat deprædatus. Laudatur Jacobus, quòd Deo promisit, si ipsum salvum atq; incolumem ad suos reduceret, se quicquid ipsi dedisset, ejus decimam illi daturum. Laudantur Israëlità illi qui degebant in deserto, quòd ad opus sacri tabernaculi, & ad totum ministerium ejus, & ad vestes sanctas, animo spontaneo obtulerunt aurum, argentum, æs, lignum cedrinum, lapides pretiosos, odoramenta, oleum, netum hyacinthinum, purpureum, coccineum dibaphum & xylum. Laudatur David, quòd

ad futu-

*Num. 18.*

*v. 21.*

*Dent. 14.*

*v. 22.*

*Prov. 3. v.*

*9. & 10.*

*Malach. 3.*

*v. 10.*

*Luc. 22.*

*v. 35.*

*1. Cor. 9. v.*

*7. & seqq.*

*2. Cor. 9. 6.*

*Genes. 14.*

*v. 20.*

*Genes. 28.*

*v. 22.*

*Exod. 35. v.*

*21. & seqq.*



PRÆFATIO.

ad futurum templi ornatum consecravit argentum & aurum quod prædatus fuerat à gentibus quas subegerat: tum vasa argentea, aurea & ænea, quæ à rege Tobi dono acceperat. Item quòd ad templum ædificandum procuravit lapides, ferrum, æs, & ligna cedrina. Laudantur eodem nomine & principes Davidis: quòd ad templum ædificandum sponte obtulerint magnam vim auri, argenti, æris & ferri: atq; etiam lapides pretiosos quantumcunque habebant. Salomon verò laudatur, quòd templo jam exædificato, in illud intulerit res à Davide patre suo consecratas: puta argentum & aurum & vasa. Quo nomine laudatur etiam Afa, rex Judæ. Narrat quoque tanquam rem laudabilem Nehemias, quòd Judæos è captivitate Babylonicâ reversos obstrinxerit ad trientem sicli, quotannis dandum ad cultum templi: item ad afferendum primitias in templum, nec non primogenita filiorum & jumentorum, item boum & ovium atq; caprarum. Verum enim verò liberalitatis hujus nomine in sacris literis laudantur non solùm illi qui religionem à Deo præscriptam profitebantur atque exercebant, sed etiam quidam exteri: ut Cyrus, primus rex Persarum, & subditi ejus. Cyrus enim Babyloniis devictis, & novâ monarchiâ institutâ, subditis suis edixit, ut Judæos in patriam remigrantes sublevarent argento & auro & facultatibus atque jumentis: cum voluntaria oblatione in domum Dei habitantis Hierosolymæ. Cui edicto illi promptè paruerunt. Ipse autem protulit vasa aurea atque argentea, quæ Nebucadnetzar Hierosolymis asportaverat, eaque Hierosolymam reportari curavit. Similis liberalitas laudatur in Dario: qui edictum Cyri sequutus, ministris suis vetuit, ne Judæos deinceps in structura templi impedirent: ac insuper pecuniam, materiam, sacrificia petentib. sine mora subministrari imperavit. Simile huic fuit edictum Artaxerxis: qui quum Efram sacerdotem Hierosolymam ad cultum Dei rectè constituendum dimitteret: aurum & argentum, unâ cum consiliariis suis, sponte obtulit deo Israël: item dedit vasa ad ministerium domus Dei: reliqua verò necessaria domui Dei tradi præcepit ex ærario regis:

2. Sam. 8.

v. 10. & 11.

1. Chron.

22. v. 5. 6. 7.

alias 2. 3. 4.

1. Chron.

29. v. 6. 7. 8.

1. Reg. 7. 51.

1. Reg. 15. 15.

Nehem. 10.

v. 33. 36. 37.

38.

Esr. 1. v. 4.

Ibid. v. 6.

Ibid. v. 7.

& seqq.

Esr. 6. v. 1.

& seqq.

Esr. 7. v. 13.

& seqq.

P R Æ F A T I O.

idq; usq; ad argenti talenta centum, & ad tritici coros centum, & ad vini bathos centum, ac usq; ad bathos olei centum: salis verò quantum non potest scribi.


Quæ omnia si apud animos vestros, dilecti in Christo fratres, seriò perpendetis: non dubito, quin vobis ad constantiam in pura religione profitenda atque exercenda, necnon in administris illius, orthodoxis doctoribus fidisque pastoribus, liberaliter alendis atq; sustentandis calcar additura sint. Quod ipsum ut Deus pater D.N. Jesu Christi per Spiritum sanctum in vobis efficiat, toto pectore cum oro.

2. Pet. 5. v.  
2. 3. & 4.

Vobis autem, honorandi domini Pastores, sanctam illam apostoli Petri ad presbyteros sui temporis paraclesin assiduè meditandam propono: Pascite Dei gregem qui pene vos est, curam illius agentes non coactè, sed libenter: non turpiter affectantes lucrum, sed prompto animo: neq; ut dominantes cleris, sed ut qui sitis exemplaria gregis. Et quum apparuerit ille pastorum princeps, reportabitis immarcescibilem illam gloriæ coronam.


Quod restat: vos omnes omnipotenti Dei protectioni ac paternæ gubernationi commendo. Scripsi 5 Augusti, anno 1615.





# ARGUMENTUM LIBRI HOSEÆ.

**H**oc libro continentur conciones prophetae Hoseæ, quas habuit ad decem tribus, siue in regno Israël. Tria autem in illis agit. Partim enim conqueritur de multiplicibus eorum peccatis, contra primam & secundam tabulam; ac in primis de idololatria quam exercebant in colendis duobus vitulis aureis: partim minatur eis pœnas Dei, ac præcipuè excidium regni per Salmanassarem, regem Assyriæ: partim denique consolatur pios promissione gratiæ Dei, ac in primis redemptionis æternæ per Christum.



## CAPUT I.

**V**erbum Jehovæ quod fuit ad Hoscheham filium Beerî, temporibus Huzzijæ, Jothami, Achazi, Jechizkijæ, regum Jehudæ: & temporibus Jarobhami filii Joaschi regis Jisraëlis.

2 Quum primo alloquutus est Jehova Hoscheham; edixit Jehova Hoschehæ, Abi, assume tibi uxorem scortum & natos scorti, quum omnino scortetur hæc terra aversa Jehovam.

3 Abiens itaque assumpsit Gomeram Diblajimanam, quæ concepit & peperit ei filium.

4 Tunc edixit Jehova ei, Voca nomen ejus Jizrehelem; nam adhuc paulisper, & animadvertam cædes Jizrehelis in domum Jehu, faciamq; ut cesset regnum in domo Jisraëlis.

5 Eritque die illo, ut frangam arcum Jisraëlis, propter vallem Jizrehelis.

6 Deinde concipiens iterum peperit filiam, edixitque Jehova ipsi Hoschehæ, Voca nomen ejus Lo-ruchamam: nam non pergam amplius misereri domus Jisraëlis, ut ullo pacto condonem istis.

7 Domus autem Jehudæ mi-

A.

5

serabor, servaboque eos per Jehovam deum ipsorum; ac non servabo eos arcu, gladiove, aut bello, equis aut equitibus.

8 Quamque à lacte depulisset Lo-ruchamam, rursus concepit, peperitque filium:

9 Et dixit Jehova, Voca nomen ejus Lo-hammin: quia vos estis non populus meus, nec ego sum futurus vester.

10 Quamquam futurus est

numerus Jisraëliitarum par arenæ maris, quæ neque mensurari neque numerari potest: eritque pro eo quod dicitur istis, Non populus meus estis, ut dicatur illis, Filii Dei fortis viventes estis:

11 Quando congregantes se Jehudæi & Jisraëlitæ unâ, & præponentes sibi caput unum ascendent è terra hac: quum magnus fuerit dies Jiz-rehelis.

### A N A L Y S I S C A P. I.

**D**Uæ sunt principales hujus capituli partes: titulus seu inscriptio totius libri, v. 1: & concio Hoseæ prima, quam ad decem tribus Israëlis habuit, v. 2. & seqq. In titulo indicantur tria: (1) concionum hoc libro contentarum author, (2) minister, (3) tempus.

Concionis partes principales sunt duæ: (1) narratio de Hoseæ conjugio cum quadam meretrice, & liberis ex illa procreatis, v. 2. & deinceps. (2) promissio gemina: una gratiosæ vocationis quorundam Israëliitarum per prædicationem Evangelii, v. 10: altera reductionis tribus Judæ è captivitate Babylonica, v. 11.

### D E P R I M A P A R T E.

Conjugium Hoseæ cum meretrice declaratur duob. modis: (1) ex causa impulsiva, vid. mandato Dei, v. 2. (2) ex ductæ uxoris nomine, v. 3. Mandatum autem Dei declaratur è causa finali, ut scilicet hoc modo Israëlitis ob oculos ponatur ipsorum idololatria: de qua hoc ipso conqueritur Dominus. Liberi ex uxore illa ab Hosea successivè procreati commemorantur tres: filius, filia, & rursus filius: de qui-

de quibus singulis narratio constat duob mem-  
bris: quorum priore indicatur nomen, postero-  
re ratio nominis. Igitur primi filii tum nomen,  
tum ratio nominis indicatur v̄. 4. Ratio autem  
nominis continet comminationem deletionis  
domus Jehu quæ tunc regnum obtinebat: simul-  
que indicatur deletionis illius causa, v̄. 4. & 5. Fi-  
liæ tum nomen, tum ratio nominis indicatur  
v̄. 6. Ratio autem nominis continet commina-  
tionem cladis inferendæ per regem Assyriæ Ti-  
glathpileserem. Quæ comminatio amplificatur  
antithesi promissionis factæ tribui Judæ, v̄. 7. Al-  
terius filii tum nomen, tum nominis ratio indi-  
catur v̄. 9. Ratio autem nominis continet com-  
minationem everfionis regni decem tribuum  
per regem Assyriæ Salmanassarem.

DE SECUNDA PARTE.

Vocatio gratiosa Israëlitarum tractatur duo-  
bus modis. Primùm amplificatur ab adjuncta  
multitudine vocandorum: quæ ipsa illustratur &  
amplificatur à simili, v̄. 10. Deinde declaratur il-  
la vocatio ex effectu, videlicet publica notitia vo-  
catorum, ibidem. Reductio tribus Judæ è capti-  
vitate Babylonica declaratur tribus modis: (1) ex  
adjunctis comitibus, v̄. 11. (2) ex adjuncto du-  
ctore, ibid. (3) ex causa sine qua non illius comi-  
tatus, ibidem.

SCHOLIA IN CAP. I.

**V**erbum Jehovæ quod fuit] *Verto, Quod factum est. Id  
est, Sermones Jehovæ qui habiti sunt. Est enim titulus gene-  
ralis totius libri: ut planum evadit ex indicatione temporis. Tem-  
poribus] Hebr. In diebus. Sic mox iterum. Huzzijæ &c.] Hinc  
colligitur, Hoseam multos annos prophetasse.*

4  
 2 Quum primò alloquutus est, edixit] Hebr. In principio alloquutus est, & dixit. Copulativum enuntiatum valet relativum temporis. Assume tibi &c.] Verto, Accipe tibi scortum, & natos scorti gigne. Ellipsis verbi relati. Confirmatur autem hæc interpretatio per sequentem narrationem. Accipe tibi] Scilicet uxorem. Synecdoche generis. Scortum] Hebr. Mulierem scortationum: id est, scortationibus deditam. Genitivus effecti. Natos scorti] Id est, qui ita appellantur à populo, ex eo quòd mater eorum fuerit scortum. Ita enim nomina pristina manere solent, etiam quum res illis significata desit. Sic nominatur Simon leprosus, Matth. 26. vers. 6: qui tum non amplius erat, leprosus. Hebr. Natos mulieris scortationum. Quorum genitivorum prior est efficientis, posterior effecti. Quum omninò scortetur &c.] Sensus est: Ideò debes scortum seu meretricem uxorem ducere, & liberos ex ea gignere: ut populo ob oculos ponas scortationem ipsius spiritua-lem, id est, idololatriam. Hebr. Nam scortando scortabitur: Id est, assidue scortari solet. Futurum notat actum continuum. Hæc terra] Nempe terra Israël. Id est, populus hujus terræ. Metonymia subjecti. Averfata Jehovam] Hebr. A post Jehovam. Id est, à Jehova quem sequi solebat & adhuc debebat, recedendo: & sequendo deos alienos.

3 Abiens itaque assumfit] Hebr. Et abiit & accepit. Scilicet uxorem. Ex his verbis & sequentibus manifestum est, rem gestam narrari. Violenta autem est expositio eorum qui sic exponunt, Propheta abiit in cætum Israëlitarum, & typum hunc prophetavit. Nec firmum est argumentum quod illi contra rei gestionem adducunt: quòd scilicet futurum fuisset contra bonos mores, si propheta scortum uxorem duxisset. Nam non continuo peccatum est, si quid est contra bonos mores. Utique contra bonos mores erat, quòd propheta Esaias coram populo ambulavit nudus & discalceatus, Esa. 40: & tamen peccatum non erat: quia erat ei imperatum à Deo. Item contra bonos mores erat, quòd Ezechiel jubebatur panes suos coquere ad orbis stercoreis humani, & postea ad egesta bovis, Ezech. 4. v. 12. & 15. Et tamen peccatum non erat, quia erat ei imperatum à Deo. Pari ratione peccatum non est, quòd Hoseas duxit uxorem scortum. Nec verò ulla lex Dei proferri potest, qua vetuerit ducere uxorem scortum: præterquam sacerdotibus, Levit. 21. vers. 7. Et si  
 maximè

maximè proferrì posset: tamen hoc Hosea factum damnari peccati non posset: quia id fecit ex mandato Dei: qui jus habet imperandi hominibus etiam ea quæ pugnant cum lege communi. Sic non peccavit, sed laudabiliter fecit, Abraham: quòd sibi proposuit occidere filium: quia à Deo jussus erat. Similiter non peccarunt, sed rectè fecerunt Isrælitæ, quòd commutato acceperunt ab Ægyptiis ornamenta pretiosa animo non reddendi, neq; etiã reddiderunt: quæ utiq; species furti est. Ratio est: quia id fecerunt ex mandato Dei. Hic verò narrari rem gestam, præterquam quòd ipsa loquendi forma clarè evincit: scopus quoq; hujus facti postulat: qui fuit, ut factò tam insolente afficerentur Isrælitæ, & de scditate idololatriæ suæ efficacius admonerentur. Simile exemplum occurrit in propheta Esaia: qui à Deo jussus est filio suo imponere nomen Maher-schalál-chasch-bas: ad confirmandum denuntiationem judiciorum Dei, quæ per regem Assyriæ exerciturus erat in Syrios & Isrælitas, Esa. 8. Diblajimanam] Verto, Filiam Diblájim: ut habetur in Hebræo.

4 Tunc] Heb. Et. Nam adhuc paulisper &c.] Id est, Ideo debes filium illum tuum nominare Jizrehel: ut populus, quoties illum videbit, aut de eo cogitabit, admoneatur de judicio meo quod exerciturus sum in familiam regiam Jehu, propter cædes ab illo perpetratas in valle Jizrehel. Vide 2. Reg. 9. & 10. Nam etsi Jehu cædes illas perpetraverat ex mandato Dei: tamen non fecit rectò proposito, ut scilicet aboleret idololatriam ab Achabo introductam: quippe qui illam non abolevit, sed fovit. Animadvertam cædes in domum Jehu] Id est, Animadvertam in domum Jehu: seu, puniam domum Jehu: propter cædes. Cædes] Heb. Sanguines. Metonymia subjecti. Cædes Jizrehelis] Id est, perpetratas in valle Jizrehelis. Domum] Id est, familiam seu posteros: è quorum numero erat Jarobham, vulgo Jeroboam. Faciam ut cesset] Complementum vide 2. Reg. 15. vers. 8. & deinceps. Regnum] Nempe regnum domus Jehu. Synecdoche generis. Nam de omni moda cessatione regni Isrælis sequitur demum versu nono, in tertia hujus prophetiæ parte.

5 Arcum] Potentiam. Synecdoche membri. Jisrælis] Isrælitarum. Propter vallem Jizrehelis] Id est, propter cædes per-

petratas à Zehu in valle Fizehelis. Metonymia subiecti. Potest etiam verti, In valle Fizehelis.

6 Deinde] Hebr. Et. Concipiens peperit] Hebr. Concepit & peperit, quod in vertendo retinendum puto. Iterum] Hebr. Adhuc, vel, amplius. Loruchamam] Id est, Non adeptam (quæ non est adepta) misericordiam. Non pergam amplius miseri] Sed sinam eos diripi per Tiglathpileserem, regem Assyriæ, partemq; eorum captivam abduci. Synecdoche generis. Complementum vide 1. Chron. 5. v. 26. Hebr. Non addam, non amplius miserebor. Ut ullo pacto condonem istis] Verto: Nam non condonabo istis ullo pacto. Ita ut adverbium negandi repetatur ex membro precedente. Potest etiam verti, Quamvis omnino condonaverim eis. Ita ut vocula *ʔki* significet Quamvis: in qua significatione passim occurrit. Usurpari autem illam pro Ita ut, nescio an ullo claro exemplo possit demonstrari.

7 Per Jchovam] Per Christum. Gladiove &c.] Hebr. Et gladio, & bello, & equitibus.

8 Quumq; à lacte depulisset, rursus concepit] Hebr. Et à lacte depulit, & concepit. Copulativum enuntiatum valet relativum temporis.

9 Lohammin] Id est, Non populus meus. Estis non populus meus] Id est, Non colitis me tanquam populus meus. Nec ego sum futurus vester] Id est, non benefaciam vobis tanquam deus vester: sed sinam totum corpus vestrum, seu totam multitudinem, captivum abduci per regem Assyriæ Salmanassarem. Synecdoche generis. Complementum vide 2. Reg. 17. Vester] Scil. Deus. Heb. Vobis. Scil. in Deum.

10 Quanquam] Malim, Veruntamen. Hebr. Et. Futurus est] Scil. tempore prædicationis Evangelii: ut percipitur ex allegatione hujus loci Rom. 9. v. 24. Jisraëliitarum] Scil. spiritualium: per Evangelii prædicationem efficaciter vocandorum tum ex Israëlitis, qui propter rejectionem divinam jam gentibus reliquis pares erant redditi: tum ex reliquis gentibus. Sic exponit hunc locum Paulus loco modo allegato. Hebr. Filiorum Israëlis. Neque mensurari neque numerari potest] Hebr. Non mensurabitur, neq; numerabitur. Eritque] Et fiet. Pro eo quòd] Verto, In loco ubi: sicut est in Hebræo. Sensus est, In regionibus gentium, Alterius  
exposi-



expositionis exemplum nullum dari posse puto. Dicitur] *Verto*,  
 Dictum fuerit. *Heb. Dicetur. Dei fortis] Verto simpliciter, Dei.*  
 Hoc enim nomen <sup>quum</sup> de Deo sermo est, significat: licet alias  
 in genere fortem seu potentem significet.

II Quando &c.] *Verto*, Et congregabunt se filii Israël &  
 filii Judæ unâ, & præponent sibi caput unum, ascendentq; è terra:  
 nam magnus erit dies Jizrehelis. Sensus est, Elapsis septuaginta  
 annis captivitatis Babylonica, Judæi à Cyro dimissi, præponent sibi  
 Serubabelem, & ascendent in Judæam è Chaldaea: multiq; Isræli-  
 tæ, in exilio degentes, sese illis adjungent. Nam magnus erit  
 &c.] *Id est*, Nam clades illæ quæ Isrælitis eventuræ sunt primùm  
 in deletione domus Jehu, propter cædes perpetratas in valle Jiz-  
 rebel, tum reliquæ post secutæ, tam graves erunt, ut Isrælitæ in  
 exilium dispergendi sint: ac proinde pii ex illis libenter se adjunctu-  
 ri sint Judæis in patriam reversis. Dies Jizrehelis] Clades in-  
 ferenda domui Jehu propter cædes in Jizrebele perpetratas.

OBSERVAT. EX CAP. I.

EX v. 1. In Hosea, qui per annos bene multos <sup>1.</sup> *Ministri*  
 Isrælitas propter ipsorum idololatriam alia- *verbi Dei.*  
 que peccata graviter reprehendit, ac pœnas divi-  
 nas est comminatus: interim verò pios promif-  
 sionibus erexit atque consolatus est: sicut ex con-  
 cionibus hoc libro contentis manifestum est:  
 proponitur exemplum constantiæ, quæ in mini-  
 stro verbi Dei requiritur.

Ex v. 2. & 3. Exemplo Oseæ monemur, ob- <sup>2.</sup> *obedien-*  
 temperandum esse Dei mandatis simpliciter: li- *tia.*  
 cet illa pugnent cum ratione nostra.

Ex v. 2. & seqq. usque ad 10. Deus olim popu- <sup>3.</sup> *Docendi*  
 lum suum non solùm verbis, sed etiam certis do- *modus di-*  
 centium factis, in oculos incurrentibus, & qui- *vinus.*  
 dem nonnullis rationi humanæ absurdis, erudi-  
 re est solitus: ut animos illius eò magis afficeret, &  
 hac ratione ad officium revocaret.

4. Culi<sup>9</sup> Dei.

Ex v. 4. & 5. Non est satis, obedire mandatis Dei externè, & certis quibusdam tantùm: sed imprimis requiritur ut animus erga Deum rectus sit, qui gloriam illius per observationem omnium ejus mandatorum promovere studeat. Hoc discimus ex eo, quòd Deus hìc minatur vindictam domui Jehu propter cædes ab illo perpetratas in delenda domo Achabi: quas tamen perpetraverat ex Dei mandato sed non animo sincero & gloriæ Dei studioso: quippe quum regnum adeptus, non aboleverit idololatriam à Jerobeamo institutam.

5. Idololatria.


Ex v. 6. 7. 8. & 9. Idololatriam grave peccatum esse, liquet ex gravitate pœnarum quibus Deus Israëlitas propter illam affecit.

6. Christus.

Ex versu 7. notetur testimonium de deitate Christi.

7. Dei natura.

Ex v. 10. & 11. In vocatione gratiosa Israëliitarum itemque gentium, & reductione Judæorum ex captivitate Babylonica, proponitur exemplum bonitatis, misericordiæ & clementiæ Dei.



CAPUT II.

Dicite fratribus vestris, o pule mi; & sororibus vestris, o misericordiam consequuta;

2. Contendite cum matre vestra, contendite, ipsam non esse uxorem meam, & me non esse virum ipsius: ut amoveat scortationes suas à conspectu suo, & adulteria sua è medio uberum suorum;

3. Ne denudem eam planè, & statuem eam ut die quo genita

fuit; disponensque eam velut in deserto, & redigens eam velut in terra siticulosa, exstinguam eam sicuti;

4. Et filiorum ejus non misereat, eo quòd filii scorti sint.

5. Nam scortatur mater ipsorum, scelus pudendum committit genitrix ipsorum. nam dicit, prosequar amatores meos dantes cibum meum, & aquas meas, lanam meam, ac linum meum, oleum

oleum meum, & potiones meas.

6 Idcirco ecce ego obsepiam viam tuam spinis; & obducam maceriam, ut semitas suas non inveniat;

7 Et sectata amatores suos non assequatur eos, & quærens eos non inveniat; tandem dicat, Age, revertar ad virum meum priorem illum, nam melius mihi tum erat quàm nunc.

8 Etenim ipsa non agnoscit me dare sibi frumentum, mustumque, & oleum; etiam argentum copiosè suppeditare ipsi & aurum, quo conficiunt Bahalem.

9 Idcirco reversus recipiam frumentum meum tempore suo, & mustum meum tempestate sua: eripiamque lanam meam & limum meum, rectorum nuditatem ipsius:

10 Et nunc retegam fœditatem ejus in oculis amatorum ejus, nemine erepturo eam è manu mea.

11 Et abolebo omne gaudium ejus, festivitatem ejus, novilunium ejus, & sabbathum ejus; denique omnem solennitatem ejus;

12 Et desolabo vites ejus & ficus ejus, de quibus dicit, Merces hæ sunt mihi quas dederunt mihi amatores mei; redigamque eas in silvam, ut comedant eas bestia agri.

13 Ita animadvertam in illam dies Bahalimorum, quibus suffitum facit eis, & ornans se in aure sua & monili suo prosequitur amatores suos: mei verò obliviscitur, dictum Jehovæ.

14 Idcirco ecce ego pellecturus sum eam, quum deduxero eam in desertum: & eloquuturus sum quæ sint ei cordi:

15 Et daturus ei vineas ipsius inde ab eo loco, & vallem Hacorris pro foribus spei: ut canat illic sicut diebus pueritiæ suæ, & quo die ascendit è terra Ægypti.

16 Eritque die illo, dictum Jehovæ, ut voces me, Vir mi: ac non voces me ampliùs, Mi Bahal:

17 Amovebo enim nomina Bahalimorum ab ore ejus, ut non commemorentur ampliùs nomine suo:

18 Et pangam pro ipsis fedus die illo cum bestiis agri, & cum avibus cæli, reptilibusque terræ: & arcum, gladiumque, ac bellum confringens è terra, faciam ut jaceant securè:

19 Et desponsabo te mihi in seculum; desponsabo te, inquam; mihi justitiã, judicioque; & benignitate, ac misericordiã:

20 Et desponsabo te mihi fide, ut agnoscas Jehovam.

21 Erit etiam die illo, ut exaudiam, dictum Jehovæ: exaudiam cælos, & ipsi exaudiant terram,

22 Et terra exaudiat frumentum, & mustum & oleum: & ista exaudiant Jizrehelem.

23 Nam conferam eam mihi in terra, & miserebor Lo-ruchamæ; & dicam ipsi Lo-hammi, Populus meus es, & ipse dicet, Deus mi.

## ANALYSIS CAP. II.

**H**Oc capite continetur concio Hoseæ secunda: cujus partes principales sunt duæ: quarum prior continet comminationes, vers. 1. & deinceps: posterior promissiones, versu 14. & seqq.

## DE PRIMA PARTE.

In parte prima comminatur Dominus Israëlitis pœnas propter idololatriam. Pœnæ commemorantur in universon duæ: una spiritualis, rejectio; altera corporalis, afflictio per exilium. Rejectio significatur similitudine divortii,  $\psi$ . 2. Amplificatur autem antithesi continuationis conjugii cum tribu Judæ,  $\psi$ . 1. Afflictio per exilium denuntiatur versibus 3. 6. 9. 10. 11. & 12. Declaratur autem tribus modis: (1) exemplo simili, (2) per species, (3) ex effectu. Exemplum simile est afflictio Israëlitarum in Ægypto per tyrannidem Pharaonis. Hæc afflictio significatur simili nuditatis,  $\psi$ . 3. Species afflictionis enumerantur septem. Eæ sunt: (1) sitis, (2) ademptio spei redeundi in patriam, (3) ademptio victus, (4) ademptio amictus, (5) ignominia, (6) ademptio gaudiorum solennium, (7) ademptio vitium & ficuum. Sitis illustratur simili deserti,  $\psi$ . 3. Ademptio spei redeundi in patriam significatur simili obseptionis viæ,  $\psi$ . 6. & 7. Ademptio victus illustratur per species,  $\psi$ . 9. Ademptio amictus significatur per ademptionem materiæ unde amictus conficitur,  $\psi$ . eodem. Ignominia significatur simili refectionis mulieris,  $\psi$ . 10. Ademptio gaudiorum solennium amplificatur enumeratione specierum, vers. 11. Adem-

Adem-

Ademptio vitium & ficuum declaratur ex modo agendi, videl. desolatione,  $\psi$  12. Effectus illius afflictionis indicatur versu 7. videl. pœnitentia quorundam. Atque sic tractantur comminationes. Idololatria verò, propter quam comminationes istæ denuntiantur, tractatur duobus modis. Partim enim significatur similitudine scortationis & adulterii,  $\psi$ . 2. 5. 7. 12. & 13. Partim verò amplificatur antithesi oblivionis Dei,  $\psi$ . 8.

## DE SECUNDA PARTE.

Promissiones hîc proponuntur tres: una vocationis per prædicationem Evangelii: altera efficaciam vocationis illius: tertia suppeditationis victus. Vocatio per prædicationem Evangelii tractatur tribus modis. Primùm significatur simili blandæ alloquutionis, versu 14. Deinde simili sationis, versu 23. Postremò declaratur ex causa procreante, videl. misericordia Dei, ibid. Efficacia vocationis illius declaratur ex effectis quinque. Ea sunt: (1) spes vitæ æternæ, (2) lætitia spiritualis, (3) sincerus cultus Dei, (4) tranquillitas conscientiæ, (5) perseverantia in fide. Spes vitæ æternæ significatur simili spei quam conceperunt Israëlitæ de occupanda terra Chanaan, quû è deserto egressi, venissent in vallem Achoris, vers. 15. Lætitia spiritualis significatur simili cantus, quem cecinerunt Israëlitæ, quum per mare rubrum deducti evasissent persequentes Ægyptios, versu eodem. Sincerus Deicultus illustratur antithesi pristinae idololatriæ,  $\psi$ . 16. & 17. Tranquillitas conscientiæ significatur simili duplici: uno securitatis à noxiis animalibus, alte-

ro securitatis ab hostibus, v. 18. Perseverantia in fide significatur simili desponsationis, v. 19. & 20. Conjugium autem illud spirituale declaratur tribus modis: (1) ab adjuncta perpetuitate, v. 19. (2) à causis procreantibus, quæ indicantur quatuor, ibidem. (3) ab adjuncta fide seu fidelitate, v. 20. Atque hæc de efficacia vocationis. Suppeditatio victus illustratur ex causis procreantibus per gradationem, v. 21. & 22.

## SCHOLIA IN CAP. II.

v. 1. **D**icite] *Vos Israëlita. Fratribus vestris] Judæis. Sororibus vestris] Mulieribus in tribu Judæ.*

2 Contendite] *Litigate. Cum matre vestra] Cum populo Israëlítico. Ipsam non esse &c.] Dicentes, ipsam non esse &c. Heb. Quod ipsa non est uxor mea. Virum] Maritum. Scortationes suas] Cum idolis. Sic mox, Adulteria sua. Id est, signa scortationum suarum & adulteriorum suorum: puta cerussam à facie, & ornamenta uberum ab uberibus: ut è sequentibus percipitur. Metonymia subjecti. Notatur autem his verbis impudens professio idololatriæ. Huic oppositioni favet initium versus sequentis, Ne denudem eam: scil. propter abusum illum vestium suarum. A conspectu suo] *Verto, A facie sua. quia mox sequitur, E medio uberum suorum: unde patet, indicari hinc certam corporis partem.**

3 Ne] *Ut ne. Hebr. לֹא פֶן. Planè] Hebr. Nudam. Ne denudem eam] Ne adimam ei opes ipsius. Ut die quo genita fuit] Hebr. Secundum diem nascendi ipsam. Unde percipitur, voculam Quo non scribendam ut supplementum: quum nulla hinc sit ellipsis. Sensus est, Ut reddam eam miseram qualis erat in Ægypto tempore servitutis: quo tempore ejus misertus, elegi eam mihi in uxorem. Confer Ezech. 16. Velut in deserto] *Verto, Velut desertum. Et mox, Velut terram siticulosam. Id est, (sicut mox exponitur) ut exstinguam eam siti. nam desertum quasi sitit pluviam propter siccitatem.**

4 Filii scorti] *Hebr. Filii scortationum. Ut supra v. 2.*

5 Scor-

5 Scortatur] Hebr. Scortata est. Sic deinceps. Sed intelligendum esse tempus presens, percipitur ex versu sequente. Loquitur autem de populi Israëlitici idololatria. Genitrix] Hebr. Conceptrix. Prosequar] Vel, festabor. Hebr. Ibo post. Amatores meos] Idola: nempe Bahales: ut declaratur v. 13.

6 Ego] Jehova. Tuam] O popule Israëlitice: qui fuisti uxor mea. Obducam maceriam] Hebr. Maceriabo maceriam. Semitas suas] Quibus ire solet ad amatores suos. Suas] Mutatio personæ. Modò dixit, Tuam.

7 Tandem] Hebr. Et. Age revertar] Hebr. Ibo & revertar. Virum] Maritum. Melius quam nunc] Hebr. Bonum præ nunc.

8 Etenim] Hebr. Et. Non agnoscit &c.] Hebr. Non agnovit quòd ego dederim. Etiam] Heb. Et. Copiosè suppeditare] Heb. Multiplicare. Quo conficiunt Bahalem] Rectius, Ex quo effecerunt Bahalem. Hebr. Quod fecerunt in Bahalem. Sed verò, Quod adhibuerunt in honorem Bahalis. Hebr. Quod fecerunt Bahali. Ut sensus sit, Aurum illud adhibuerunt in sese ornandis quum colerent Bahalem. Confer versum 13. Hanc versionem alteri præfero: quia in Hebræo legitur לַבְּהָלִים labbáhal, cum articulo הֵ: non autem לְבָהָלִים lebáhal. Ac potius, si versio illa genuina esset, dicendum fuisse videtur numero plurali לַבְּהָלִים + Bahalem] Idololum, quod ita nominabant: quasi dicerent dominum.

9 Reversus recipiam] Hebr. Revertar & accipiam. Pro eo quod est, Rursus accipiam: Schwils wider nemen. Quod uno verbo Latine dicitur, Recipiam. Tempore suo] A me decreto. Tempestate sua] Hebr. Stato tempore suo. Eripiamque] Tanquam liberans à servitute & oppressione. Metaphora מַלְאָכָה מִלְּבָבָהּ. Tecturum] Hebr. Quod est, ad tegendum. Id est, quod servit regendo.

10 Fœditatem] Hebr. Flagitium, vel stultitiam. Metonymia efficientis.

11 Abolebo] Hebr. Cessare faciam. Deniq;] Hebr. Et.

12 Vites] Heb. Vitem. Collectivè. Sic mox, Ficum. Merces] Hebr. מְחָרָה ethnáh. Quæ vox propriè significat mercedem meretriciam. Hæ] Scilicet, vites & ficus. Redigam] Hebr. Ponam. Comedant bestię] Hebr. Comedat bestia. Collectivè.

13 Ita] Hebr. Et. Animadvertam in illam] Hebr. *Visitabo super illam.* Dies Bahalimorum] *Id est, Propter dies quos consumsit in colendis Bahalimis.* Bahalimorum] *Rectius: Bahaliim: quia singulare Bahal, Bahalis.* Quibus] *Scil. diebus.* Sed verto, Quibus suffitum facit. Quibus: scil. Bahalibus. Ut per Hebraismum אֲבֵרְסוֹר relativum אֲבֵרְסוֹר specificetur per vocem אֲבֵרְסוֹר Suffitum facit] Hebr. *Suffitum faciet: id est, facere solet.* Futurum notat actum continuum. Prosequitur] *Sequitur.* Hebr. *Ibit post amatores suos. Id est, ire solet: ut modo.* Obliviscitur] Hebr. *Oblita est.*

14 Pellecturus sum] *Malim, Alliciam. Scil. ad agendum poenitentiam: ex collatione membri sequentis.* Pellicere apud Latinos fere de malo usurpatur. Quum deduxero] *Sensu bene expresso.* Hebr. *Et deducam.* In desertum] *Id est, in exilium. Metaphora.* Eloquuturus sum &c.] *Hebr. Loquar super cor ejus. Id est, Blandè eum alloquar. Sic Genes. 34. v. 3.*

15 Vallem Hacoris] *De hac valle legitur Jos. 7. v. ult. Sita fuit (ut ex illo capite apparet) cis Jordanem, loco amœno: ubi urbs Jericho.* Pro foribus spei] *Vel, In ostium spei. Sicut scil. Israëlitæ quum ex deserto in vallem istam duce Josua pervenissent, spem conceperunt totius terræ Chanaan occupandæ.* Canat] *Cantum hunc describit Moses Exod. 15.* Diebus pueritiæ suæ] *Hoc declaratur per verba sequentia.* Et quo die &c.] *Epexegetis.*

16 Eritque] *Et fiet.*

17 Amovebo enim] *Hebr. Et amovebo.*

18 Pangam] *Hebr. Secabo.* Cum bestiis] *Heb. Cum bestia. Sic mox, Cum ave, & reptili.* Jaceant] *Malim, Cubent.* Securè] *Hebr. Cum fiducia.*

19 Desponsabo te] *Alloquitur populum Israëliticum tanquam mulierem. Nam pronomem Te in Hebraeo est generis femini.* Desponsabo te inquam] *Hebr. Et desponsabo te.*

21 Erit etiam] *Hebr. Et fiet.* Cælos] *Cælum. Scil. infimum: id est, aërem: ubi gignitur pluvia, quæ irrigat terram.*

22 Jizrehelem] *Id est, populum Israëliticum qui olim habitaverat in valle Jizrehelis. Metonymia subjecti.*

23 Nam] *Hebr. Et.* Conseram] *In Hebraeo est hic paronomasia.*



*masia. Eam ] Sponsam illam meam. Lo-ruchamæ ] Vide cap.1.v.6. Lo-hammi ] Vide cap.1.v.9.*

OBSERVAT. EX CAP. II.

**E**X v.1. & seqq. usque ad 14. Ecclesia non est <sup>1.</sup> *Ecclesia.* æstimanda è splendore externo. Nam etsi tribus Judæ, cum decem tribubus Israëlitis comparata, non ita florebat opibus: tamen penes ipsam erat vera Ecclesia, penes istas autem non item: quippe quæ in idololatria demersæ erant.

Ex v.2.5.7.8.10. & 13. Idololatria est scortatio spiritualis, seu adulterium spirituale. <sup>2.</sup> *Idololatria.*

Ex v.3.4.6.9.10.11.12. & 13. In Israëlitis proponitur exemplum punitæ à Deo idololatriæ. <sup>3.</sup> *Idololatria.*

Ex v.14. & seqq. Exemplo Israëlitarum qui tempore prædicationis Evangelii ad Deum conversi sunt, monemur, Deum misereri quorum vult. <sup>4.</sup> *Libera voluntas Dei.*

Ex v.15. & seqq. notentur effecta prædicationis Evangelii in electis. <sup>5.</sup> *Evangelii prædicationis.*

Ex v.19. notetur testimonium de conjugio spirituali inter Christum & Ecclesiam. <sup>6.</sup> *Conjugiū spirituale.*

Ex v.eod. notetur testimonium de perseverantia sanctorum. <sup>7.</sup> *Perseverantia sanctorum.*

Ex v.21. & 22. Tempestas frugifera datur à Deo. <sup>8.</sup> *Tempestas.*

~~~~~

CAPUT III.

**D**Einde edixit Jehova mihi, ad deos alienos, & ament lagenas vini.

Iterum abi, ama mulierem, amatam ab amico, & adulterantem: qualis est amor Jehovæ erga Jisraëlitas, quum ipsi respiciant eam mihi quindecim siclis argenti, & sesquichomere hordei:

3 Edixi ei, Diebus multis desideto meâ causâ, ne scortator, neque adjungito te cuiquam; vicissim etiam ego tuâ causâ.

4 Nam diebus multis desidébunt Jisraëlitæ, nullo rege, nulloque principe, & nullo sacrificio, ac nullâ statuâ; nullo deniq; amiculo aut imaginibus:

5 Postea reversi Jisraëlitæ querent Jehovam deum suum, & Davidem regem suum; & pavidi accedent ad Jehovam & ad bonitatem ejus ultimis temporibus.

## ANALYSIS CAP. III.

**H**Oc capite continetur concio Hoseæ tertia: cujus duæ sunt partes: denuntiatio exilii Israëlitarum, quatuor primis versibus: & promissio conversionis quorundam ex illis, *ψ*. 5. Denuntiatio exilii declaratur duobus modis: (1) ex causa impulsiva, (2) antithesi pristinae felicitatis. Causa impulsiva fuit ipsorum idololatria, *ψ*. 1. Felicitas eorum pristina illustratur enumeratione partium, *ψ*. 4. Cæterum tum idololatria eorum, tum exilium, illustratur typo conjugii Hoseæ cum quadam adultera vidua, tribus primis versibus. Conversio Israëlitarum declaratur duobus modis: (1) ex partibus, (2) ex adjuncto tempore. Partes indicantur duæ: fides in Deum & Christum, & pavor ex agnitione peccatorum, *ψ*. 5.

## SCHOLIA IN CAP. III.

*ψ*. 1.

**D**Einde] *Hebr.* Et. Edixit mihi] *Hebr.* Dixit ad me. Iterum] *Hebr.* Adhuc: vel, amplius. Amatam ab amico] *Hebr.* Amatam amici. Ab amico] *Id est, marito. Synecdoche generis. Ut Jerem. 3. v. 15. aliàs 20. Qualis est amor Jehovæ erga Jisraëlitas] Hebr. Secundum amorem Jehovæ quo amat filios Israëlis. His verbis exponitur pars typi: quod scil. per illum amorem quo propheta amabat mulierem amatam à marito & adulterantem, representetur amor quo Dominus amabat populum Israëliticum idola colentem. Quum] *Malim, Quamvis. Hebr.* Et ipsi respiciunt.*

spiciunt. Respiciant ad deos alienos] *Id est, cum desiderio colant deos alienos. Quæ idololatria representabatur per adulterium illius mulieris quam amabat Hoseas. Respiciant] Hoc verbo notatur desiderium: & ita amplificatur Israëlitarum idololatria. Alienos] Hebr. Alios. Et ament lagenas vini] *Id est, indulgeant ebrietati in convivis sacris suis, quæ agitant in honorem deorum suorum. Confer Exod. 32. v. 6. Num. 25. v. 2. Vini] Hebr. Uvarum. Metonymia materiae.**

2 Quum itaque comparassem eam mihi &c. edixi ei] *Heb. Et emi eam mihi &c. & dixi ad eam. Copulativum enuntiatum pro relativo temporis. Emi] Tanquam mancipium. Hoc verbo notatur vilitas populi Israëlitici, quum à Deo in populum peculiarem adscisceretur. Sentio autem, hanc rem ita esse gestam, ut narratur. Vide cap. 1. v. 3. in Scholiis. Quindecim siclis argenti] *Id est, argenteis. Genitivus materiae. Valebat autem siclus argenteus quadrantem thaleri Imperialis. Sesquichomere] Chomer continebat decem ephas, Ezech. 45. v. 11. Epha autem erat mensura respondens mensuræ Argentinensium quam vocant ein sefter: alibi ein simmeren. Vide Exod. 16. v. 36.**

3 Diebus multis desideto] *Secundum legem Deut. 21. v. 13. Meâ causâ] Ut expectes donec te ducam uxorem. Hebr. Mihi. Neque adjungito te cuiquam] Verto, Neq. nubito cuiquam. Hebr. Neq. fito cuiquam. Synecdoche generis. Vicissim] Hebr. Et. Tuâ causâ] Scil. desidebo. *Id est, expectabo legitimum tempus conjugii. Hebr. Ad te. Videtur subaudiendum, Attendam.**

4 Nam &c.] *Expositio alius partis typi: quid nempe representetur per illam mulieris sessionem atq. expectationem. Diebus multis] Nempe inde ab exilio in quod acti sunt per Salmanassarum usq. ad exhibitionem Christi. Jisraëlitæ] Hebr. Filii Israël. Nullo rege] Ita ut nullum habituri sint regem. Sic deinceps. Statua] Cujusmodi erant duo illi vituli aurei à fero-boamo erecti: item statua Bahalis. Amiculo] Veste linea sacerdotali. Hebraicè Ephod. Aut] Hebr. Et. Imaginibus] Vox תְּרַפִּים theraphim propriè significat imagines quæ colebantur pro diis, & quidem pro diis penatibus: ut percipitur ex Genes. 31. v. 19. Item 1. Sam. 19. v. 13.*

5 Reversi quarent] *Hebr. Revertentur & quarent. Jis-*

B


raëlitæ] *Hebr. Filii Israël. Davidem] Id est, Christum, cujus typus erat David. Metonymia adjuncti: qualis Jerem. 30. vers. 9. Ezech. 34. v. 23. & cap. 37. v. 24. Pavidi accedent] Hebr. Pavent & accedent. Ellipsis verbi relati. Ultimis temporibus] Nempe temporibus Christi exhibiti. Hebr. In extremitate dierum.*

## OBSERVAT. EX CAP. III.

1.  
Idolola-  
tria.

2.  
Dei natu-  
ra.

**E**X toto capite. In Israëlitis proponitur exemplum tum punitæ à Deo idololatriæ, tum bonitatis Dei in convertendis electis.



## CAPUT IV.

**A**udite verbum Jehovæ, ô Israëlitæ: nam contentio est Jehovæ cum habitatoribus hujus terræ, quòd nulla sit fides, nullaque benignitas, & nulla agnitio Dei in hac terra.

2 Pejerando, & mentiendo, & occidendo, furandoque, & adulterando; effringunt legem, & cædes aliæ aliis sunt contiguæ.

3 Propterea lugebit hæc terra, & languebit quicquid habitat in ea, tum bestiaæ agri, tum aves cæli: quin etiam pisces maris interibunt.

4 Verumtamen quisquam ne contédito, & ne increpato quemquam: nam populares tui similes sunt contendentibus cum sacerdote.

5 Itaq; corruet interdiu, corruetque etiam Propheta tecum noctu; & excindam matrem tuam.

6 Excidentur populus meus eò quòd vacet scientia: quia tu scientiam sprevisisti, spernam quoque te, ne sacerdotio fungaris mi-

hi; quia oblitus es legis dei tui, obliviscar filiorum tuorum ego quoque.

7 Prout aucti sunt, ita peccant in me; gloriam eorum ignominia commutabo.

8 Peccatum populi mei comedunt; & ad iniquitatem eorum attollunt animum suum quisque.

9 Quapropter erit ut populus, ita sacerdos; & animadvertens in eum vias ejus, actiones ejus retribuam ei.

10 Nam comedentes non saturabuntur, scortantes non erumpent in multitudinem; quia Jehovam deserunt observare.

11 Scortatio, vinumque, & mustum, intercipit mentem.

12 Populus meus lignum suum consulit, ut baculus ejus indicet ipsi; nam spiritus scortationum in errorem agit, ut scortentur averti à deo suo.

13 In verticibus montium sacrificant, & in collibus suffitum faciunt sub quercu, populoque, & robore, eò quòd bona sit umbra e-

b a ejus: idcirco scortantur filiae vestrae, & sponsae vestrae adulterantur.

14 Non animadverterem in filias vestras quod scortentur? & in sponfas vestras, quod adulterentur? quod isti cum scortis separent, quae cum meretricibus sacrificent? imò populus non intelligens conturbabitur.

15 Si scortaris tu Jisraël, ne reatum obeat Jehuda: & ne accedatis Gilgalem, neque ascendatis Bethavenem, neque juretis, Ut vi-

vit Jehova.

16 Nam ut juvenca refractaria, refractarius est Jisraël; nunc pasturus est eos Jehova tamquam agnum in loco spatiofo.

17 Conjunctus est terriculis Ephrajim: sine illum.

18 Refractarium est merum eorum; indefinenter scortantur, amant *date*, cum ignominia protectores ejus.

19 Ligat ventus eam alis suis; erubescantque propter sacrifications suas.

A N A L Y S I S C A P. I V.

**H**Oc capite continetur concio Hoseæ quarta: cujus partes sunt duæ: reprehensio Israëliitarum propter peccata varia, cum annexis comminationibus, v. 1. & deinceps: & dehortatio ad tribum Judæ à societate idololatriæ Israëliitarum, v. 15. & seqq.

DE PRIMA PARTE.

Peccata Israëliitarum commemorantur sedecim: videl. (1) perfidia, v. 1. (2) vacuitas benignitatis, ibidem: (3) ignorantia Dei, ibid. (4) perjuriam, v. 2. (5) mendacia, ibid. (6) cædes, ibid. (7) furtiva, ibid. (8) adulteria, ibid. & v. 14. (9) contumacia, v. 4. (10) ignorantia legis divinæ in sacerdotibus, v. 6. (11) abusus dignitatis sacerdotalis, v. 7. (12) neglectus cultus divini in sacerdotibus, v. 10. (13) avaritia sacerdotum, v. 8. (14) scortatio, v. 11. 13. 14. (15) ebrietas, v. 11. (16) idololatria, v. 12. & 13. Comminationum aliæ sunt generales, aliæ speciales. Generales sunt duæ: una versu 9. altera versu 14. Speciales sunt sex, pro numero peccatorum.

narum: quæ sunt, (1) luctus & languor, *ψ*. 3. (2) excidium, *ψ*. 5. & 6. (3) ademptio dignitatis sacerdotalis, *ψ*. 6. (4) ignominia sacerdotum, *ψ*. 7. (5) famæ, *ψ*. 10. (6) destitutio prolis, ibidem.

## DE SECUNDA PARTE.

Dehortatio proponitur *ψ*. 15. & repetitur *ψ*. 17. in fine. Argumenta dehortationis afferuntur duo: (1) turpitudine actionum quas in idolis colendis perpetrabant Israëlitæ, *ψ*. 16. 17. 18. (2) pœnæ illis eventuræ, *ψ*. 16. & 19.

## SCHOLIA IN CAP. IV.

*ψ*. 1. **O** Israëlitæ] *Hebr.* Filii Israëlis. Contentio] *Sive* lis. Fides] *Hebr.* Veritas. *Id est*, integritas, constantia in servandis promissis.

2 Pejerando] *Hebr.* Exsecrando: *id est*, jurando. *Metonymia adjuncti, & synecdoche generis.* Effringunt legem] *Verto*, Eruperunt. Sie sind herauß gebrochen mit den gemeldten lastern/ also daß sie dieselben ohne schew begehen. *Metaphora ab aquis exundantibus, & obvia quæq; perrumpentibus.* Cædes aliæ aliis sunt contiguæ] *Hebr.* Sanguines cum sanguinibus tetigerunt: *id est*, sanguines attigerunt. *Metonymia subjecti.*

3 Lugebit hæc terra] *Id est*, lugebunt incola hujus terræ. *Metonymia subjecti.* Quicquid] *Verto*, Quisquis. Tum bestiarum &c.] *Verto*, Cum bestiis agri, & cum avibus cali. *Præpositio hic valet Cum.* *Hebr.* Cum bestia & cum ave. *Collectivè.* Quin] *Hebr.* Et. Interibunt] *Hebr.* Colligentur. *Id est*, auferentur. *Metonymia effecti.*

4 Quisquam] *Hebr.* Vir. Contendito] *Seu* litigato. Quemquam] *Hebr.* Virum. Nam] *Hebr.* Et. Populares tui] *His verbis Dominus affatur prophetam per apostrophen.* *Hebr.* Populus tuus. Similes sunt contendentibus cum sacerdote] *Hebr.* Sunt sicut litigantes sacerdotis. *Genitivus objecti.*

5 Itaque] *Hebr.* Et. Corrues] *Tu* Israëlitæ. Propheta] *Nempe* propheta falsus & mendax. *Synecdoche generis.* Matrem tuam] *Populum* Israëliticum.

6 Exscin-

6 Exscindentur populus meus] *Synesis: qualis in illo, Turba ruunt. Eò quòd vacet scientiâ] Hebr. Propter non scientiam. Præpositio* <sup>h</sup> *hic valet Propter. Tu] Scil. sacerdos. Quia oblitus es] Hebr. Et quia oblitus es.*

7 Prout aucti sunt] *Scil. dignitate sacerdotis. Hebr. Secundum multiplicari eos. Ignominiâ commutabo] Hebr. In ignominiâ mutabo.*

8 Peccatum] *Id est, sacrificium pro peccato. Metonymia subjecti, nempe subjecti occupantis. Hoc est, sacrificia pro peccato. Synecdoche membri. Comedunt] Scil. sacerdotes. Hebr. Comedent. Id est, comedere solent. Futurum notat actum continuum. Et] Id est, Ideo. Ad iniquitatem eorum attollunt animum suum] Id est, cum desiderio expectant peccata eorum: ut scilicet nanciscantur multa sacrificia pro peccato. Eorum] Nempe popularium. Pronomen plurale refertur ad nomen singulare, Populi mei. Animum suum] Hebr. Animam suam. Ubi pronomen affixum est numeri singularis. Itaq; rectè est addita vocula Quisq;: quæ tamen non debuit scribi ut supplementum.*

9 Quapropter] *Hebr. Et. Erit ut populus, ita sacerdos] Id est, eadem erit conditio sacerdotis & populi, eadem pœnâ afficientur ambo. In Hebræo sunt duo Caph: quorum prius hîc notat similitudinis protasin, posterius apodosin. Interdum contrâ fit. Animadvertens in eum] Hebr. Visitabo super eum. In eum] Scil. tum sacerdotem, tum populum. Vias] Id est, actiones: ut mox declaratur. Metaphora. Actiones] Id est, pœnas quas actionibus suis commeritus est. Metonymia efficientis. Retribuam] Reddam.*

10 Nam] *Hebr. Et. Comedentes &c.] Hebr. Comedent & non saturabuntur: scortabuntur, & non erumpent. Id est, Et si comedent, tamen non saturabuntur: et si scortabuntur, tamen non erumpent. Cæterum verbo scortandi videtur hîc significari concubitus cum concubinis, per metaphoram *רעל אֲרָנָסִינִי*: quia scortationi huic tanquam finis seu causa finalis tribuitur multitudo sobolis: qui finis scortantibus non est propositus. Desierunt] *Hebr. Dereliquerunt.**

11 Intercipit] *Hebr. Accipit. Id est, aufert. Mentem] Hebr. Cor. Id est, rectum iudicium. Metonymia subjecti. Et si autem hæc*

sententia universaliter vera est: tamen hic videtur restringenda ad Israëlitas: ut sit querela de illorum stupore: quem mox versu sequente declarat factō speciali.

12 Populus meus] Populus Israëliticus, quem mihi in peculiarem populum adoptavi, quiq; se populum meum esse jactat. Lignum suum consulit] Id est, idola lignea sua. Metonymia materiae. Hebr. In ligno suo interrogat. Baculus ejus] Idolium ejus cui tanquam baculo innititur: id est, in quo confidit. Metaphora. Indicet] Scil. futuros eventus. Spiritus scortationum] Animus addictus idololatriæ. In errorem agit] Suppleo, ipsos. Ut scortentur] Id est, idola colant. Averti à deo suo] Hebr. De sub deo ipsorum.

13 Verticibus] Hebr. Capitibus. Metaphora. Sacrificant] Hebr. Sacrificabunt. Id est, sacrificari solent. Futurum notat actum continuum. Sic deinceps. Bona] Jucunda. Synecdoche generis. Idcirco] Quia umbra illa locorum idololatriæ jucunda est. Scortantur] Scil. peractâ idololatriâ. Conser exemplum mulierum Moabiticarum, Num. 25. Hebr. Scortabuntur. Id est, scortari solent. Calvinus hoc loco retinet usitatam significationem futuri; & sentit, esse comminationem, qua Deus comminetur se peccatum idololatriæ puniturum peccato scortationis: ac proinde initium versus sequentis accipit non interrogativè, sed indicativè. Sed illa sententia pugnat cum scopo hujus concionis: qui est, ut Israëlita per comminationem pœnarum corporalium deterreantur ab idololatriâ. Non igitur negat versu sequente, se mulieres illas propter scortationes & adulteria puniturum; sed potius affirmat. Sponsa] Malim, Nurus; ut hoc membrum proportionem habeat cum precedente. Sicut enim filia refertur ad patrem: sic nurus ad socerum, qui est loco patris. Sponsa autem refertur ad sponsum.

14 Non] Id est, An non igitur. Deficit litera interrogativa. Non animadverterem &c.] Hebr. Non visitabo super filias vestras. Caterum interrogatio hæc habet vim affirmandi: quasi dicat, Omnino animadvertam. Sponsas] Nurus. Quod isti] Malim, Item quod. Isti] Israëlita idololatra. Separent] Scil. à communi usu, ea quæ volunt sacrificare. Quæ] Hebr. Et. quod puto in vertendo retinendum. Imò] Hebr. Et. Populus non intelligens] Populus iste idololatricus. Hebr. Populus



populus qui non intelliget. Ubi futurum notat actum continuum. Conturbabitur] Perplexus reddetur in institutis & actionibus suis. Alii, corruet.

15 Scortaris] Scil. colendo idola. Metaphora. Ne reatum obeat] Scil. scortando, id est, idola eadem colendo. Jehuda] Qui sunt ex tribu Juda. Ne accedatis] Ne veniatis. Apostrophe ad Judæos. Clarius, Ne acceditote. Et sic deinceps. Gilgalem] Hinc apparet, Gilgale institutam fuisse idololatriam. Neque] Verto, Néve. quia in Hebræo est Ne prohibentis. Bethavenem] Id est, Bethalem Ubi à Jeroboamo erectus erat vitulus aureus ad cultum. Bethel significat domum Dei: Bethaven, domum iniquitatis vel vanitatis. Hac vocis detorsione notatur idololatria quæ tum Bethale exercebatur. Neque juretis] Scil. dum operam datis idololatriæ.

16 Jisraël] Populus Israëliticus. Eos] Israëlitas. Tanquam agnum in loco spatiofo] Id est, deseret eos, ut veniant in potestatem hostium: sicut agnus in loco spatiofo desertus, expositus est feris bestiis.

17 Conjunctus est] Consociatus est. Terriculis] Id est, idolis. Vox Hebraica significat dolores. Sic autem nominantur idola per metonymiam effecti: quia cultoribus suis nil præter dolores afferunt. Ephrajim] Id est, Ephrajimitæ. Metonymia efficientis. Hoc est, Israëlita. Synecdoche membri, וְאֵלֶּיךָ יִשְׂרָאֵלִים: quia tribus Ephrajim erat princeps inter decem tribus: quippe penes quam erat regnum. Sine] Tu Juda: ex collatione versus 15.

18 Refractorium est] Id est, Refractorios reddit. Metonymia effecti. Indesinenter scortantur] Hebr. Scortando scortantur. Amant date] Id est, Amant dona: ac proinde subinde dicunt, Date. Metonymia effecti. In Hebræo est paronomasia: אָהָבִי הֵבִי ahabú hebú. Protectores] Gubernatores. Hebr. Clypei. Metaphora.

19 Ligat ventus eam alis suis] Eam: scilicet uxorem illam meam adulteram, populum Israëliticum. Id est, Subitò transferetur in aliam regionem: id quod factum est ex parte per regem Assyriæ Tiglathpileserem: ex toto autem per Salmanassarem.

Erubescantq;] Scil. Israëlita. Propter] Præpositio וְ מִן hic valet Propter. Sacrificationes] Sive sacrificia: nempe idololatriæ.

1.  
Peccata.

**E**X toto capite. In populo Israëlitico proponitur exemplum punitorum à Deo dominantium peccatorum.

2.  
Ministri  
verbi Dei.

Ex versu 1. ex verbis, *Contentio est Jehova &c.* Quum ministri verbi Dei peccata in grege ipsis commisso dominantia reprehendunt: statuendum est, Deum ipsum illud facere: ac proinde reprehensionibus illis locus dandus est.

3.  
Idololatriæ.

Ex versu 15. Periculosum est familiariter versari cum idololatriis: quia illi eos qui familiariter secum versantur, facile in societatem idololatriæ suæ pertrahunt. Quare familiaritas cum idololatriis vitanda est.

~~~~~

## CAPUT V.

**A**udite istud, ô sacerdotes, & attendite domus Jisraëlis, & domus regis aurem præbete, nam ad vos iudicium *pertinet*: quia *velut* laqueus estis in Mitzpa, & rete expansum super Thabore.

2 Qui ad jugulationem declinantes profunda petunt, iis ego castigationi sum omnibus.

3 Ego novi Ephrajimum, & Jisraël non est celatus mihi; nunc scottari te, Ephrajim; impurum esse Jisraëlem.

4 Non adhibent actiones suas, ut revertantur ad deum suum: nam spiritus scottationum in ipsis est, & Jehovam non agnoscunt.

5 Etiam testificatur fastus Jisraëlis in faciem ipsius: quamobrem Jisraël Ephrajimque cor-

ruent iniquitate sua, corruet etiam Jehuda cum illis.

6 Ut cum gregibus suis, & cum armentis suis eant ad quærendum Jehovam, non inveniunt: eruit se ab eis.

7 In Jehovam perfidè egerunt, nam filios extraneos pepererunt: nunc consument eos menses, partibus eorum.

8 Clangite buccina Gibhæ, tuba Ramæ; vociferamini Bethavene, posterior te, ô Benjamin, clangat.

9 Ephrajim desolationi futurus est die correctionis; quo in tribubus Jisraëlis notum fecero *illam* certam esse.

10 Sunt principes Jehudæ similes iis qui movent terminum; super

super eos effundam velut aquam  
furorem meum.

11 Opprimitur Ephraïm, con-  
teritur iudicio; quia placet, sequi-  
tur mandatum.

12 Quapropter ego tamquam  
tinea fui Ephraïmo, & quasi pu-  
tredo domui Jehudæ.

13 Sed videns Ephraïm mor-  
bum suum, & Jehuda ulcus su-  
um, abiit Ephraïm ad Assyrium,  
misitque Jehuda ad regem pro-  
pugnaturum: sed ipse non pote-

rit mederi vobis, neq; curabit vos  
ab ulcere.

14 Nam ego ut ferox leo sum  
Ephraïmo, & velut juvenis leo  
domui Jehudæ: ego, ego rapiam  
& abibo; deportabo, & nemo eri-  
piet.

15 Abiens revertar in locum  
meum, donec reos peragant se &  
quærant faciem meam; quum  
angustia fuerit ipsis, quæ-  
rent me diluculo,  
*dicentes:*

CAPUT VI.

**A**Gite, revertamur ad Jeho-  
vam, nam ipse rapuit & cura-  
turus est nos: percussit, & obliga-  
turus est nos:

2 Vitæ restituet nos post bi-  
duum; die tertio excitabit nos, &  
vivemus coram ipso:

3 Si cum scientia prosequa-  
mur ad cognoscendum Jeho-  
vam, tamquam auroræ compara-  
tus est exortus ejus: advenietque  
ut pluvia nobis, tamquam seroti-  
na & tempestiva terræ.

4 Quid facerem tibi Ephra-  
jim? quid facerem tibi Jehuda?  
quum benignitas vestra tamquã  
nubes matutina, & velut ros ma-  
ne stillans abeat.

5 Propterea cæcidi per pro-  
phetas, interfeci istos sermonibus  
oris mei; & iudiciorum tuorum  
lux exorta est,

6 Me benignitate delectari,  
non autem sacrificio; & cognitio-  
ne Dei magis quàm holocaustis.

7 At isti tamquam hominis  
transgressi sunt fedus, ibidem  
perfidè egerunt contra me.

8 In Gilhade urbs erat ope-  
rantium iniquitatem quæq; vesti-  
giis sanguinolentis.

9 Sodalitium verò sacerdo-  
tum est simile præstolantibus ali-  
quem turmis, qua via ad Schece-  
mum factum est occidunt: nam  
scelus faciunt.

10 In domo Jisraëlis video  
rem horrendam; ibi scortatione  
Ephraïmi pollui Jisraëlem:

11 Etiam, ô Jehuda, Ephraï-  
mum posuisse messem in te; quum  
reducerem captivam mul-  
titudinem populi  
mei.

CAPUT VII.

**D**Um curo Jisraëlem, tum re-  
veletur iniquitas Ephraïmi,  
& malitia summa Schomronis,  
operari eos falsitatem: nam fur

ingreditur, irruit turma foras:

2 Neque dicunt cum animo  
suo, Me omnis malitiæ ipsorum  
recordari: nunc circumstant eos

B 5

actiones ipsorum, coram facie mea sunt.

3 Malitiâ suâ exhilarant regem, & mendaciis suis principes.

4 Quotquot sunt adulterantur, similes fornaci ardenti à pistore; *qui* desinit esse vigil, ex quo subacta est massa usque dum fermentata sit.

5 Die regis nostri, morbo afficientibus principibus utre vini; extendit manum suam cum derisoribus.

6 Nam ad insidias suas applicarunt animum suum similem fornaci; quæ totam noctem, dormiente pistore ipsorum, ardet manè tamquam ignis flammans.

7 Quotquot sunt, incalescunt ut fornax illa, & consumunt iudices suos, omnes reges ipsorum cadunt, nemine ex eis clamante ad me.

8 Ephraïm cum populis ipse confundit se, Ephraïm est *ut* placenta non versa,

9 Comedunt extranei vim ipsius, nec tamen agnoscit ipse; etiam canities aspergit eum, nec tamen agnoscit ipse:

10 Et quamvis testificetur factus Jisraëlis in faciem ipsius; non

revertuntur ad Jehovam deum suum, nec quærunt eum omnibus his:

11 Sed est Ephraïm, similis columbæ fatuæ, demens: Ægyptium vocant, Assyrium adeunt.

12 Quum adibunt, expandam super eos rete meum, quasi aves cæli deducam eos: castigabo eos, prout auditum est à cœtu ipsorum.

13 Væ eis, quoniam vagantur à me; vastatio eis, quoniam deficiunt *rebellantes* in me: quum ego redempturus sum eos, tum ipsi alloquuntur me mendaciis.

14 Neq; inclamant me ex animo suo, quum ejulant in cubilibus suis, *quum* propter frumentum & mustum congregantes se divertunt ad me.

15 Quum autem ego castigavi, confirmavi brachia eorum; tum contra me cogitant malum:

16 Revertuntur non *ad* excelsum, sunt velut arcus fallax, concidunt gladio principes eorum ab indignatione linguæ ipsorum: hæc sanna ipsorum  
in terra Ægypti.

#### ANALYSIS CAP. V. VI. ET VII.

**H**is tribus capitibus continetur concio Hoseæ quinta: in qua denuntiat pœnas Dei tum decem tribubus, tum tribui Judæ, propter varia peccata. Cui denuntiationi præmittitur exordium breve, quo hortatur propheta illos ad attentionem, *ÿ. i.* Nominatim autem compellat tria personarum genera: sacerdotes, domum

mum regiam decem tribuum, & domum regiam  
 tribus Judæ. Cæterùm denuntiatio pœnarum &  
 reprehensio peccatorum proponuntur promi-  
 scue. Peccata autem commemorantur septen-  
 decim: (1) insidiosa aliorum oppressio, (2) idolo-  
 latria, (3) fastus, seu superbia, (4) conjugia cum  
 extraneis mulieribus, (5) fraudes, (6) voluntarius  
 consensus in edictum regis Jeroboami de ado-  
 randis vitulis aureis, (7) imploratio auxilii re-  
 gum exterorũ, (8) beneficentiæ tenuitas, (9) per-  
 fidia in transgrediendo federe, (10) cædes,  
 (11) furta & rapinæ, (12) carnalis securitas, (13) adu-  
 lationes, (14) ebrietas, (15) omissio invocationis  
 Dei, (16) hypocrisis, (17) ingratitude pro acce-  
 ptis à Deo beneficiis. Porro ista singula sic tra-  
 ctantur: I. Insidiosa aliorum oppressio significa-  
 tur simili aucupum, cap. V. v. 1. & 2. Item simili  
 furni à pistore calefacti, cap. VII. versu 6. & 7.  
 II. Idololatria significatur simili scortationis,  
 cap. V. v. 3. & 4. & cap. VI. v. 10. Item simili mes-  
 sis, cap. VI. v. 11. Item simili adulterii, cap. VII.  
 v. 4. Item simili furni ardentis, ibidem. III. Fa-  
 stus seu superbia simpliciter nominatur, cap. V.  
 v. 5. & cap. VII. v. 10. IV. Conjugia cum extra-  
 neis mulieribus significantur ex effectu, videl.  
 procreatione filiorum extraneorum, cap. V. v. 7.  
 Item verbo generali commixtionis cum popu-  
 lis, cap. VII. v. 8. V. Fraudes significantur simili  
 moti termini seu limitis, cap. V. v. 10. VI. Vo-  
 luntarius consensus in edictum regis Jeroboami  
 de adorandis vitulis aureis, significatur verbis  
 generalibus, cap. V. v. 11. VII. Imploratio au-

xilii regum exterorum illustratur simili medelæ seu medicinæ, cap. V. v. 13. VIII. Beneficiæ tenuitas illustratur simili nubis & roris evanescentis, cap. VI. v. 4. IX. Perfidia amplificatur à dissimili, cap. VI. v. 7. X. Cædes significatur ex effectu, videlicet calcatione sanguinis, cap. VI. v. 8. Et illustratur simili turmarum latrocinantium, ejusdem capituli versu 9. XI Furta & rapinæ indicantur simpliciter, cap. VII. versu 1. XII. Carnalis securitas describitur ex effectu, videlicet omissione cogitationis de vindicta divina, cap. VII. v. 2. XIII. Adulationes significantur vocabulo generali mendaciorum, cap. VII. v. 3. XIV. Ebrietas amplificatur partim ex objecto, videlicet copia vini: partim ex effectis, videlicet ægro- tatione regis, & comotatione ejusdem cum derisoribus, cap. VII. v. 5. XV. Omissio invocationis Dei amplificatur à causa corrumpente, videlicet præsentate necessitate, cap. VII. versu 7. & 10. XVI. Hypocrisis significatur verbo generali mendaciorum, cap. VII. v. 13. Item negatione sinceritatis in precando, v. 14. Item simili arcus fallacis, v. 16. XVII. Ingratitudo pro acceptis à Deo beneficiis amplificatur à contrariis, cap. VII. v. 15. & 16. Atque hæc de Israëliitarum & Judæorum peccatis. Pœnæ autem denuntiantur cap. V. v. 1. 2. & 5. (ubi inseritur amplificatio à prolepsis de placando Deo per sacrificia, v. 6.) 7. 8. 9. 10. 11. 12. 13. 14. 15. & cap. VI. v. 4. & cap. VII. v. 2. 8. 9. 10. 12. 13. Cæterùm denuntiationi pœnarum inseritur promissio conversionis illorum & receptionis in gratiam, cap. V. v. 15. Conversio autem

autem illa illustratur ex effectis tribus: (1) hortatione mutua, cap. VI. v. 1. (2) confessione peccatorum, ibidem: (3) professione spei restitutionis, v. 2. Quæ restitutio amplificatur ab adjuncta brevitate temporis, vers. 2. Et illustratur simili duplici: uno ortus auroræ, altero pluvix commodæ, versu 3.

## SCHOLIA IN CAP. V.

**D**omus Jisraëlis] Popule Israëlitice, seu decem tribus. Domus regis] Nempe regis Judæ: quod regnum à Deo institutum erat. Synecdoche generis. Confirmatur autem hæc expositio ex collatione sequentium, ubi tam tribui Judæ quam decem tribubus pœna denuntiantur. Judicium] Nempe judicium Dei: id est, pœna quas vobis immittere decrevit. Synecdoche generis: & metonymia efficientis. Velut laqueus estis] Id est, ex insidiis alios opprimitis. In Mitzpa] Nomen montis prope Libanum, ubi versari solebant aucupes. Vide Jos. 11. v. 3. Super Thabore] Alterius montis nomen: de quo vide Jud. 4. v. 6.

2 Qui ad &c.] Verto, Nam ad jugulationem declinantes profunda petunt: quanquam ego castigator sum omnibus ipsis. Nam: Hebr. Et. Ad jugulationem] Ad oppressionem aliorum. Continuat institutam similitudinem. Declinantes] Scil. à justitia. Profunda petunt] Dolosè & ex insidiis agunt, sicut auceps. Heb. Profundant. Quanquam: Hebr. Et. Castigator: Hebr. Castigatio. Metonymia effecti.

3 Ego novi &c.] Verba Dei. Ephraimum] Ephraimitas. Metonymia efficientis. Et, Ephraimitas: id est, Israëlitas universos, seu decem tribus. Synecdoche membri. Jisraël] Israëlita: id est, decem tribus. Mihi] Hebr. A me. Nunc scortari te &c.] Id est, idololatriam exercere. Hebr. Quòd nunc scortaris, quòd immundus sit Israël.

4 Adhibent] Hebr. Dant. Spiritus scortationum] Ut supra cap. 4. v. 11. In ipsis] Hebr. In intimo eorum. Non agnoscunt] Non curant, non reverentur. Metonymia efficientis.

5 Etiam testificatur &c.] Verto, Ideo testificabitur super-

v. 1.

bia Israël in faciem ipsius: & Israël &c. Iniquitate suâ] *Verto*,  
 Propter iniquitatem suam. *Præpositio* 2 hîc valet *Propter*.

6 Ut cum gregibus &c.] *Hebr.* Cum gregibus suis & cum  
 armentis suis ibunt ad quærendum Jehovam: & (id est, sed) non  
 invenient. In *Hebræo* nulla est ellipsis: sed enuntiatum copulativum  
 habet vim discretivi. Itaq; vocula Ut non fuit hîc scribenda ut  
 supplementum. Sensus est, Ut maxime ibunt &c. tamen non inve-  
 nient. Ad quærendum Jehovam] *Ad petendum ab eo consi-  
 lium & auxilium per oblationem sacrificiorum.* Eruit se ab eis]  
 Tanquam ab iis qui ei molesti essent.

7 Filios extraneos] *Ex uxoribus scil. extraneis.* Confer *Ne-  
 hem. 13. v. 23.* Pepererunt] *Verto*, genuerunt. Nunc consu-  
 ment &c.] *Verto*, Nunc consumet eos mensis, cum por-  
 tionibus ipsorum. Id est, redigentur ad extremam inopiam: ut  
 accidit debitoribus, quibus augetur usura, quum exacto mense non  
 possunt reddere mutuum. Ergo mensis: id est, usura, exacto mense  
 aucta. *Metonymia subjecti.*

8 Clangite buccinâ] *Scil. ut congregetis vos ad occurren-  
 dum ingruenti hosti.* Gibhæ &c.] *De his urbibus vide annota-  
 tiones Fr. Junii.* Posterior te] *Verto*, Qui post te habitat. *Peri-  
 phrasis tribus Judæ.*

9 Ephrajim desolationi futurus est] *Verbum Hebraicum  
 est generis fœminini, Futura est.* Itaq; per Ephrajim intelligitur hîc  
 terra Ephrajimi, id est, decem tribuum. Id quod nomen desolatio-  
 nis quoq; innuit. *Correctionis] Heb. Increpationis.* Quo &c.]  
*Verto*, In tribubus Israël notum feci. Illam certam esse] *Hebr.  
 Quòd certa sit.*

10 Similes iis] *Hebr. Sicut ii.*

11 Ephrajim] *Id est, populus decem tribuum.* Quia placet  
 &c.] *Verto*, Quia lubens sequutus est mandatum. Nempe manda-  
 tum regis feroboami instituentis peculiarem Dei cultum. *Synecdo-  
 che generis. Hebr. Quia voluit, ambulavit post mandatum.*

12 Quapropter] *Hebr. Et.* Tanquam tinea fui Ephra-  
 jimo] *Hoc intelligendum esse de immisso aliquo hoste: sicut &  
 quod sequitur de putredine domus Judæ: percipitur ex versu se-  
 quente, ubi narratur, quòd auxilia petiverint ab Assyrio & à re-  
 ge Sare.*

13 Sed



13 Sed videns &c.] *Hebr. Et vidit &c. & abiit. Morbum suum*] *Id est, periculum imminens ab hoste. Metaphora. Sic mox, Ulcus suum. Abiit ad Assyrium*] *Imploravit opem Assyrii. Sed an hoc in historia sacra uspiam narretur, me latet. Misitque Jehuda*] *Vox Jehuda omnino hic est supplenda, ex analogia precedentium & sequentium. Ad regem propugnaturum*] *Id est, ad regem Assyria Tiglath-pileserem: cujus opem imploravit rex Achas contra regem Syria & regem Israëlis, oppugnatuos Hierosolymam. Vide 2. Reg. 16. v. 7. Propugnaturum*] *Hebr. Qui litigaret. Metaphora. Alii vocem פָּרַעַב faréb accipiunt ut nomen proprium regis. Sed*] *Hebr. Et. Ipse*] *Malim, Ille: vel, is. Scil. Assyrius. Non poterit mederi vobis*] *Scil. si denuò opem ejus imploretis. Curabit vos ab ulcere*] *Hebr. Sanabit à vobis ulcus.*

14 Sum] *Suppleo, Ero: quia sequitur, Ego rapiam. Ephraïmo*] *Decem tribubus. Domui*] *Tribui. Deportabo*] *Verto, Auferam. Scil. prædam raptam. Eripiet*] *Mihi prædam illam.*

15 Abiens revertar] *Hebr. Abibo revertar. In locum meum*] *Sicut leo, quum prædam adeptus est, abit ac revertitur in speluncam suam. Quum angustia fuerit ipsis*] *Hebr. In angustia quæ eriteis. Quærent me diluculo*] *Id est, studiosè. Hebr. Diluculabunt me: vel, ad me. Id est, Diluculo venient ad me.*

OBSERVAT. EX CAP. V.

EX v. 1. Ad officium pastorum Ecclesiæ pertinet, ut tam regum & aliorum in dignitate constitutorum, quàm plebejorum, peccata reprehendant: illisque propter illa pœnas divinas denuntient.

1.  
Pastores  
Ecclesia.

Ex v. 3. Nemo peccata sua coram Deo occultare potest. Itaque nemo peccet spe latendi.

2.  
Peccata.

Ex v. 3. & 4. Idololatria est scortatio spiritalis, & homines à timore Dei avertit. Quare fugienda.

3.  
Idololatria.

Ex v. 6. Frustra laborant hypocritæ, quum co-

4.  
Hypocrita.

nantur Deum placare cærimoniis seu cultu externo.

5.  
Pœna divina.

Ex v. 9. Pœnæ quas Deus hominibus propter peccata minatur, suo tempore certò eveniunt: nisi isti pœnitentiam egerint. Denuntiationes igitur pœnarum divinarum non sunt pro incertis habendæ.

6.  
Obediëntia.

Ex v. 11. Qui obediunt mandatis impiis regum ac principum, illos manet pœna Dei.

7.  
Bellum.

Ex v. 12. & 14. In bellis respiciendum est ad causam primam, nempe Deum: qui hominibus bella immittit propter ipsorum peccata.

8.  
Bellum.

Ex v. 13. & 14. Quum Deus nobis propter peccata iratus, immittit nobis bellum ad castigandum nos: frustra adhibemus auxilia humana. Placanda est autem ejus ira per seriam pœnitentiam.

9.  
Pœnitentia.

Ex v. 15. ex verbis, *Donec reos peragant se &c.* Salutaris pœnitentia consistit partim in agnitione peccatorum, partim in fide remissionis illorum gratuitæ propter Christum.

10.  
Castigationes divina.

Ex eodem versu ex verbis, *Quum angustia fuerit ipsis, quærent me diluculo.* Castigationum divinarum fructus in electis est pœnitentia salutaris.

## SCHOLIA IN CAP. VI.

v. 1.

**A** Gite] Hebr. *Ite.* Rapuit] *Malim, discerpfit.* Scil. *instar leonis: ex collatione versus 14. capitis precedentis.* Curaturus] *Sanaturus.* Percussit] *Vulnus inflixit.* Obligaturus] *Ut chirurgi obligant vulnera.*

2 Vitæ restituet nos] *Nam exilium Babylonicum erat eis velut sepulchrum. Vide Ezech. 37.* Post biduum] *Post breve tempus.* Excitabit] *E sepulchris nostris.*

3 Si cum scientia &c.] *Verto: Tunc cum cura persequemur,*  
ut co-

ut cognoscamus Jehovam: quia tanquam aurora comparatus erit exortus ejus. Hebr. Et agnoscemus & persequemur, ad cognoscendum Jehovam. Serotina ] Sub tempus messis. Tempestitiva ] Paulo post jactam sementem.

4 Quid facerem ] Scil. aliud quàm quod minatus sum me facturum. Quum benignitas &c. ] Verto: Quum benignitas vestra sit tanquam nubes matutina, & velut ros manè stillans qui evanescit. Hebr. Et benignitas vestra est &c. Nubes matutina ] Hebr. Nubes manè. Genitivus subjecti. Manè stillans ] Hebr. Matutinans. Qui evanescit: Hebr. Qui abit. Absorptus scilicet radiis solis.

5 Cæcidi ] Scribendum, Cecidi: cum circumflexo in penultima syllaba: ut appareat esse præteritum à verbo Cedo, atq; ita distinguatur à Cecidi. penultima brevi, à verbo Cado. A quo quidem non rectè distinguitur, si prima syllaba scribatur per æ diphthongum. Etenim syllaba ista augmentum est: omne autem augmentum in præteritis verborum breve est. Verbum  $\text{צָדַד}$  propriè significat cadere lapidis vel ligna: quod Latini dicunt dolare: Germani Behobeln oder behawen. Hac metaphora significat, se reprehensionibus suis molestiam eis attulisse. Interfecit ] Comminationibus meis spem eis ademi. Metaphora. Judiciorum tuorum lux exorta est ] Verto: Jura tua fuerunt tanquam lux quæ exoritur. Jura tua: Id est, jura à te observanda, & à me tibi præscripta per prophetas. Tanquam lux: id est, tanquam sol. Metonymia effecti. Exoritur: Hebr. Exhibet: id est, exire solet. Nempe è thalamo suo. Vide Psal. 19. v. 6.

6 Me benignitate delectari &c. ] Hic indicantur illa jura quorum facta est mentio versu præcedente. Hebr. Quod benignitate delecter. Sacrificio ] Scil. hypocriticè oblato. Vel, Non autem, idem hic valet quod Magis quàm: ex analogia membri sequentis. Sensus est, Deum magis delectari benignitate quàm sacrificio: quia illà delectatur per se, isto autem non nisi per accidens, si scil. rectè offeratur. Magis quàm holocaustis ] Hebr. Præ holocaustis.

7 Tanquam hominis transgressi sunt fedus ] Id est, transgressi sunt fedus meum tam facile, ac si esset fedus hominis, id est, ab homine pactum. Sed verto, Tanquam homines, transgressi

sunt fedus. Hebr. Tanquam homo Sed nomen אדם saepe usurpatur sensu plurali. Altera versio est contorta: quia talis vocum trajectio insolens est apud Hebraeos. Secundum illam versionem vox אדם subjicienda fuisset voci בריית. Ibidem] Scil. in oblatione holocaustorum: ex versu precedente.

8 Urbs erat &c.] Verto, Est urbs operantium iniquitatem, calcata à sanguine. Participium אֲרָבָהּ significationem suam mutuatur à nomine אָרָבָהּ, id est, calcaneus. A sanguine] Id est, à pedibus sanguinolentis, nempe illorum qui homicidia perpetrarunt. Ita dicitur de rege Manasse, quòd effuderit sanguinem innoxium tantà copià ut repleret urbem Hierosolymam, 2. Reg. 21. v. 16.

9 Est simile] In Hebraeo legitur ב pro כ. Præstolantibus aliquem turmis] Construe sic, Turmis præstolantibus (id est, quæ præstolantur) aliquem. Aliquem] Hebr. Virum. Qua vià &c.] Verto, In via occidunt quæ ducit ad Sichem. Ellipsis verbi relati. Non puto enim vocem אֲרָבָהּ rectè verti, Ad Schechemum: id est, apud Schechemum, vel In Schechemo. Nam litera ה finalis notat motum ad locum. Videtur autem hîc respici ad historiam quæ narratur Jud. 9. v. 25.

10 Ibi scortatione &c.] Verto: Ibi est scortatio Ephraimi, qua polluitur Israël. Sententia est, In domo regia, quæ est penes tribum Ephraimi, viget idololatria: & illo exemplo omnes decem tribus moventur, ut ipse quoq; eadem idololatrià sese polluant.

11 Ephrajimum posuisse] Verto, Posuit. Scil. Ephraim. Posuit] Scil. quatenus devicit tribum Judæ: quam victoriam tribus Judæ adscripsit religioni illorum, ac proinde eam imitata est. Messem] Id est, idololatriam unde metes mala. Metaphora. Quum reducerem] Scil. per admonitionem prophetae Obed. Vide 2. Chronic. 28. vers. 8. & deinceps. Captivam multitudinem populi] Judæos qui captivi abducti erant à decem tribubus.

## OBSERVAT. EX CAP. VI.

I.  
Pœnitētia.

EX v. 1. 2. & 3. Salutaris pœnitentiã nascitur ex consideratione bonitatis atque clementiæ Dei: ut qui posteaquam nos castigavit, paratus sit ad rursus benefaciendum nobis. Confer Psal. 130. v. 4.

EX v. 1.

Ex v. 1. ex verbis, *Agite revertamur &c.* Ad officium nostrum pertinet, ut, quum per gratiam Dei resipiscimus, proximos quoque nostros ad resipiscentiam exhortemur. 2.  
Officium  
hominis  
Christiani.

Ex v. 4. Opera nobis danda est, ne benignitas seu beneficentia nostra sit exigua & momentanea: sed potiùs magna & constans. 3.  
Beneficen-  
tia.

Ex vers. 5. Quum beneficentiam negligimus: tum ad officium pastorum Ecclesiæ pertinet, ut nos ex verbo Dei gravissimè reprehendant, & ex illo de officio nostro nos clarè erudiant. 4.  
Pastores ec-  
clesiæ.

Ex v. 6. Cultus Deo placens non consistit in cærimoniis à Deo institutis, sed in fide & charitate. 5.  
Culi<sup>9</sup> De

Ex v. 7. ex verbis, *At isti tanquam homines, transgressi sunt fedus.* Homo sibi relictus, nil nisi peccare potest. 6.  
Hominis  
natura.

Ex eodem versu, ex verbis, *Ibidem perfidè egerunt contra me.* Dum hypocritæ operam dant cultui divino, obeuntes cærimonias à Deo institutas: hoc ipso Deum offendunt propter perfidiam: quia interim negligunt fidem & charitatem, ad quas sese Deo in federe obligarunt. 7.  
Hypocrita.

Ex v. 9. & 10. Nihil novi est, si gubernatores populi Dei, qui bono exemplo præire illi debebant, sceleribus perpetrandis sese dedant. 8.  
Guberna-  
tores.

SCHOLIA IN CAP. VII

**D**Um curo Jisraëlem ] *Seu, Dum medeor Israëli. Id est, Dum inquirō in peccata plebis decem tribuum, ut ab illis eam dehorter.* Metaphora. Tum ] *Hebr. Et. Revelatur iniquitas Ephrajimi ] Id est, Tum deprehendo, peccata plebis manare ex domo regia, per imitationem scilicet.* Malitia summa ] *Hebr. Malitia: nominativo plurali. Schomronis ] Vulgo, Samaria. Id* v. 1.

est, aulicorum degentium in Samaria sede regia. Metonymia sub-  
jecti. Operari eos] Hebr. Quòd operentur. Nam] Hebr. Et. Ir-  
ruit turma foras] Verto, Spoliat turma foris.

2 Cum animo suo] Hebr. Cordi suo. Me &c.] Heb. Quòd  
omnis malitiæ eorum recordor. Circumstant] Vel, Circumdant.  
Scil. ut eos raptos ad me deducant ad dicendum causam. Actio-  
nes] Scil. male: facinora. Synecdoche generis. Coram facie  
mea] Hebr. E regione faciei meæ.

4 Adulterantur] Operam dant idololatriæ. Metaphora.  
Fornaci] Furno. Qui desinit esse vigil] Id est, Qui se dedit  
somno. Hebr. Qui cessabit (id est, cessare solet) à vigilando. Vel, ab  
excitando. Scil. se ipso. nam מַהְעִיר contractè dicitur pro מַהְעִיר.

5 Die regis &c.] Verto, Die regis nostri morbo affecerunt  
eum principes utre vini: tum extendit ille &c. Die regis no-  
stri] Quia rex noster consecraretur: ac proinde decuisset Deum  
invocare pro benedictione sua. Extendit] Scil. ad pocula vino  
plena.

6 Nam ad &c.] Sensus videtur esse, Dum rex negligit guber-  
nationem, principes interim intenti sunt ad opprimendum subdi-  
tos. Sunt autem prima hujus versus verba in Hebræo trajecta.  
Animum suum] Hebr. Cor suum. Fornaci] Malim, furno.  
Dormiente] Ac proinde non curante ne fornax nimium exarde-  
scat. Pistore eorum] Id est, rege. Ignis flammans] Hebr. I-  
gnis flamma. Genitivus effecti.

7 Quotquot sunt] Scil. principes in aula regis. Ut for-  
nax illa] Malim, Ut furnus ille. Scil. Cujus mentio facta versus  
precedente. Sed præstat literam הַ hîc accipere ἀοείσω: ac proin-  
de vertere, Ut fornax aliqua: sive, ut furnus aliquis. Consu-  
munt] Perdunt malis consiliis suis. Hebr. Comedunt. Judices  
suos] Id est, gubernatores suos: nempe reges, ut mox declaratur.  
Cadunt] Vide 2. Reg. 15. vers. 8. & deinceps usq; ad 32. Ex eis]  
Hebr. In eis: id est, inter eos. Vel præpositio הַ hîc notat partem: ut  
& alibi.

8 Ephrajim] Id est, Israëlita. Cum populis] Cum genti-  
bus alienigenis. Confundit se] Vel, Commiscet se. Scil. per ma-  
trimonia. Confer supra cap. 5. v. 7. Est ut placenta non versa]  
Id est, (ut eruditè exponit Fr. Junius) similis est placenta dulcia-  
ria, que

ria, que propter jus & condimentum suum non solet verti, sed suo tantum fundo incumbere. Plura vide apud Junium.

9 Comedunt &c.] Hic declaratur similitudo placentæ modo allata. Canities aspergit eum] Id est, consumitur funditus: ut quum canities aspergit fundum placentæ. Per canitiem autem hic intelligitur mucor metaphoricè.

10 Et quamvis &c.] Hebr. Et testificatur &c. & non revertuntur. Copulativum enuntiatum habet vim discretivi. Fastus] Superbia. Omnibus his] Verto, In omnibus his. Scil. malis. Hebr. In omni hoc.

11 Sed] Hebr. Et. Demens] Hebr. Cui non est cor. h. e. intelligentia. Metonymia subjecti. Ægyptium vocant] Ut fecit rex Hoseas, 2. Reg. 17. v. 4. Assyrium adeunt] Hebr. Ad Assur eunt. Confer supra cap. 5. v. 13.

12 Quum adibunt] Scil. Israëlita reges ceteros. Hebr. Quum ibunt. Aves] Hebr. Avem. Deducam] Vel, dejiciam. Hebr. Descendere faciam. Prout auditum est à cœtu eorum] Nempe à prophetis quos ad ipsos misi. Hebr. Secundum auditionem quæ facta fuit cœtui ipsorum.

13 Væ eis] Scil. erit: hoc est, accidet. Id est, eventura sunt eis mala, quibus pressi exclamabunt væ. Metonymia effecti. Vastatio eis] Scil. erit, vel accidet. Quum ego &c.] Verto, Et ego quidem redimerem eos: sed ipsi &c. Alloquuntur me &c.] Vel, loquuntur contra me mendacia.

14 Neque inclamant &c.] Epexege sis. Ex animo suo] Hebr. In corde suo. Propter frumentum] Scil. impetrandum.

15 Quum autem &c.] Hebr. Et ego castigavi &c. & contra me &c. Copulativum enuntiatum valet relativum temporis.

16 Revertuntur &c.] Epexege sis. Non ad excelsum] Id est, ad me, Deum. Subintellige: Sed ad idola sua. Arcus fallax] Hebr. Arcus fallaciæ sive doli. Vult dicere, Fallunt spem meam suam hypocrisi: sicuti arcus vitiosus fallit spem sagittarii. Sic Psal. n. 78. versu 57. Concidunt] Cadunt. Gladio] Vide 2. Reg. 15. Ab indignatione linguæ ipsorum] Id est, quia acerbius increpantes aliquos è principibus suis, movent eos ad conspirationem contra ipsos. Vide 2. Reg. 15. v. 10. & 15. Hæc] Supple, est. Sanna ipsorum] Causa cur subsannentur. Metonymia effecti.

## OBSERVAT. EX CAP. VII.

1.  
Gubernatores.

EX  $\psi$ .1. Quum gubernatores populi sceleribus dediti sunt, plebs eos imitari solet. Hinc illud, Regis ad exemplum totus componitur orbis.

2.  
Securitas.

EX  $\psi$ .2. Cavenda est securitas carnalis: semperq; cogitandum, Deum actiones nostras videre & recordari, ut suo tempore eas judicet.

3.  
Subditi.

EX  $\psi$ .3. Subditi cavere debent, ne magistratibus suis adulentur, eosque approbandis ipsorum sceleribus exhilarent.

4.  
Idololatra.

EX  $\psi$ .4. Idololatrae in idolis colendis fervere solent.

5.  
Idololatria.

EX eodem versu, Idololatria est adulterium spirituale: quia rumpit conjugium populi Dei cum Deo.

6.  
Ebrietas.

EX  $\psi$ .5. Turpe est, reges & principes operam dare ebrietati. Vide Proverb. 1.  $\psi$ .4. & 5.

7.  
Consilarii.

EX  $\psi$ .6. & 7. Nihil novi est, si consilarii regum & principum subditos per insidias opprimant: praesertim quum rex vel princeps nullam subditorum curam gerit. Sed haec res cum pernicie regum ac principum conjuncta est.

8.  
Subditi.

EX  $\psi$ .7. ex verbis, *Nemine ex eis clamante ad me.* Quum reges & principes è medio tolluntur, ad officium subditorum pertinet, ut clament ad Deum & misericordiam ejus implorent.

9.  
Conjugiū.

EX  $\psi$ .8. Conjugia cum mulieribus idololatricis vitanda sunt.

10.  
Stupor.

EX versu 9. & 10. Orandus est Deus, ne nos sinat corripī stupore seu *ἀναδυσία*, quum nos castigat.

EX  $\psi$ .11.



Ex v. 12. & 13. Contra Deum iratum frustra implorantur auxilia humana.

Auxilia  
humana.

Ex v. 13. & seqq. Cavendum, ne Deum in necessitatibus invocemus hypocriticè, sed ex animo & sincerè.

12.  
Preces.

C A P U T V I I I.

**A**dhibitâ palato tuo buccinâ *dicito, Involat* similis aquilæ in domum Jehovæ; eò quòd transgrediuntur fedus meum, & contra doctrinam meam deficiunt.

2 Ad me clamant Jisraëlitzæ, Deus mi, agnoscimus te:

3 Deseruit Jisraël bonum, inimicus persequetur eum.

4 Ipsi constituunt reges, at nō ex me, præficiunt principes, quos non agnosco: argento suo & auro suo faciunt sibi terricula, ut exseindatur Jisraël.

5 Deseret eos vitulus tuus, ô Schomron, exardescente irâ meâ in ipsos: quousque non poterunt colere innocentiam?

6 Nam à Jisraële ipse quoque est, artifex paravit illum, neque deus est: nam, in fragmenta erit vitulus Schomronis.

7 Quum vento seminaverint, etiam turbini metēt: culmus nullus erit ei, germen non efficiet farinam; si fortè fecerit, extranei absorbebunt ipsam.

8 Absorbebitur Jisraël: mox fuerint in gentibus similes instrumento in quo nulla est delectatio.

9 Quia isti ascenderunt ad Assyrium, onagrū solummodo studentem sibi; Ephraimitæ mercede conduxerunt amores:

10 Etiam quia mercede conduxerunt alios in gentibus, mox congregaturus sum eos: cœperunt enim paululum, propter onus regis principum.

11 Quia multiplicavit Ephraim altaria ad peccandum; sunt ipsi altaria ad peccandum;

12 Quæ præscribo ei documentis amplissimis legis meæ, tamquam res extera reputantur:

13 Sacrificia ipsa donariorum meorum, sacrificantes carnem comedentesque Jehova non accipit; nunc recordatur iniquitatis eorum, & animadvertit peccata eorum, ipsos in Ægyptum reverti.

14 Denique oblitus est Jisraël opificis sui, extraxitque templa, & Jehuda multiplicavit civitates munitas: ideò immittam ignem in civitates hujus, ubi consumserit palatia illius.

## ANALYSIS CAP. VIII.

**H**Oc capite continetur concio Hoseæ sexta: in qua minatur decem tribubus captivitatem Assyriacam per regem Salmanassarem: idque propter peccata. Comminatio proponitur versu 1. 3. 5. 6. 7. 8. 10. 11. & 13. Et illustratur simili exemplo vastationis Judææ per regem Assyriæ Sanheribum, v. 14. Peccata commemorantur sex: (1) apostasia à Deo, v. 1. (2) hypocrisis, v. 2. & 3. (3) constitutio peculiaris regni, v. 4. (4) idololatria, v. 5. 6. 7. 11. & 14. (5) imploratio opis regis Assyriæ, v. 9. & 10. (6) Contemptus legis divinæ, v. 12. & 13.

## SCHOLIA IN CAP. VIII.

v. 1.

**A**Dhibita &c.] *Verto, Ad palatum tuum buccinam appone, Involat &c. Non videtur opus esse supplemento illo dicitur: quia vis hujus verbi continetur in illis, Ad palatum &c. quorum sensus est, Clara voce pronuntia & quasi ebuccina. Metaphora. Item ellipsis verbi relati. Involat] Scil. inimicus, cujus mentio fit versu 3. Nempe rex Assyriæ, Salmanassar. Estq; hic rursus ellipsis verbi relati. Similis aquilæ] Hebr. Sicut aquila: id est, quam celerrimè, & cum magna cupiditate rapiendi. Confer Deut. 28. v. 49. In domum Jehovæ] Id est, in populum Israëliticum, quem Deus pro familia sua habuit, quiq; adhuc familia ejus esse videri vult. Hac expositio confirmatur ex collatione sequentium. Metaphora & metonymia subjecti. Transgrediuntur] Nempe Israëlita. Transgrediuntur fedus meum] Deficiendo scil. ad idola: ut sequentibus verbis declaratur. Videtur potius vertendum, Transgressi sunt: & mox, defecerunt.*

2 Ad me clamant] *Verto, Ad me clamabunt. Scil. quum hostis contra ipsos veniet. ] Israëlita] Hebr. Israël. Est autem hæc vox in Hebræo trajecta ad finem versus.*

3 Deseruit &c.] *Verto, Sed abjecit Israël bonum: ideo inimicus persequetur eum. Bonum] Bonam & salutarem doctrinam Do-*

nam Do-

nam Domini. Synecdoche generis. Jisraël] Israëlite. Inimicus] Nempe rex Assyrie, Salmanassar.

4 Constituunt] Verto, Constituerunt. Constituerunt reges] In Hebraeo est vox unica, quæ sonat, quasi dicatur, Regificaverunt. Constituerunt autem regem primum Jeroboamum, filium Nebati, ac postea successores illius. Vide 1. Reg. 12. At non ex me] Id est, Non autem ex meo mandato. Nam etsi Dominus Jeroboamo promiserat, quod vellet eum regem facere super decem tribus, 1. Reg. 11. v. 31: tamen populo non mandaverat ut illum regem facerent: quæ quidem in re populus peccavit, quia à familia Davidis, cui regnum commissum à Deo erat, defecit. Præficiunt &c.] Verto, Præfecerunt principes, nec scivi. Eadem sententia repetitur aliis verbis. Et rursum in Hebraeo est vox unica, quæ sonat, Principificarunt. Quod autem negat se scivisse, dicitur per ἀνθρώπων ἀδειαν. Sensus est, quod ipso inconsulto principes illos sibi præfecerint. Argentum &c.] Verto, Ex argento suo & ex auro suo fecerunt sibi idola. Idola autem hîc nominantur יָצַעַי, id est, dolores, per metonymiam effecti. Ubi observandum, dolores, quum de illis propriè sermo est, nominari יָצַעַי: at quum significantur idola, scribi יָצַעַי, cum dagésch in media radicali, ad innuendum scil. dolorum vehementiam. Ut excindatur] Vocula יָצַעַי? quæ propriè notat finem seu causam finalem, hîc notat eventum. Jisraël] Malim supplere, Eorum quisque. nam præcessit numerus pluralis quo significati sunt Israëlitæ.

5 Deseret] Verto, Abjiciet. Id est, faciet ut Deus abjiciat. Metonymia effecti. Hebr. Abjecit. Est idem verbum quod habetur in principio versus tertii. Vitulus tuus] Id est, Duo vituli tui, nempe vituli aurei: quorum alter collocatus erat Bethel, alter Dane, 1. Reg. 12. vers. 29. Synecdoche membri. O Schomron] O vos incole Schomronis, ac in primis rex & consilarii: qui cultum istorum vitulorum à Jeroboamo, filio Nebati, institutum fovebant. Metonymia subjecti, & synecdoche integri. Schomron vulgo Samaria nominatur. Erat metropolis regni. Exardescente irâ meâ] Vel, Nam exarsit ira mea. Potesi etiam verti, Exarsit natus meus. Ut sit periphrasis iræ ex effectu: & ἀνθρώπων ἀδειαν. Quousque &c.] Interrogatio admirantis. Colere innocentiam] Ellipsis verbi relati.

6 A Jifraële] A populo Israëlitico. Ipse quoque] Malim, Iste quoq. Scil. vitulus. Quasi dicat, Isti vituli aurei, qui erecti sunt Bethele & Dane, non minùs ortum habent à populo Israëlitico, quàm ille qui olim erectus fuit in deserto Sinai. Conjunctio copulativa hìc idem valet quod particula  $\text{וְ}$  gám, id est, Etiam: notans comparationem. Artifex] Malim, faber: nempe aurifaber. Synecdoche generis. Nomen Hebraeum  $\text{מְרַבֵּן}$  in genere significat fabrum, à verbo  $\text{רָבַן}$  aravit. Nam ut arator aratro scindit terram: ita fabri instrumentis variis scindunt materiam ex qua aliquid fabricantur. Paravit] Heb. Fecit. quod verbum in vertendo retinere málím. Neque deus est] Scil. Vitulus ille: ut falsò sibi persuadent Israëlitæ. In fragmenta erit] Malim, In fragmenta redigetur. Hebr. Fragmenta fiet. Vitulus Schomronis] Id est, vitulus quem reges Samariae foveant. Metonymia subjecti.

7 Quum vento &c.] Verto, Nam ventum seminant, & turbinem metent. Id est, Operam dant vanitati & hypocrisi in cultu Dei: idcirco experientur hostilem invasionem Assyriorum instar turbinis irruentium & omnia vastantium. Allegoria metaphorica. Seminant: Hebr. seminabunt. Id est, seminare solent. Culmus nullus erit ei] Scil. semini quod serunt. Id est, Non consequentur frumentum ex idololatria sua. Germen] Scil. illius seminis. Absorbebunt] Vel, deglutient, devorabunt.

8 Absorbebitur] Hebr. Absorptus est. Jifraël] Populus Israëliticus, decem tribus. Mox fuerint] Heb. Fuerunt. Similes instrumento] Seu vasi. Hebr. Sicut vas. In quo nulla est delectatio] Quo nemo delectatur: id est, quod propter vilitatem, aut quia inutile redditum est, abjicitur: ut fieri solet ollis rimosis.

9 Isti] Israëlitæ. Ascenderunt ad Assyrium] Conduxerunt grandi pecunia regem Assyriae, Pulem: ut esset ipsis adjumento. Vide 2. Reg. 15. v. 19. & 20. Onagrum] Hominem ferum & inhumanum. Metaphora. Solummodo studentem sibi] Suis unius commodis deditum. Hebr. Solitarium sibi. Ephrajimitæ] Verto, Quia Ephrajimitæ. Hebr. Ephraim. Mercede conduxerunt] Verbum Hebraeum propriè significat conducere mercede meretriciã. Amores] Id est, amatores seu amafios. Id est, opitulatores.

10 Mercede conduxerunt] In Hebraeo habetur idem verbum

bun

*bum quod versu precedente. Mox] Hebr. Nunc. Congregaturus sum] Nempe ad bellum inferendum Israëlitis. Eos] Quos mercede conduxerunt, ut sibi essent adjumento. Cœperunt enim paululum] Scil. infesti esse Israëlitis. Propter onus regis principum] Id est, Quia rex Assyria Salmanassar tributum imposuit regi Hosea, 2. Reg. 17. v. 3. Propter] Præpositio *ו* mín hic valet Propter. Onus] Tributum. Metaphora. Regis principum] Periphrasis regis Assyria. Confer 2. Reg. 18. versu 19. & deinceps.*

*II Ephraïm] Id est, Ephraimitæ: hoc est, Israëlita. Metonymia efficientis, & synecdoche membri. Ad peccandum] Ad offerendum in illis sacrificia contra mandatum Dei: qui mandaverat ut in Hierosolymitano tantum altari sacrificarent. Sunt] Verto, Erunt: vel, fient. Hebr. Fuerunt: vel, facta sunt. Ipsi] Malim, ei. Sunt ipsi ad peccandum] Id est, Ad pœnam peccati. Elegans *παραχρησις*, quâ repetitur vox eadem in diversa significatione. Vel sic potius exponendum hoc membrum: Erunt ei altaria ad peccandum: id est, in Assyriam captivus abductus cogetur sacrificare in altaribus illorum, atq; ita contaminare se peccato idololatria.*

*12 Quæ præscribo &c.] Verto, Præscripsi ei documenta amplissima legis meæ: sed illa tanquam res extera reputantur. Præscripsi] Hebr. Scribam: id est, scribebam. Documenta amplissima] Hebr. Amplitudines. Reputantur] Scil. ab Ephraïmo.*

*13 Sacrificia ipsa &c.] Verto, Quod attinet ad sacrificia donariorum meorum, sacrificant illi quidem carnem & comedunt: sed Jehova non habet eos acceptos: verum nunc recordabitur iniquitatis eorum, & visitabit peccata eorum; ipsi in Ægyptum revertentur. Hebr. Sacrificia donariorum meorum. Nominativus absolute positus. Sic autem vocat sacrificia eucharistica, quæ ei donabantur, seu ultrò offerebantur. Carnem] Nempe carnem pecudum in Lege imperatarum. Non habet eos acceptos] Quia scil. non offerunt, nec edunt, sacrificia illa in loco legitimo: nempe in templo Hierosolymitano. Nunc] Paulò post, brevi. Recordabitur iniquitatis eorum] Id est, puniet eos propter iniquitatem eorum. Metonymia effecti destinati, & metaphora: nempe *αὐθροπονάθεια*. Et visitabit &c.] Eadem sententia repetitur*

aliis verbis. Visitabit] Scil. in ira: id est, puniet. Synecdoche generis. Ipsi in Ægyptum revertentur] Id est, captivi abducuntur in Assyriam, ubi tractabuntur tanquam servi: sicut olim in Ægypto. Est epexegetis. Confer cap. seq. v. 3.

14 Denique] Hebr. Et. Jisraël] Populus Israëliticus, id est, decem tribus: quia mox distinguitur à Juda. Opificis sui] Verto, factoris sui: seu, ejus qui fecit eum. h. e. qui effecit eum populum suum: ut Psal. 100. v. 3. Synecdoche generis. Sic Esa. 51. v. 13. & cap. 54. v. 5. Templam] Nempe Dan & Bethel, ubi erecti erant vituli aurei. Jehuda] Tribus Juda. Ideò] Vel, Sed. Hebr. Et. Immittam &c.] Immittam ignem in civitates ejus: qui consumet palatia ejus. Hic prius pronomen affixum est generis masculini, & refertur ad nomen Jehuda: posterius verò est generis feminini, & refertur ad terram Judæ. Altera versio, & illius expositio quam nostri afferunt, videtur mihi contorta. Loquitur autem de damnis Judæe illatis per copias regis Sanheribi seu (ut vulgo nominatur) Sennacheribi. Vide 2. Reg. 18. v. 13.

## OBSERVAT. EX CAP. VIII.

1.  
Pœna divina.

EX toto capite. In decem tribubus proponitur nobis exemplum punitorum à Deo variorum peccatorum. Quare si similes pœnas evitare velimus, similia peccata nobis vitanda erunt. Deus enim sibi semper est similis: ac proinde nullum peccatum impunitum dimittit.

2.  
Pastores Ecclesie.

Ex v. 1. ex verbis, *Adhibito palato tuo buccina*. Ad officium pastorum Ecclesie pertinet, ut clarâ voce & disertè populo peccata ejus annuntient. Vide aliud exemplum Esa. 58. v. 1.

3.  
Cultus Dei.

Ex v. 2. & 3. Non est satis, nos ore profiteri, quòd agnoscamus Deum: sed imprimis requiritur ut adhæreamus bono quod ille nobis præcepit.

4.  
Idola.

Ex v. 6. Idola non sunt dii. Itaque stulti sunt idololatræ qui illa pro diis colunt.

Ex v. 9.


Ex v. 9. & 10. Cavendum ne fiduciam in ope humana collocemus. 5. *Auxilium humanum.*

Ex v. 11. Per quam rem homines peccant, per eandem puniri à Deo solent. Hæc vocatur pœna talionis: quæ est argumentum justiciæ Dei. Vide exemplum regis Chananæi Adonibefek, Jud. 1. v. 7. 6. *Pœna divina.*

Ex v. 12. Contemptus verbi Dei summopere cavendus est. 7. *Contemptus verbi Dei.*

Ex v. 13. Cultus Dei externus, si non per omnia conformis sit institutioni divinæ, Deo displicet. 8. *Culi Dei.*

Ex v. 14. Cavendum ne fiduciam collocemus in civitatibus munitis. Deus enim fiduciam istam ulcisci solet per hostilem illarum civitatum everfionem. 9. *Civitates munitæ.*



C A P U T IX.

**N**E læteris, Jisraël, ad exultationem similem *exultationi* populorum, quòd scorteris à deo tuo; diligas mercedem meretriciam in omnibus areis frumentariis.

2 Area & lacus torcularis non pascet istos, & mustum mentietur isti.

3 Non habitabunt in terra Jehovæ; sed revertetur Ephrajim in Ægyptum, & in Assyria pollutum *cibum* comedent.

4 Non libabunt Jehovæ vinum, neque suavia erunt ipsi *libamina*; sacrificia eorum ut *cibus lugentium futura essent* eis, quicumque comederent ipsum polluerent se: nam *cibus* eorum pro

mortuo ipsorum non venit in domum Jehovæ.

5 Quid facturi essetis, die solennitatis; & die festo Jehovæ?

6 Nam ecce interituri sunt à vastatione, Ægyptus congregabit eos, Moph sepeliet eos; desideratissima *tentoria* ad argentum ipsorum chamæleon hæreditario jure possidebit, spina in tentoriis ipsorum erit.

7 Advenisse dies animadversionis, advenisse dies retributionis agnoscent Jisraëlitæ, stultos Prophetas istos, dementes, viros ventosos esse, propter amplitudinem iniquitatis tuæ & amplum intestinum odium.

8 Speculatur Ephrajimū con-

Junctum deo meo; *ut* laqueus aucupis in omnibus viis prophetæ ipsius *est*, intestinum odium in domo dei ipsius.

9 In profundissimam corruptionem conjiciunt, similē temporibus Gibhæ: recordabitur iniquitatis eorum, animadvertet peccata eorum, *dicens*:

10 Tamquam uvas in deserto inveneram Jisraëlem; *ut* primum fructum in ficu principio ipsius, videram majores vestros: ipsi venerunt *ad* Bahalpehorem, & separarunt se pudendo, & fuerunt detestationes prout amaverunt.

11 Ipsorum Ephrajimitarum, tamquam volucris, evolabit gloria: inde à partu, & ab utero, & à conceptu.

12 Quòd si educaverint filios suos, ita orbabo eos, *ut* non superfit ullus: quin etiam *væ* eis, quum discessero ab ipsis.

13 Ephrajim, quemadmodum video Tyrum, plantata *est* in amceno habitaculo; sed Ephrajim producturus est ad interfectorem filios suos.

14 Da eis Jehova, quod daturus es; da eis vulvam abortientem, & ubera flaccida.

15 Totum malum istorum in Gilgale *est*, nam ibi odi istos propter malitiam actionum istorum, è domo mea expellam istos; non pergam amare eos, omnes principes eorum *sunt* refractarii.

16 Percutietur Ephrajim, radix ipsorum exarescet, fructum non sunt facturi: etiamsi genuerint, morte afficiam tamen *liberos* desideratissimos uteri ipsorum.

17 Spernet eos deus meus, quia non auscultant ei; idè erunt ex-rabundi in gentibus.

## ANALYSIS CAP. IX.

**H**Oc capite continetur concio Hoseæ septima: quæ ejusdem est argumenti cum præcedente. Minatur enim decem tribubus captivitatem Assyriacam per regem Salmanassarem inferendam: idque propter populi peccata. Peccata autem hîc commemorantur quinque: (1) idololatria, *ψ*. 1. 10. & 15. (2) fides habita falsis prophetis, *ψ*. 7. & 8. (3) corruptionis seu perversitatis profunditas, *ψ*. 9. (4) principum petulantia, *ψ*. 15. (5) inobedientia populi erga Deum, *ψ*. 17. Idololatria (1) significatur simili scortationis, *ψ*. 1. (2) amplificatur ab effectis duobus: videl. à lætitia, quæ illustratur exemplo simili: & à falsa persuasione



suasione de adepta per illam copia frumenti, ibidem (3) illustratur exemplo simili patrum, *ψ*. 10. (4) amplificatur à causa corrumpente, quæ idolatriam illam patrum meritò debuit impedire, ibid. (5) illustratur à subjecto loco speciali, *ψ*. 15. Fides habita falsis prophetis amplificatur à causis corrumpentibus duabus, videl. (1) à prophetarum illorum stultitia atque insania, *ψ*. 7. (2) ab illorum studio & conatu improbo, *ψ*. 8. Corruptiōnis profunditas illustratur & amplificatur exemplo simili Gibeonitarum, *ψ*. 9. Principum petulantia indicatur simpliciter & uno verbo, in fine versus 15. Similiter inobedientia populi erga Deum, *ψ*. 17. Atq; hæc de peccatis.

Jam exilium quod eis propheta propter peccata illa comminatur, amplificatur ab adjunctis undecim. Ea sunt: (1) inopia frumenti & vini, *ψ*. 2. (2) comestio cibi immundi, *ψ*. 3. (3) omissio sacrificiorum, *ψ*. 4. (4) mœstitia, *ψ*. 4. & 5. (5) vastatio regionis, *ψ*. 6. (6) ignominiosa sepultura, ibidem. (7) spoliatio pecuniæ, ibid. (8) interfectio liberorum, *ψ*. 11. 12. 13. 14. & 16. (9) abdicatio è familia Dei, vers. 15. & 17. (10) sterilitas, vers. 16. (11) vagatio seu oberratio, *ψ*. 17. Inopia frumenti & vini significatur ex effectu, videl. destitutione alimonix, *ψ*. 2. Comestio cibi immundi declaratur è subjecto loco, *ψ*. 3. Omissio sacrificiorum declaratur è causa procreante, videl. sacrificiorum offerendorum immunditie, *ψ*. 4. Mœstitia illustratur (1) exemplo simili mœstitiæ lugentium, *ψ*. 4. (2) antithesi pristinx lætitiæ qua antea frui solebant in festis, *ψ*. 5. Vastatio regio-

nis amplificatur ex effectu, videl. nascentia carduorum & spinarum in locis antea cultis,  $\psi$ . 6. Ignominiosa sepultura declaratur è subjecto loco, ibidem. Spoliatio pecuniæ significatur ex causa procreante, videl. desiderio hostium, versu eodem. Interfectio liberorum amplificatur octo modis: (1) ab adjuncta celeritate: quæ ipsa significatur simili volatus avium,  $\psi$ . 11. (2) à speciebus interficiendorum: qui distribuuntur in infantes & adolescentes:  $\psi$ . 11. & 12. & infantes rursus distribuuntur in tres species seu gradus, in fine versus 11. (3) à causa efficiente principali: qui est ipse Deus,  $\psi$ . 12. & 16. (4) ab adjuncta interfectionis perfectione, ibidem. (5) à causa corrumpente, quæ videbatur interfectionem illam impeditura, videl. urbes munitæ; quæ significantur exemplo simili Tyri,  $\psi$ . 13. (6) à causa adjuvante seu ministra, videl. productione liberorum ad interfectorem, ibidem. (7) ab effectu, videl. optatione abortionis,  $\psi$ . 14. (8) ab adjuncta interficiendorum amabilitate,  $\psi$ . 16. Abdicatio è familia Dei indicatur  $\psi$ . 15. & 17. Sterilitas significatur simili arboris æstu solis percussæ,  $\psi$ . 16. Vagatio indicatur simpliciter,  $\psi$ . 17.

## SCHOLIA IN CAP. IX.

$\psi$ . 1. **N**E læteris] *Malim, Ne letator.* Jisraël] *O popule Israëlitice: id est, decem tribus.* Ad exultationem &c.] *Malim, Secundum exultationem qualis est populorum.* Populorum] *Scil. profanorum: letantium de idololatria sua.* Quòd scorteris] *Id est, idola colas. Metaphora.* A deo tuo] *Verto, recedendo à deo tuo.* Diligas] *Repetenda conjunctio* Quòd Mercedem meretriciam] *Id est, frumentum opinione tua acquisitum per idololatriam tuam, tanquam mercedem quam dedisti*

disti amasiis tuis, id est, idolis: vel quam illi dederint tibi. Metaphora, & metonymia efficientis. Arcis frumentariis ] Hebr. Arcis frumenti. Genitivus adjuncti.

2. Area ] Id est, frumentum. Metonymia subjecti. Lacus ] Id est, mustum seu vinum. Metonymia qualis modo. Non pascet ] Non alet. Metaphora  $\alpha\lambda\alpha\chi\epsilon\sigma\iota\kappa\acute{\iota}\nu$ . Istos ] Israëlitas idololatrae: quorum mentio facta versu precedente. Mentietur isti ] Nempe isti meretrici, cujus facta mentio versu precedente: nempe populo Israëlitico. Hanc expositionem postulat forma pronomini relativi: quod est generis fœminini. Mentietur autem isti: id est, fallet spem ejus: quia scil. non poterunt eo frui. Metaphora & synecdoche generis. Nisi forte  $\text{׀} \text{׀}$  irrepsit pro  $\text{׀} \text{׀}$ . Et tunc vertendum esset, Mentietur eis.

3 Non habitabunt ] Scil. Israëlitæ isti idololatrae. In terra Jehovæ ] Id est, in terra Chanaan, quam Jehova eis donavit, & in qua ipsemet habitationem sibi delegit. Significat eos captivos abductum iri: id quod proximè sequentia apertè docent. Sed ] Hebr. Et. Revertetur Ephrajim in Ægyptum ] Ut cap. precedente, v. 13. Ephrajim ] Id est, Ephrajimitæ: hoc est, decem tribus. Metonymia efficientis, & synecdoche membri. Pollutum ] Seu, immundum. Id est, lege Dei interdictum Israëlitis.

4 Non libabunt ] Scil. quum erunt in exilio. Suavia ] Id est, grata seu accepta.  $\text{Α} \text{ϋ} \text{δ} \text{ρ} \text{ω} \text{π} \text{ο} \text{π} \acute{\alpha} \text{δ} \text{ε} \text{ι} \alpha$ . Sacrificia eorum ] Si qua oblaturi essent in exilio. Ut cibus lugentium ] Id est, immunda. nam lugentes immundi erant legaliter. Cibus ] Hebr. Panis. Synecdoche speciei. Sic iterum paulo post. Nam cibus &c. ] Verto, Nam cibus eorum pro mortuo ipsorum erit, ideò non veniet in domum Jehovæ. Pro mortuo ] Hebr. Pro anima: ut Levit. 21. v. 1. Anima pro cadavere seu corpore exanimato & animâ casso, per antiphrasin. Non venit in domum Jehovæ ] Non licet talem cibum offerre Jehovæ, quia immundus est.

5 Quid facturi essetis ] Verto, Quid facietis? Scil. quum eritis in exilio. Significat fore ut in diebus festis contristentur: quia non licebit illos celebrare. Die festo ] Hebr. Die festi. quod in vertendo retinendum. Festi Jehovæ: id est, quod celebratur in honorem Jehovæ.

6 Interituri ] Verto, Abituri. Scil. in exilium. Hebr. Abierunt.

D

Præteritum pro futuro propter certitudinem eventus. A vastatione] *Verto, Propter vastationem. Nempe propter vastationem terræ ipsorum. Præpositio*  $\text{ל}$  *hic valet Propter. Ægyptus] Id est, Ægyptii. Metonymia subjecti. Congregabit eos] Scil. ad sepeliendum: ut percipitur ex membro sequente. Moph] Id est, Memphis, urbs in Ægypto. Desideratissima &c.] Verto, Desiderabitur argentum eorum, carduus hæreditario jure possidebit eos, spina in tentoriis eorum erit. Desiderabitur] Subintellige, Et auferetur, scil. ab hoste. Synecdoche membri metonymica. nam unâ cum causa efficitur effectum. Hebr. Desiderium argenti eorum erit. Carduus hæreditario jure possidebit eos] Id est, tentoria eorum: ut mox declaratur. Metonymia adjuncti. Tentoria autem: id est, terrâ ubi tentoria eorum fixa fuerant. Altera metonymia adjuncti. Significat, Israëlitas ab Assyriis & mobilibus (ut loquuntur) & immobilibus bonis spoliatum iri.*

7 Advenisse &c.] *Verto, Venerunt dies visitationis, venerunt dies retributionis; agnoscet hoc Israël: stultus est propheta, insanus est vir spiritualis; propter granditatem iniquitatis tuæ & grandem adversationem. Venerunt dies visitationis] Quibus visitaberis à Domino: nempe in ira: id est, punieris. Synecdoche generis. Venerunt dies retributionis] Symploce. Retributionis] Quibus retribuet tibi Dominus poenas peccatorum tuorum. Synecdoche qualis modo. Agnoscet] Hebr. Agnoscent. Israël agnoscent: synesis. Jisraël] Id est, Israëlita, in Assyriam captivi abducti. Stultus est propheta] Qui scilicet pacem promittit. Insanus est &c.]  $\text{Ἐπιμωνῆ}$ . Repetitur eadem sententia aliis verbis. Vir spiritualis] Qui jactat se habere revelationem Spiritus sancti. Dictum per concessionem. Heb. Vir spiritus. Genitivus adjuncti: & synecdoche generis. Adversationem] Scil. tuam: qua adversaris Jehova. Verbum  $\text{אָדַרְסָה}$  non tantum significat Odio habere, sed etiam Adversari.*

8 Speculatur] *Scil. vir spiritualis: id est, falsus propheta. Id est, observat seducendi causâ. Synecdoche generis. Ephraimum conjunctum deo meo] Id est, illos ex Ephraimitis qui adhuc adherent Deo. Confer 1. Reg. 19. v. 18. Conjunctum deo meo] Hebr. Qui est cum deo meo. Ut laqueus &c.] Verto, Ad prophetam quod attinet, laqueus aucupis est in omnibus viis ejus, adversatio*

versatio in domo dei ejus. Ad prophetam quod attinet] Nempe falsum prophetam, cujus facta mentio versu præcedente. Hebr. *Propheta*. Nominativus absolute positus. Laqueus aucupis] Quasi laqueus aucupis. Id est, insidias tendit ut seducat. Metaphora. In omnibus viis ejus] Scil. Ephraimi: hoc est, Ephraimitarum Deo adherentium. Adversatio] Id est, adversans.

9 In profundissimam &c.] Verto, Profundè corruerunt se sicut diebus Gibhæ. Hebr. *Profundaverunt*, corruerunt secundum dies Gibhæ. Id est, Sicut olim se corruerunt Gibeonitæ: ut narratur Jud. 19. Recordabitur] Scil. Dominus. Verto, Idcò recordabitur. Recordabitur iniquitatis eorum] Id est, puniet iniquitatem eorum. Metonymia effecti destinati, & ἀνδρὶ ὑποπλάθεια. Animadvertet] Verto, Visitabit. Scil. in ira: id est, puniet. Synecdoche. Dicens] Hoc supplementum videtur omitendum.

10 Tanquam uvas in deserto inveneram Jisraële m] Sunt verba Dei. Sensus est, Quum adoptavi mihi populum Israëliticum in populum peculiarem, tam jucundus mihi fuit, quam sunt uvæ quas viator invenit in deserto: & quam jucunda vescentibus sunt ficus præcoces. Jisraëlem] Populum Israëliticum. In principio ipsius] Quum primò producit fructus in anno. nam ficus quotannis bis producit fructus suos. Majores] Hebr. *Patres*. Ipsi] Verto, Sed ipsi. Venerunt] Iverunt. Ad Bahalpehorrem] Idolum Moabitarum. Vide Num. 25. Separarunt se] Scil. ad religiosè colendum. A verbo Hebraico oritur nomen *Nesiræorum*, qui vulgò *Nasaræi* nominantur. Pudendo] Scil. idolo. Hebr. *Pudori*. Metonymia formæ. Et fuerunt &c.] Verto, Et facti sunt detestabiles per amores suos. Detestabiles] Hebr. *Detestationes*. Metonymia formæ. Per amores suos] Scil. tum corporales quos exercuerunt cum mulieribus Moabiticis, tum spirituales quos exercuerunt cum idolo illarum. Hebr. *Secundum amare eorum*.

11 Ipsorum Ephraimitarum] Verto, Ad Ephraimitarum quod attinet, tanquam volucris avolabit gloria ejus. Hebr. *Ephraim*. Nominativus absolute positus. Id est, Ephraimitæ: hoc est, Israëlitæ. Metonymia efficientis, & synecdoche membri. Evolabit] Id est, celeriter auferetur numerosa soboles, quæ eis affert gloriam. Metonymia effecti. Hanc expositionem postulant verba proxima

*sequentia. Ejus*] *Hebr. Eorum. Pronomen plurale adjungitur nomi-  
mini singulari per synesin. Et ab utero*] *Verto, Aut ab utero. Sic  
mox, Aut à conceptu. Ab utero*] *Hebr. A ventre. Scil. matris.  
Synecdoche generis. A conceptu*] *Seu à conceptione. Hebr. A  
gravidatione: quâ scil. gravida redditur mulier.*

12 *Quod si educaverint filios suos*] *Id est, Si filii eorum  
non statim à partu è medio tollentur: ex collatione versus praece-  
dentis. Ita orbabo eos ut non superfit ullus*] *Hebr. Orbabo  
eos ab homine. Quin*] *Particula? hic valet Quin. Væ eis*] *Scil. erit. Id est, miseria eis accidet: cujus vi exclamabunt Væ. Met-  
onymia effecti. Quum discessero ab eis*] *Quum subtraxero eis  
gratia in meam & opem meam.*

13 *Ephraim, quemadmodum &c.*] *Verto, Ephraim est  
qua lem video Tyrum, quæ plantata est &c. In amœno habi-  
taculo*] *Et probè munito. Sed*] *Hebr. Et. Producturus est  
& c.*] *Non obstante munitione loci. Hebr. Ad educendum erit. Ad  
interfectorem*] *Ad hostes Assyrios.*

14 *Da &c.*] *Verto, Da eis, Jehova. Sed quid dabis? Da eis &c.  
Vulvam abortientem*] *Ne scilicet filios suos cogantur hosti  
dedere.*

15 *Totum malum*] *Nempe idololatria. E domo mea*] *Ex familia mea. Non pergam amare eos*] *Hebr. Non addam  
amorem eorum.*

16 *Percutietur*] *Hebr. Percussus est &c. Præteritum pro fu-  
turo, propter certitudinem eventus. Percutietur autem, scil. tan-  
quam herba quæ percutitur à calore solis. Hanc expositionem po-  
stulant verba sequentia. Metaphora, qualis Psal. 102. v. 5. Liberos  
desideratissimos uteri ipsorum*] *Hebr. Desideria ventris eo-  
rum. Periphrasis liberorum. Nulla est in Hebraeo ellipsis. Puto  
autem pro Uteri vertendum Ventris: quia sermo est de viris.  
Sic Psal. 132. vers. 11. Juravit Jehova Davidi &c. De fructu ventris  
tui ponam in folio tuo.*

17 *Spernet*] *Verto, Abjiciet. Ideo*] *Hebr. Et. Errabundi*] *Seu vagabundi.*

O B S E R-

## OBSERVAT. EX CAP. IX.

**E**X  $\psi$ .1. Quum idololatræ vident se abunda-<sup>1.</sup> *Idolola-*  
re bonis terrenis, accepta illa ferunt idolola-<sup>tra.</sup>  
triæ suæ; ac proinde eo nomine lætantur: sed val-  
de errant, quia eos propter idololatriam manent  
pœnæ divinæ. Vide Jer. 44.  $\psi$ .17.

Ex  $\psi$ .3. Qui inter idololattras habitat, vix evi-<sup>2.</sup> *Idolola-*  
tare potest quin sese moribus ac ritibus eorum <sup>tra.</sup>  
polluat.

Ex  $\psi$ .4. & 5. Magna Dei pœna est, quum pri-<sup>3.</sup> *Exercitia*  
vamus exercitiis pietatis: puta celebratione sa-<sup>pietatis.</sup>  
cramentorum à Deo institutorum. Itaq; è con-  
trario magnum Dei beneficium est, quum uti-  
frui illis licet.

Ex  $\psi$ .6. Miseriæ humanæ pars est, ignominio-<sup>4.</sup> *Sepultura.*  
sè sepeliri. Ergò è contrario felicitatis humanæ  
pars est, sepeliri honestè atq; honorificè.

Ex  $\psi$ .7. & 8. Cavendi sunt falsi prophetæ seu <sup>5.</sup> *Falsi do-*  
doctores. <sup>ctores.</sup>

Ex  $\psi$ .9. Orandus est Deus, ne nos sinat in pro-<sup>6.</sup> *Nequitia.*  
fundam nequitiam atque perversitatem inci-  
dere.

Ex vers.10. Magna est ingratitude idololatra-<sup>7.</sup> *Idolola-*  
rum, quòd obliviscentes beneficiorum Dei, à <sup>tra.</sup>  
cultu illius ad cultum idolorum desciscunt.

Ex versu 11. Numerosa soboles beneficium <sup>8.</sup> *πολυτεκνία*  
Dei est: quia hîc nominatur gloria Israëlitarum.

Ex  $\psi$ .11.12.13.14. & 16. Magna est Dei pœna, <sup>9.</sup> *Interfectio*  
quum parentes coguntur spectare interfectio- <sup>liberorum.</sup>  
nem liberorum suorum.

Ex  $\psi$ .12. ex verbis, *Væ eis quum discessero ab ipsis.* <sup>10.</sup> *Miseria*  
Sicut summa hominis felicitas posita est in con- <sup>hominis.</sup>


junctione hominis cum Deo: ita è contrario summa ejus miseria consistit in separatione à Deo. Separati autem sunt à Deo omnes increduli, quia solâ fide unimur cum Deo.

II.  
Munita  
urbes.

Ex versu 13. Fiducia non est ponenda in munitis urbibus: quia quum Deus punire vult, nihil juvant.

12.  
Sterilitas.

Ex versu 16. Sterilitas est ex numero poenarum Dei.



## CAPUT X.

**V**itis vacua est Jisraël, fructum reponit sibi; secundum multitudinem fructus sui multiplicat altaria, secundum bonum terræ suæ benefaciunt statuis.

2 Impertitur animus eorum, jam rei sunt; ille decutiet altaria istorum, vastabit statuas istorum.

3 Nunc enim dicunt, Nullus rex est nobis: nam non timemus Jehovam, & rex ipse quid facturus esset nobis?

4 Loquuntur verba execrando falso, pangendo fedus; & floret simile cicutæ judicium per porcas agrorum meorum.

5 Propter vitulas Beth-avenis formidabunt quisque habitator Schomronis: quum lugebit de eo populus ipsius, etiam atrati ejus qui de eo exsultant, propterea quod gloria ejus migraverit ab eo.

6 Etiam ipse in Assyriam deportabitur, munus regi propugnanti: pudorem Ephrajim percipiet, & erubescet Jisraël à consilio suo.

7 Exscindetur ipse Schomronis rex, similis spumæ in superficie aquarum:

8 Et succidentur excelsa Avenis, peccatum Jisraëlis, spina & tribulus assurgit super altaria eorum: & dicent ipsis montibus, Tegite nos, & collibus, Cadite super nos.

9 Inde à diebus Gibhæ peccasti Jisraël: ibi steterunt, non assequutum est eos Gibhæ bellum contra iniquos gestum.

10 In voluntate mea est, & vinciam eos: congregabuntur enim contra eos populi, vinciendo eos deducendos in duabus habitationibus ipsorum.

11 Nam Ephrajim vitula est edocta, amans triturare, quamvis ego transivissem super præstantiam colli ejus: usurus ad equitandum fuisset Ephrajimo, araturus Jehuda, occaturus Jaha-kob.

12 Seminate vobis, dicebam, ad justitiam, metite ad benignitatem, novellate vobis novale:

nam



nam tempus est quærendi Jehovam, donec veniat & perfundat vos pluviam justitiæ.

13 Arastis improbitatem, iniquitatem meritis, comeditis fructum mendacii: quia confidis viæ tuæ, multitudini potentium tuorum.

14 Quapropter exsurgit tu-

multus in populis tuis; & unaquæqueq; munitionum tuarum vastabitur, ut vastavit Schalman Arbelitida die belli: mater cum filiis collidetur.

15 Ita efficit vobis Beth-el propter summam malitiam vestram; in ipsa aurora planè excindetur rex Jisraëlis.

A N A L Y S I S C A P. X.

**H**Oc capite continetur concio Hoseæ octava: quæ ejusdem est argumenti cum proximè præcedente. Comminatur enim propheta decem tribubus pœnas Dei, propter varia peccata.

Peccata hîc commemorantur sex. (1) ingratitude erga Deum, v. 1. (2) idololatria, v. 1. 2. 5. 8. 15. (3) perjurium, v. 4. (4) impudens perseveratio in peccatis, v. 9. (5) improbitas, v. 13. (6) fiducia in potentia humana, ibidem. Ingratitudo significatur simili vitis, versu 1. Idololatria declaratur (1) ab instrumentis, v. 1. 5. 8. (2) à subjectis locis, v. 5. 8. & 15. Perjurium declaratur ex objecto federe, v. 4. Perseveratio in peccatis illustratur exemplo simili, v. 9. Improbitas (1) amplificatur antithesi causæ corrumpentis, v. 12. (2) illustratur simili arationis & messis, v. 13. Fiducia in potentia humana indicatur simpliciter, v. eod.

Atq; hæc de peccatis. Pœnæ commemorantur novem. Ex sunt: (1) destructio altarium & statuarum, v. 2. item lucorum, v. 8. (2) luctus ob captivitatem vituli aurei, versu 5. (3) pudefactio ob conpirationem cum rege Ægypti contra regem Assyriæ Salmanassarem, v. 6. (4) ademptio

regis,  $\psi$ . 3. 7. & 15. (5) anxietas maxima,  $\psi$ . 8. (6) hostilis invasio populorum extraneorum, versu 10. (7) captivitas, ibidem &  $\psi$ . 11. (8) everfio munitio-  
tionum,  $\psi$ . 14. (9) interfectio mulierum & pue-  
rorum, ibid.

Destructio altarium & statuarum amplificatur à causa efficiente principali,  $\psi$ . 2. Lucorum verò destructio amplificatur ex effectis, videlicet spinis & tribulis,  $\psi$ . 8. Luctus ob captivitatem vituli aurei amplificatur distributione è causis agentibus,  $\psi$ . 5. Pudefactio ob conpirationem indicatur simpliciter,  $\psi$ . 6. Ademtio regis amplificatur (1) ex effectis duobus, videlicet agnitione justi iudicii Dei, & agnitione miseræ regis, si maximè non esset ademtus,  $\psi$ . 3. (2) illustratur simili spumæ evanescentis,  $\psi$ . 7. (3) amplificatur ab adjuncta celebritate, quæ ipsa significatur simili exortus auroræ,  $\psi$ . 15. Anxietas significatur ex effectu, videlicet cupiditate oppressionis à montibus & collibus,  $\psi$ . 8. Hostilis invasio populorum extraneorum indicatur simpliciter vers. 10. Captivitas (1) declaratur distributione capiendorum,  $\psi$ . 10. (2) similibus tribus: puta equitationis, arationis & occationis,  $\psi$ . 11. Quorum primum illustratur dissimili afflictione temporis præteriti, ibid. Everfio munitio-  
tionum illustratur exemplo simili,  $\psi$ . 14. Interfectio mulierum & puero-  
rum per idem exemplum significatur, ibidem.

## S C H O L I A I N C A P. X.

 $\psi$ . 1.

**V**itis vacua est Jisraël ] Id est, Populus Israëliticus similis est viti vacuæ: quia scilicet coactus est dare grandem pecuniam Pulī regi Assyriæ, ne regionem ipsius vastaret: vide 2. Reg. 15. v. 20. Fructum &c. ] Verto, Veruntamen fructum reponit sibi. Id est, vives

vires recolligit, rursus ditescit, & quasi novas uvas nanciscitur. Continuatio metaphora. Reponit ] Scil. Israël: ut ostendunt verba continenter sequentia. Ne quis putet, hoc verbum referendum esse ad nomen vitis. Secundum multitudinem &c. ] Verto, At secundum &c. Secundum multitudinem fructus sui multiplicat altaria ] Id est, Divitias suas confert in exstructionem altarium: nempe contra legem Dei: qui praeceperat ut in uno tantum altari sacrificia sua offerrent, nempe eo quod erat in templo Hierosolymitano. Vide Deut. 12. v. 5. & deinceps. Secundum bonum terræ suæ ] Id est, Quo plures fruges atq; fructus percipiunt ex terra sua, propter illius bonitatem, hoc est, fertilitatem. Benefaciunt statuis ] Verto, Bonas efficiunt statuas. Bonas: id est, pulchras, pretiosas, durabiles. Est hic elegans polyptoton.

2 Impertitur ] Scil. sacrificia idolis. Animus ] Hebr. Cor. Rei sunt ] Vel, reatum contraxerunt: scil. per idololatriam. Ille ] Scil. Deus. Pronomen relativum sine nomine antecedente. Sic infra cap. 11. v. 2. Nisi pronomen hoc referendum sit ad verba illa, Deus meus, v. ult. capitis precedentis. Decutiet ] Hebr. Decolabit, vel, cervicem dissecabit. Metaphora רגל ארסין.

3 Nunc enim &c. ] Verto, Jam enim dicent, Nullus rex est nobis, quia non timuimus Jehovam. Jam: id est, mox. Scil. quum erunt in exilio. In hac significatione adverbium Jam apud bonos authores passim occurrit. Sed vox Hebraica יָמָא ferè de tempore presente intelligitur. Reperitur tamen pro mox etiam Psal. 12. vers. 6. ubi Dominus ait, Jam exurgam. Quid facturum esset nobis ] Id est, Quid prodesse posset nobis? Quasi dicant, Nihil: quippe qui ipse quoq; servituti subjectus esset. Synecdoche generis.

4 Loquuntur &c. ] Verto, Loquuti sunt verba, execrando se falso, pango fedus: idcirco florebit tanquam cicuta iudicium per porcas agrorum meorum. Sensus videtur esse: Quum pangerent fedus cum rege Assyria Salmanassare, promittentes se quotannis duros ei tributum: jurarunt falso, & perjuri facti sunt, desinentes pendere tributum, & conspirationem facientes cum rege Aegypti, 2. Reg. 17. v. 3. & 4. Idcirco curabo ut Assyrii vastent regionem ipsorum: quæ mea vindicta similis erit cicuta, id est, amara seu acerba. Execrando se ] Id est, jurando. Synecdoche membri metonymica, quâ unâ cum subjecto intelligitur adjunctum. Ju-

dicium] *Id est, vindicta: scil. mea, nempe Dei. Metonymia efficien-  
tis. Per porcas agrorum meorum] Ita ut agri mei, id est, agri  
terrae Israël, jam parati ad sementem, non conferantur: propter  
abductionem scil. populi in captivitatem.*

5 Propter vitulas] *Id est, Propter vitulum, scil. aureum il-  
lum, quem erexerat Jeroboam, filius Nebati, cultus causâ. Fortas-  
se pro <sup>וְיִטְלוּ</sup> legendum est <sup>וְיִטְלוּ</sup>: quia sequentia pronomina rela-  
tiva sunt generis masculini & numeri singularis. Et praepositio  
hic valet Propter. Quanquam videtur verti posse, Vitulis (seu vi-  
tulo) formidabunt: ut Latini dicunt, Timere alicui. Beth-ave-  
nis] *Id est, Bethelis: ut supra cap. 4. v. 15. Formidabunt quisq;  
habitor] Malim, Formidabunt habitatores: vel, Formidabit  
habitor. In Hebraeo nulla est ellipsis: sed syntaxis figurata, qualis  
in illo, Turba ruunt. Schomronis] Samariae, urbis regiae: quam  
rex Salmanassar obsedit & occupavit, 2. Reg. 17. v. 6. Tunc ergo ha-  
bitatores Samariae timuerunt vitulo illi suo, ne ab hoste auferre-  
tur. Quum] Verto, Quin. Quasi dicat, Imò (quod plus est) non  
tantum timebunt vitulo illi suo habitatores Samariae ne ab hoste  
capiatur: sed etiam de eo jam capto lugebit universus populus vi-  
tulo illi addictus. De eo] Scil. vitulo. Id est, propter eum ab hoste  
captum. Populus ipsius] Nempe ipsius vituli: hoc est, qui vi-  
tulo illi addictus est, eumq; pro deo colit. Etiam] Quasi dicat,  
Non solum populus lugebit captum illum vitulum suum: sed etiam  
sacerdotes ejus. Atrati] *Id est, sacerdotes: sic dicti (ut videtur)  
quòd gestarent vestes atras, Hebraicè אֲרָטִי: qua voce signifi-  
cari sacerdotes idolorum, patet ex 2. Reg. 23. v. 5. & Isephan. 1. v. 4.  
De eo] Propter eum. Exsultant] Hebr. Exsultabunt: id est, ex-  
sultare solent. Potest etiam verti, Exsultabant: scil. quum nondum  
esset captus. Propterea quòd &c.] Hebr. Propter gloriam ejus,  
quòd migraverit. Ejus: scilicet vituli. Migravit autem ejus gloria:  
quum ipse captus fuit, & in Assyriam translatus. Tunc enim desit  
coli pro deo: quae fuerat gloria ipsius.***

6 Ipse] *Vitulus ille aureus Bethelis. In Assyriam] Hebr. In  
Assur. Metonymia duplex: una efficientis, Assur pro Assyriis ex As-  
sure ortis: altera adjuncti, Assyrii pro Assyria, quam incolebant. Po-  
test etiam verti, Ad Assyrios. Et sic erit metonymia unica. Regi  
propugnanti] *Id est, regi Assyriae, cujus opem imploraverat rex  
Menachem,**

Menachem, 2. Reg. 15. vers. 19. Vide suprâ cap. 5. vers. 13. Alii vocem יָרֵב jaréb accipiunt ut nomen proprium. Quicquid sit, apparet sermonem hîc esse de rege Assyriæ. Pudorem Ephraïm percipiet] Scil. quia conspiratio ejus cum rege Ægypti eum fallat. Ephraïm] Id est, populus Israëliticus. Metonymia efficientis, & synecdoche membri. Et erubescet &c.] Epexegetis. Jisraël] Populus Israëliticus. A consilio suo] Malim, Propter consilium suum. Id est, Propter conspirationem suam cum rege Ægypti contra regem Assyriæ, 2. Reg. 17. v. 4. Synecdoche generis.

7 Excindetur ipsius &c.] Verto, Excindetur Samaria rex ejus, tanquam spuma in superficie aquæ. Vide locum modò allegatum: ubi narratur, quòd Salmanassar regem Samariæ, Hoseam, vinciverit & in carcere posuerit. Excindetur] Hebr. Excisus est. Præteritum pro futuro, propter certitudinem eventus.

8 Excelsa] Id est, luci & altaria in excelsis collibus posita. Metonymia subjecti. Avenis] Id est, Bethavenis, sive Bethelis. Apheresis. Peccatum Jisraëlis] Appositio. Quasi dicat, Quæ excelsa sunt peccatum Israëlitis: id est, objectum peccati, videl. idololatriæ. Metonymia adjuncti, & synecdoche generis. Jisraëlis] Populi Israëlitici. Spina & tribulus] Id est, Spina & tribuli. Synecdoche membri. Assurget] Nascetur. Heb. Ascendet. Super altaria] Dicerem, Super altaribus. Et dicent] Scil. Israëlita. Dicent montibus, Tegite nos &c.] Scil. Ex metu hostium & desperatione.

9 Inde à diebus Gibhæ peccasti &c.] Id est, Etsi jam tunc quum Gibeonita flagitiis dediti fuerunt, (ut narratur Judic. 19.) vos quoq; ceteri Israëlita similia flagitia perpetrastis; ac proinde digni fuissetis, ut æquè ac illi, gladio è medio tolleremini: tamen tunc Deus vobis pepercit. Inde à diebus Gibhæ] Id est, Inde ab eo tempore quo Gibeonita propter nefandum scelus suum, à reliquis tribubus è medio sublatis fuerunt, saltem maxima ex parte: ut narratur Judic. 20. Synecdoche generis. Peccasti] Similia peccata admisisti sceleri Gibeonitarum. Synecdoche generis. Jisraël] O popule Israëlitice. Ibi] Id est, tunc. Heterosis. Steterunt] Perstiterunt, manserunt incolumes. Scil. Israëlita. Mutatio personæ. Non assequutum est &c.] Epexegetis. Contra iniquos gestum] Id est, Gestum à reliquis tribubus contra Gibeoni-

tas. Iniquos] Malim, perversos. Id est, sceleratos seu flagitiosos. Hebr. Filios perversitatis.

10 In voluntate mea est] Verto, In desiderio meo est, ut vinciam eos. Verbum Hebraicum hic est  $\text{רָסַק}$ : quæ vox contracta est ex  $\text{רָסַקָא}$ : & est futurum à verbo  $\text{רָסַק}$ , ligavit, vincivit. Alii reddunt verbo castigandi, tanquam deducta sit vox à verbo  $\text{רָסַק}$ : sed tum oporteret scribi  $\text{רָסַקָא}$ . Ut vinciam eos] Scil. per hostes: ut sequentia verba declarant. Contra eos] Scil. Israëlitas: id est, tum decem tribus, tum etiam tribum Juda: ut percipitur è sequentibus. In duabus habitationibus ipsorum] Videl. in terra Israël, & in terra Juda. Nomen  $\text{עֵינָה}$  hic ponitur pro  $\text{עֵינָה}$ . Hanc versionem comprobat collatio versus sequentis: ubi poena Ephraimi & Juda distinctè narrantur.

11 Nam] Hebr. Et. Ephraim] Decem tribus. Vitula est] Similis est vitula. Edocta] Sive assueta. Amans triturare] Id est, Desungi cultu mei facili & ipsis jucundo. Quamvis &c.] Verto, Idcirco ego transivi super præstantiam colli ejus. Id est, Imposito jugo coëgi eum arare. Hoc est, curavi eum bonâ ex parte expilari per regem Assyriæ Tiglathpileserem. Vide 2. Reg. 15. vers. 29. Per præstantiam colli significat Israëlitas fuisse quasi pingues factos instar vitulae, h. e. ditatos. Colli ejus] Nempe vitulae illius. Huc enim referri postulat forma pronomini Hebraici, quod est generis fœminini. Usurus &c.] Verto, Sed nunc equitabo Ephraimum, arabit Juda, occabit Jacob. Id est, nunc durius illum tractabo, curando scil. ut captivus abducatur totus populus in Assyriam. Nec verò parcam Juda: sed is quoq; cogetur arare & occare: id est, molestiam sustinere à Babyloniis, qui illum captivum abducent. Minor tamen erit hæc molestia & tolerabilior, quàm decem tribuum: sicut minùs molestatur bos, quum arat & occat: quàm equus, quum equitatur, præsertim à sessore rigido. Tolerabilior autem fuit captivitas tribus Juda, quàm captivitas decem tribuum: quia illi habuerunt spem liberationis, & septuaginta annis elapsis liberati sunt: at isti nec spem liberationis, nec rem habuerunt. Occabit] Hebr. Occabit sibi. Pleonasmus.

12 Seminate vobis ad justitiam &c.] Id est, Studete bonis operibus. Dicebam] Scil. per prophetas. Confer 2. Reg. 17. v. 13. Nam] Hebr. Et. Perfundat vos pluviam justitiæ] Id est, tribuat vobis

vobis copiosam prosperitatem. *Justitia pro fructu seu premio justitiæ, per metonymiam efficientis. Sic Psal. 24. v. 5. Esa. 48. v. 18. Hebr. Et pluere faciat justitiam in vos: vel, vobis.*

13 *Araſtis &c.] Verto, Sed araſtis &c. Araſtis improbitatem &c.] Id eſt, operam dediſtis flagitiis & ſceleribus. Metitis] Verto, meſſuiſtis. Et mox, Comediſtis. Ita ut ſit ἄριστον: & verba hæc intelligantur non de pœna, ſed de peccatis. Sicut verſu precedente utrumq; de bonis operibus intelligitur: Seminare ad juſtitiam & Metere ad benignitatem. Confidis] Verto, Confiſus es. Viæ tuæ] Conſiliis & inſtitutis tuis. Metaphora uſitata. Potentium] Sive robuſtorum: ſeu deniq; heroum, id eſt, fortium bellatorum.*

14 *Quapropter] Hebr. Et. Exſurgit] Verto, Exſurget. In populis tuis] In decem tribubus. Uuaquæque munitionum tuarum vaſtabitur] Hebr. Omnes munitiones tuæ vaſtabitur. Syntaxis diſtributiva. Ut vaſtavit] Hebr. Secundum vaſtare. Schalman] Id eſt, Salmanaſſar, rex Aſſyria. Apocope. Arbelitida] Id eſt, (ait Fr. Junius) regionem Aſſyria infra Arpadum, à Salmane occupatam eâ expeditione quæ perſtringitur 2. Reg. 18. v. 34. & cap. 19. v. 13. Dicitur autem Arbelitis (ait idem) ab oppido Arbelorum, quod Darii clade apud authores celebratum eſt. Hebr. Domum (ſeu locum) Arbeli. Mater &c.] Verto, Ubi mater cum filiis collifa fuit.*

15 *Efficit] Verto, Efficiet. Hebr. Fecit. Præteritum pro futuro propter certitudinem eventus. Bethel] Id eſt, idololatria à vobis commiſſa Bethel: hoc eſt, Dominus ita vobis faciet propter idololatriam iſtam. Metonymia duplex: una ſubjecti, altera efficientis. Propter] Hebr. מַלְטָוּת. Summam malitiam] Hebr. Malitiam malitiæ. quaſi dicas, malitiam malitioſam. Genitivus adjuncti. In ipſa aurora] Id eſt, Ex improvifo & uno momento. Planè excindetur] Hebr. Exſcindendo exciſus eſt. Præteritum pro futuro: ut paulo antè. Rex Jiſraëlis] Hoſeas. 2. Reg. 17. v. 4.*

OBSERVAT. EX CAP. X.

**E**X toto capite. In populo Iſraëlitico proponitur exemplum punitæ à Deo idololatriæ, & aliorum peccatorum. I.  
Idololatria.


2. *Hominis natura.* Ex v. 1. In Israëlitis proponitur exemplum perversitatis ingenii humani: quatenus homines à Deo propter peccata sua castigati, sublatâ castigatione non solum peccata illa non omittunt, sed etiam multiplicant.
3. *Idololatra.* Ex eodem versu. Idololatræ divitias suas promptissimè ad idololatriam conferre solent.
4. *Protectores.* Ex v. 3. Qui cupiunt retinere suos reges, & alios protectores: illos necesse est timere Deum.
5. *Perjurium.* Ex versu 4. notetur exemplum puniti à Deo perjurii.
6. *Idololatra.* Ex versu 5. & 6. Quum idola sese contra vim tueri non possint: sequitur, stultos esse qui illa pro diis colunt.
7. *Potentia humana.* Ex versu 7. Qui potentiâ suâ inflantur, illi tandem justo Dei judicio velut spuma evanescent.
8. *Missæ Pontificia.* Ex versu 5. & 8. Sicut olim urbs Bethel (id est, domus Dei) propter adorationem vituli aurei rectè nominata fuit Bethaven, id est, domus iniquitatis; item Aven, id est, iniquitas: ita hodie missa Pontificia, quam illi sacrificium nominant, rectè vocatur sacrilegium: quia per eam evertitur sacrificium Christi.
9. *Perseveratio in peccatis.* Ex versu 9. Cavenda est perseveratio in peccatis.
10. *Bellum.* Ex versu 10. Bella immittuntur à Deo.
11. *Castigationes Dei.* Ex versu 11. Qui castigationibus Dei lenioribus non emendantur, illos manant castigationes graviores.
12. *Contemptus verbi Dei.* Ex versu 12. & 13. In Israëlitis proponitur exemplum contemptus verbi Dei.

Ex v. 13.



Ex versu 13. & 14. Non est confidendum in potentia humana: puta robustis bellatoribus, aut munitionibus: quia contra Deum iratum nihil juvant.

Potentia humana.



CAPUT XI.

Quia puer Jisraëlis est, & diligo eum; ideo ex Ægypto vocavi filium meum.

rent aversioni à me: quamvis ad excelsum revocent eum, pariter non exaltat.

2 Prout revocant eos; ita abeunt à conspectu illorum, Bahalimis sacrificant, & sculptilibus suffitum faciunt:

8 Quomodo exponerem te, ò Ephrajim? dederem te, ò Jisraël? quomodo disponerem te ut Adamam? ponerem te ut Tzebojima? se versat in me animus meus, simul æstuant viscera mea pœnitentiâ.

3 Quum ego assuefacio Ephrajimum, accipit illa in brachiis suis; ac non agnoscunt me curare ipsos.

9 Non perficiam æstum iræ meæ, non perdam amplius Ephrajimum: quia Deus fortis sum, ac non vir; in medio tui sanctus, non autem invasurus civitatem.

4 Funiculis humanis traho eos, densis funibus amoris, & sum eis ut qui levant jugum impositum maxillis eorum; ut admoveam ei cibum.

10 Jehovam sequentur tamquam leonem rugientem; quum ipse rugiet, tum trepidè accurrent filii inde à mari.

5 Non erat ipsi revertendum in terram Ægypti, nec Assyrius erat futurus rex ejus; sed renuerunt converti.

11 Trepidi accurrent ut avicula ex Ægypto, & ut columba è terra Assyriæ; & collocabo eos in domibus ipsorum, dictum Jehovæ.

6 Denique quum residet gladius in civitatibus ejus, & consumit membra ejus, devoratque; propter consilia eorum;

7 Populus meus suspensi hæ-

ANALYSIS CAP. XI.

Hoc capite continetur concio Hoseæ nona: cujus duæ sunt partes principales. In priore exostulat Deus cum Israëlitis ob ingratitude- nem pro ipsius beneficiis: ac proinde minatur eis captivitatem Assyriacam, septem primis ver-

sibus. In posteriore promittit efficacem vocati-  
onem quorundam ex illis, futuram tempore ex-  
hibiti Christi,  $\psi$ . 8. & seqq.

## DE PRIMA PARTE.

Beneficia commemorantur quinque: (1) ado-  
ptio in populum peculiarem,  $\psi$ . 1. (2) eductio ex  
Ægypto, ibidem. (3) revocatio ab idololatria per  
prophetas,  $\psi$ . 2. & 7. (4) deductio commoda per  
desertum,  $\psi$ . 3. (5) præbitio alimentorum,  $\psi$ . 4.  
Ingratitudo posita fuit in peccatis: quæ hîc com-  
memorantur quatuor: (1) contemptus propheta-  
rum,  $\psi$ . 2. (2) idololatria, ibidem. (3) consilia pra-  
va,  $\psi$ . 6. (4) pertinacia in apostasia,  $\psi$ . 5. & 7. Ca-  
ptivitas indicatur,  $\psi$ . 5. Amplificatur autem duo-  
bus modis: (1) à dissimili,  $\psi$ . 5. (2) ab adjunctis an-  
tegressis duobus: videl. cædibus & everfione ur-  
bium,  $\psi$ . 6.

## DE SECUNDA PARTE.

Promissio partim amplificatur, partim decla-  
ratur, partim confirmatur. Amplificatur anti-  
thesi causæ corrumpentis, videlicet meriti Israë-  
litarum: ut qui meriti sint  $\pi\alpha\nu\omicron\lambda\epsilon\theta\epsilon\iota\alpha\nu$ ,  $\psi$ . 8. Decla-  
ratur autem à causa impulsiva, videlicet constan-  
tia Dei in servandis promissis: quæ ipsa illustratur  
antithesi,  $\psi$ . 9. Confirmatur autem promissio ab  
authoritate promittentis, in fine versus 11. Porro  
ipsamet vocatio efficax, quæ promittitur, decla-  
ratur quinque modis. (1) antithesi actionis hosti-  
lis, in fine versus noni. (2) à causa instrumentali,  
videl. prædicatione evangelii per Christum fa-  
cienda: quæ significatur simili rugitus leonis,  
 $\psi$ . 10. (3) ab objectis: id est, personis vocandis: qui  
sunt

sunt electi, & significantur nomine filiorum, versu 10. Distribuuntur autem personæ illæ è subjectis locis ubi degebant. quæ indicantur tria, v. 10. & 11. (4) à causa sine qua non, videl trepidâ conscientiam vocandorum, iisdem versibus. (5) ab effectu, videlicet tranquillitate conscientiam, quæ significatur per tranquillam habitationem, in fine versus 11.

## SCHOLIA IN CAP. XI.

**Q**uia puer &c. ] *Verto, Quum puer esset Israël, dilexi eum: & ex Ægypto vocavi filium meum. Sensus est: Quum populus Israëliticus degeret in Ægypto, & recens cœpisset fieri ingens populus, dilexi eum tanquam filium meum primogenitum; ac proinde ex dura illa servitute, qua in Ægypto premebatur, eum vocavi atq; liberavi per Mosen: idq; quum rex eos dimittere recusaret, per interfectionem primogenitorum, atq; adeò primogeniti ipsius regis. Confer Exod. 4. v. 22. & 23. Hanc expositionem postulat collatio versus sequentis: qui cõtinet antithesin ingratitudeis populi Israëlitici pro isto beneficio, & continuatione illius: qua Deus illũ ex Ægypto eductũ, & in idololatriam prolapsum, subinde per prophetas revocavit. Interim hæc verba habent & alium sensum, nempe mysticum: futurum scilicet ut Deus filium suum unigenitum, Jesum Christum, fugã, quum adhuc puer esset, in Ægyptum translatum, inde cessante periculo in Judæam revocaret, & ibi populum suum per illum è servitute peccati, per Ægyptiacam illam præfiguratã, liberaret. Hanc expositionem affert Matthæus evangelista, cap. 2. versu 15. Huic similis est expositio verborum quæ leguntur Exod. 13. v. 46. Et os ne confringatis in illo. quæ verba apud Mosen de agno Paschali loquuntur, & mandatum continent, pertinens ad rationem edendi illius. Attamen apostolus Johannes, ubi narrat, Christo in cruce pendentem non esse confracta crura, allegat hæc verba, & dicit tunc impleta esse: unde liquet, eum verba ista interpretari tanquam continentia prophetiam de Christo, Johan. 19. v. 33. & 36.*

2 Prout revocant &c. ] *Verto, Prout revocarunt eos, ita*

E

abierunt à conspectu illorum: Bahalibus sacrificarunt, & sculptilibus suffitum fecerunt. Revocarunt] Scil. propheta subinde ad eos missi. Verbum indicativum absq. nomine antecedente. Sic supra cap. 10. v. 2. Item revocarunt, scil. ab idololatria. Hebr. Vocarunt. Eos] Israëlitas: quorum facta mentio versu precedente sub nomine Israëlitis.

3 Quum ego &c.] Verto, Ad me verò quod attinet, incessus meus ad Ephraimum accommodatus fuit: (accepit eos super brachia sua) sed non agnoverunt, me sanavisse ipsos. Sensus est: Quum eduxissem populum Israëliticum ex Ægypto, eumq. ducere per desertum, duxi eos commodè per praeuentem columnam nubis: & quasi super brachiis meis gestavi eos, ut gestari solent infantes: sed illi non agnoverunt, me ipsos salvos atq. incolumes in terram promissam introduxisse. Confer Exod. 19. v. 4. Deut. 32. v. 11. & 12. Nunc singulas voces versionis à me allatae declarabo. Ad me verò quod attinet] Hebr. Et ego. Nominativus absolute positus. Dicuntur autem haec per antithesin: quasi dicat, Dixi quid beneficii propheta contulerint in Israëlitas: nunc dicam, quid ego ipse immediatè beneficii in eos contulerim. Incessus meus] Hebr. תַּרְבִּילַי. Quae vox est ἀπαξ λεγόμενον: quippe quae nusquam alibi reperitur. Est autem nomen deductum à nomine פֶּדַת, id est, pes. Itaq. sonat, quasi dicas, Pedatio mea. Ad Ephraimum accommodatus fuit] Ellipsis verbi relati. Confer Genes. 33. vers. 14. Ephraimum] Id est, populum Israëliticum. Accipit eos &c.] Verba prophetae, per parenthesin inserta, & adhibita ad declarandum praecedentia. Sed] Hebr. Et. Me sanavisse ipsos] Hebr. Quòd sanavi ipsos. Id est, Quòd salvos & incolumes duxi per desertum. Metaphora. Confer Deut. 8. v. 4.

4 Funiculis humanis traho eos] Pro, traho, verto, traxi: & ita deinceps, Fui eis &c. Item, Et admovi, &c. Funiculis humanis] Hebr. Funibus hominis. Id est, quibus solet trahi homo. Genitivus subjecti. Jugum] Id est, capistrum. Metaphora יָגוּם אֲנִי. Hanc autè expositionem postulant verba sequentia, Impositum maxillis eorum. Etenim maxillis animalium capistrum imponi solet, non autem jugum. Impositum maxillis] Hebr. Quod erat super maxillis eorum. Et admovi] Hebr. Et inclinabo. Sed quia proximè praecessit praeteritum, Fui: hinc quoq. praeteritis

præteriti significatio retinetur. Admovi ei cibum] Quem non poterat capere, dum maxillis capistrum impositum fuit.

5 Non erat &c.] Verto, Non revertetur in terram Ægypti; sed Assyrius, is erit rex ejus: quia renuerunt reverti. Sensus est: Populus Israëliticus non premetur tali servitute, quali pressus fuit in Ægypto, sed duriore in Assyria. Non revertetur] Scil. Ephraim: ex versu 3. Non revertetur in terram Ægypti] Id est, Non premetur tali servitute, quali olim pressi fuerunt majores eorum in Ægypto. Synecdoche membri metonymica: quâ unâ cum causâ intelligitur effectum. Sed] Hebr. Et. Assyrius] Rex Assyriæ. Heb. Assur. Erit rex ejus] Subjugabit eum, & captivum abducat. Reverti] Scil. ad me: quum à me revocarentur per prophetas: ex collatione versus secundi.

6 Denique &c.] Verto, Idcirco residebit gladius in civitatibus ejus, & consumet vectes ejus atq; devorabit: &c. Idcirco] Hebr. Et. Residebit] Seu, manebit. In hac significatione verbum שׁוּב (quod aliàs dolere significat) reperitur etiam 2. Sam. 3. v. 29. & Jerem. 23. v. 19. Gladius] Nempe gladius hostilis. Propter consilia eorum] Nempe consilia perversa de imploranda ope Ægyptiorum. Vide 2. Reg. 17. v. 4.

7 Suspensi hærent] Latini dicerent, in prosa quidem, Suspensus hæret. Synesis. Hebr. Suspensi sunt ad aversionem meam. Aversio Dei hîc dicitur, quâ homines se avertunt à Deo. Quidam ut simile conferunt illud, Esa. 56. v. 7. Latificabo eos in domo orationis meæ: id est (inquiunt) quæ mihi fit. Sed ibi pronomen affixum regitur à nomine domo: itaq; vertendum est, In domo mea orationis: hoc est, orationi destinata. Sicut Psal. 2. vers. 6. Unxi regem meum super montem sanctitatis meum: id est, super montem sanctum meum. Quamvis revocent] Hebr. Et vocabunt. Id est, vocare solent. Ad excelsum] Ad Deum. Revocent] Scil. propheta, à cultu idolorum. Pariter non exaltat] Scil. ullus eorum, Jehovam. Hebr. Exaltabit. Id est, exaltare solet.

8 Quomodo exponerem te] Si scil. tractare te vellem pro merito. Exponerem autem: scil. hosti: ex collatione membri sequentis. Hebr. Quomodo dabo. Et sic deinceps. O Ephraim] O popule Israëlitice. Sic mox, O Israëel. Disponerem] Malum, redderem, vel efficerem. Hebr. darem. Ut Admam] Scil. subvertendo

te. Vide Deut. 29. v. 23. Tzebojima] Vide loco modo allegato. Se versat &c.] Verto, Sed vertit se in me cor meum. Æstuant viscera mea pœnitentiâ] Verto simpliciter, Æstuant viscera mea. Hebr. Pœnitudines meae: id est, commiserationes meae: h. e. viscera mea. Metonymia duplex: una effecti, altera adjuncti. Sic autem rectè explicatur hæc phrasis ex collatione Genes. 43. v. 30. & 1. Reg. 3. v. 26.

9 Non perficiam] Verto, Ideo non perficiam. Hebr. Non faciam. Non perdam amplius] Epexegeſis. Hebr. Non revertar ad perdendum. Ad perdendum.] Id est, interneccione delendum: sicut scilicet perdidisti civitates, quarum mentio facta versu precedente. Ephrajimum] Populum Israëliticum. Deus fortis] Verto simpliciter, Deus. Deus sum: ac proinde constans in promissis. Vir] Malim, homo: propter antithesin. Synecdoche speciei. Homines autem inconstantes saepe sunt in promissis. In medio tui sanctus] Ac proinde sanctificans aliquos ex vobis: qui me ut sanctum reverentur & colunt. Non autem &c.] Verto, Ideo non invadam civitatem. Id est, Non delebo vos interneccione, ut facere solet hostis, qui vi armata expugnavit civitatem qua sese dedere noluit. Synecdoche generis. Hebr. Non ingrediar in civitatem.

10 Jehovam sequentur] Nempe electi Israëlitæ sequentur ut ducem (hoc est, doctorem) Christum exhibitum. Hebr. Post Jehovam ibunt. Tanquam leonem &c.] Verto, Qui tanquam leo rugiet. Id est, clara voce prædicabit evangelium. Tum] Hebr. Et.

11 Trepidè accurrent] Sicut catuli leonum accurrere solent, quum audiunt rugitum matris. Hebr. Trepidabunt. Sic vers. seq. Filii] Nempe filii Dei: i. e. electi. Inde à mari] A finibus orbis terrarum. Collocabo eos in domibus ipsorum] Id est, dabo eis tranquillam conscientiam. Hebr. Habitare faciam eos &c.

## OBSERVAT. EX CAP. XI.

I.  
Ingratitudo erga Deum.

**E**X parte prima. In decem tribubus proponitur exemplum punitæ à Deo ingratitude nis erga ipsum, ac in primis idololatriæ.

Ex v. 1.

Ex  $\psi$ .1. notanda est pars argumenti quo probatur, Jesum illum Nazarenum, Mariæ virginis filium, esse Christum seu Messiam: quia scilicet Deus eum vocavit ex Ægypto, sicut per educationem populi Israëlitici ex Ægypto præfiguratum fuit.

<sup>2.</sup>  
Jesum esse  
Christum.

Ex  $\psi$ .2. ex verbis, *Prout revocant eos &c.* Item ex  $\psi$ .5. ex verbis, *Sed reverterunt converti.* Item ex  $\psi$ .7. ex verbis, *Quamvis ad excelsum revocent eum.* Quum Deus nos per ministros verbi à peccatis nostris revocat: cavere debemus ne illam revocationem contemnamus, & securè in peccatis nostris pergamus: quia Deus talem contemptum suo tempore vindicat.

<sup>3.</sup>  
Contemptus  
verbi Dei.

Ex  $\psi$ .3. & 4. In gubernatione populi Israëlitici qua Deus illum duxit per desertum in terram optimam, fluentem lacte & melle, proponitur exemplum bonitatis atque benignitatis Dei.

<sup>4.</sup>  
Dei boni-  
tas.

Ex parte secunda. In gubernatione illa populi Israëlitici, qua Deus illum non, ut meritis erat, punivit  $\pi\alpha\nu\omicron\lambda\epsilon\theta\epsilon\iota\alpha$  seu universalis internecione: sed eum in exilio Assyriaco conservavit, & tempore Christi exhibiti multos ex iis per Evangelii prædicationem efficaciter vocavit, proponitur rursus exemplum bonitatis atque benignitatis Dei.

<sup>5.</sup>  
Dei boni-  
tas.

Ex  $\psi$ .9. ex verbis, *Deus sum, ac non vir:* item ex verbis, *In medio tui sanctus:* notandum est testimonium de constantia Dei in servandis promissis, atq; ita de natura Dei verace.

<sup>6.</sup>  
Dei vera-  
citas.

Ex  $\psi$ .10. Sicut rugitus leonis efficax est ad

<sup>7.</sup>  
Evangelii  
prædicatio.


congregandum catulos in speluncam: ita prædicatio Evangelii efficax est ad congregandum electos in Ecclesiam.

8.  
Evangelii  
prædicatio.

Ex versu 10. & 11. Prædicatio Evangelii congiungi debet cum hortatione ad pœnitentiam, & denuntiatione æternæ damnationis eventuræ impœnitentibus: ut electi hoc modo trepidare incipiant ex conscientia peccatorum, ac proinde accurrant ad Christum, tanquam peccatorum ipsorum expiatorem. Vide exemplum Johannis Baptistæ, Matth. 3. v. 7. & seqq. Item exemplum Christi, Matth. 4. v. 17.

9.  
Vocatio ef-  
ficax.

Ex versu 11. ex verbis, *Collocabo eos in domibus ipsorum*. Vocationis efficacis, atque ita fidei justificantis, effectum est tranquillitas conscientiæ. Vide Rom. 5. v. 1.



## CAPUT XII.

**C**ircumdederunt me mendacio Ephrajimitæ, & dolo domus Jisraëlis; quando Jehuda adhuc dominabatur cum *Deo* forti, & cum sanctis fidelis erat.

2 Ephrajim depascens ventum, & persequens Eurum, toto die mendacium & vastitatē multiplicat: nam ubi fedus cum Assyrio pangunt, unguentum in Ægyptum deportatur.

3 Etiam disceptatio est Jehovæ cum Jehuda; qui animadversurus in Jahakobum secundum vias ejus, secundum actiones ejus reddet ei.

4 In ipso utero calcaneum tenuit fratris sui; & robore suo prin-

cipem se gessit cum Deo:

5 Principem, inquam, se gessit cum angelo, & potentia valuit, flevit & supplex oravit eum; Beth-ele invenit eum, & ibi loquutus est nobiscum.

6 Atqui Jehova deus exercituum, Jehova est memoriale ejus.

7 Tu ergo ad deum tuum convertere; benignitatem & judicium observa, & expectationem habe in deo tuo jugiter.

8 Mercator est, in manu ejus sunt lances dolosæ: opprimere amat.

9 Ac dicit Ephrajim, Utique ditatus sum, assequutus sum opes mihi;



mihî; omnes labores mei non sufficiunt mihi, iniquitatis pœna est illi cui peccatum est.

10 Et ego Jehova deus tuus inde à terra Ægypti; adhuc facerem ut sedes in istis tentoriis, ut diebus solennitatis?

11 Et loquens per ipsos prophetas ego visionem multiplicarem; & per prophetas ipsos proponerem similitudines?

12 An in Galhade iniquitas, tantummodo vanitas fuerunt? in Gilgale tantum boves sacrificant? etiam altaria istorum sunt tan-

quam acervi per porcas agtorum meorum.

13 Illuc fugerat Jahakob ex agro Syriæ; quum servivisset Jisraël propter uxorem, & propter uxorem custodivisset gregem.

14 Huc quoque per prophetam adduxit Jehova Jisraëlem ex Ægypto, quum per prophetam servatus esset.

15 Provocavit Ephraïm indignationem amarissimam; ideò cædes ejus in eum expandit, & opprobrium ejus reddit ei dominus ipsius.

### A N A L Y S I S C A P. X I I.

**H**Oc capite continetur concio Hoseæ decima: in qua Dominus per prophetam conqueritur de peccatis tum decem tribuum, tum tribus Judæ: eoque nomine pœnam illis comminatur. Inserit autem promissionem gratiosæ vocationis per Evangelium. Porro distribui potest hæc concio in octo membra: quorum primo conqueritur Dominus de decem tribuum hypocrisi, idololatria, & fiducia in federibus cum populis exteris, duobus primis versibus. Secundo conqueritur propheta de tribu Judæ: eiq; unà cum decem tribubus minatur pœnam Dei, v. 3. Tertio narrat, quomodo Jacob operam dederit ut obtineret gratiam Dei: eoque exemplo eos hortatur ad pœnitentiam, à v. 4. usque ad 8. Quarto conqueritur de illorum avaritia & fraudibus, v. 8. & 9. Quinto promittit eis vocationem gratiosam per Evangelium, v. 10. & 11. Sexto rursus conqueritur de ipsorum idololatria, v. 12. Septimo in memoriam, eis reducit tum obscu-

ram ipsorum originem, tum beneficia in majores ipsorum à Deo collata, *ψ*. 13. & 14. Octavo conqueritur de ipsorum ingratitude, rursusque pœnam Dei ipsis minatur, *ψ*. 15. I. Hypocri-  
 in Israëlitarum significat ex effectu, videl. gestu circumdationis, vers. 1. Idololatriam eorundem amplificat antithesi perseverantiæ tribus Judæ in recto cultu Dei, ibidem. Federa cum exteris populis indicat in specie duo: eaque amplificat ab eventu molesto duplici, videlicet frustratione spei, & vastitate: quarum illam significat similitudine à vento, *ψ*. 2. II. Querela de Juda indicatur uno verbo: pœna verò quam cunctis tribubus minatur, illustratur ab adjuncta justitia, *ψ*. 3. III. Studium Jacobi in obtinenda gratia Dei significatur ex effectis duobus, nempe ex duabus illius actionibus: quarum prima fuit, quòd in partu tenuit calcaneum fratris, *ψ*. 4: altera, quòd luctatus est cum filio Dei, nec illum antè dimisit quàm impetraret ab eo benedictionem, *ψ*. 4. & 5. Hanc autem benedictionem amplificat (1) ab adjuncta illius iteratione quæ facta fuit Bethelle, *ψ*. 5. (2) ab adjuncta ejusdem continuatione: quam significat ex Dei promittentis natura tum verace tum omnipotente, *ψ*. 6. Exhortatio ad pœnitentiam partim confirmatur, partim declaratur. Confirmatur ab eventu utili, videl. beneficiâ Dei: quod argumentum latet in verbis, *Deum tuum*, *ψ*. 7. Declaratur autem ex partibus duabus: videlicet benignitate atque justitiâ erga proximum, & spe erga Deum, ibidem. IV. Avaritiam Israëlitarum partim declarat, partim am-

tim am-

tim amplificat. Declarat partim ex objecto, circa quod illam exercebant, videlicet mercaturâ, v. 8: partim ex effectis duobus, adhibitione lancium dolosarum, & studio per fraudem opprimendi emtores, ibidem. Amplificat autem avaritiam illam ab adjuncta professione tum continuationis fraudium, tum innocentia: quam probant ex eventu, videl. omissione pœnæ divinæ, v. 9. V. Promissionem gratiosæ vocationis per Evangelium confirmat à pari, videl. præstita redemptione ipsorum ex Ægypto, & sequuta continuatione beneficentiæ erga ipsos, v. 10. Ipsam autem vocationem illam significat similib. duobus: uno, habitationis Israëlitarum in tentoriis tempore itineris per desertum, v. 10: altero, alloquutionis eorum per prophetas, v. 11. VI. Querela de idololatria, quam hîc repetit, constat comparatione parium, quòd scil. tam illi Israëlitæ qui cis Jordanem habitabant, idololatriæ operam navent, quam fecerunt illi qui trans Jordanem habitabant in Gilhade, & in Assyriam à rege Tiglath-pilefere captivi fuerant abducti. Hæc querela proponitur per prolepsin, qua cisjordaneni Israëlitæ solis transjordanenis idololatriam tribuebant: v. 12. VII. Obscuram Israëlitarum originem significat propheta ex adjunctis casibus duobus, qui Jacobo ex quo ipsi orti fuerant, acciderant: videlicet servitute apud socerum Labanem, & fugâ ab illo propter ejus avaritiam quam erga ipsum exercuerat. Quæ duo narrantur ordine inverso, v. 13. Beneficia autem in majores ipsorum à Deo collata narrantur

duo: eductio illorum ex Ægypto per Mosen, & conservatio per eundem in deserto, versu 14. VIII. Ingratitudo Israëlitarum pro modo commemoratis Dei beneficiis significatur per speciem, videl. oppressionem pauperum, quæ significatur vocabulo sanguinum seu cædium: & amplificatur ex effectis duobus: videlicet indignatione Domini gravissima, & pœnis ab eo inferendis, v. 15.

## SCHOLIA IN CAP. XII.

¶. I. **C**ircumdederunt me] *Scil. tanquam culturi me. Synecdoche generis. Mendacio] Per hypocrisin. Ephrajimitæ] Hebr. Ephrajim. Metonymia efficientis: & synesis. Et dolo] Idem reperitur aliis verbis. Dolo] Simulatione colendi me. Synecdoche generis. Domus] Familia, populus. Quando] Hebr. Et. Jehuda] Tribus Judæ. Adhuc dominabatur] Id est, adhuc strenuè se gerebat (ait Fr. Junius) in cultu Dei: non autem ferebat ut iniquitas, quam Deus damnat, dominaretur sibi. Cum Deo forti] Verto simpliciter, Cum Deo. Scil. conjunctus: id est, adherens Deo, tanquam marito suo. Cum sanctis] Nempe cum sanctis patribus. Fidelis] Constans in vero cultu Dei, ad quem sese obligaverat.*

2 Ephrajim] *Decem tribus. Metonymia efficientis, & synecdoche membri. Depascens &c.] Verto, Pascitur vento & persequitur Eurum. Id est, Spem suam collocat in rebus vanis quæ non poterunt eum juvare: puta in idololatria & federibus cum exteris regibus. Allegoria metaphorica. Mendacium] Falsam religionem. Synecdoche generis. Vastitatem] Illam ipsam falsam religionem, quæ vastitatem ei allatura est. Metonymia effecti. Multiplicat] Hebr. Multiplicabit. Id est, multiplicare solet. Nam ubi &c.] Verto, Nam sedus cum Assyrio pangunt, & oleum in Ægyptum deportant. Nam] Hebr. Et. Cum Assyrio] Cum rege Assyriæ. Vide supra cap. 5. v. 13. & cap. 7. v. 11. Hebr. Cum Assure. Metonymia efficientis, & metonymia adjuncti, nec non metonymia subjecti: Assur pro Assyriis, Assyrii pro Assyria, Assyria pro*

rege Assyria. Pangunt] Hebr. Secabunt: id est, secant. De hac phrasi vide Scholia mea in Genes. 15. v. 18. Unguentum] Scil. pretiosum & fragrans. Hebr. Oleum. Metonymia materiae. In Ægyptum] Ut offeratur regi Ægypti pro munere ad impetrandum illius favorem ac fedus. Deportatur] Scil. ab Israëlitis. Heb. Deportabitur.

3 Etiam] Hebr. Et. Disceptatio] Lis. Cum Jehuda] Cum tribu Juda. Qui animadversurus &c.] Verto, Et visitabit Jacobum. Visitabit] Scil. cum ira. Synecdoche generis. Hebr. Ad visitandum erit. Jacobum] Posteris Jacobi, tam tribum Judæ quam reliquas tribus. Secundum vias ejus] Prout meritus est viis (id est) actionibus suis. Metaphora. Nempe actionibus malis. Synecdoche generis. Secundum actiones] Epexege sis.

4 In ipso utero] Scil. materno: quum inde exiturus esset per partum. Hebr. In ventre. Metonymia subjecti. Calcaneum tenuit] Scil. Jacob. Ellipsis antecedentis. nam nomen Jacob in versu precedenti accipitur alio sensu, nempe pro posteris Jacobi. Hac autem actione Jacobi divinitus significatum fuit, illum retenturum fratrem ne jure primogeniti frueretur. Vide Gen. 25. v. 26. Fratris sui] Esavi. Principem se gessit] Scil. luctando. Vide Genes. 32. vers. 24. Cum Deo] Cum filio Dei. Synecdoche generis. Hac expositio confirmatur per versum sequentem, ubi hic idem nominatur angelus: quod nomen & alibi filio Dei tribuitur. Vide Gen. 48. versu 16.

5 Inquam] Hebr. Et. Potentiâ valuit] Verto, prevaluit. Hebr. Valuit. Synecdoche generis. Flevit] Nempe Jacob. Supplex oravit eum] Nempe ut sibi benediceret. Bethel invenit eum] Nempe angelus ille Jacobum. Vide Genes. 35. Invenit eum] Apparuit ei redeunti ex Padane Syria, Genes. 35. versu 9. Loquutus est nobiscum] Nempe inclusis adhuc in lumbis patrum nostrorum: promittens nobis terram Chanaan. Ibid. vers. 12. Synecdoche generis.

6 Atqui] Hebr. Et. Jehova deus &c.] Verto, Jehova est deus exercituum. Id est, summus imperator ac dominus, cui sancti angeli, atq; adeo omnes creaturae militant. Videtur innuere, Jehovam sicut præstitit promissionem de danda ipsis terra Chanaan pro omnipotentia sua: sic pro eadem omnipotentia præstitu-

rum etiam alia quæ promisit, puta conservationem in terra Chanaan, si obederint mandatis ejus. Memoriale ] Nomen quod populo ipsius in memoriam revocat potentiam & veracitatem ejus. Hebr. Memoria. Metonymia finis.

7 Tu ergò ] Tu Ephraim. Id est, Vos decem tribus. Hebr. Et tu. Ad deum tuum convertere ] Hebr. Revertêris: id est, revertitor, redeundo in viam rectam per seriam poenitentiam. Deum tuum ] Qui tecum fedus pepigit, in quo amplas promissiones tibi dedit. Quasi dicat: Si hoc feceris, tum Jehova pro sua omnipotentia præstabit tibi promissiones reliquas. Benignitatem &c. ] Epexegetis. Judicium ] Verto, jus.

8 Mercator est ] Verto, Sed mercator est Ephraim. Alii, Chananeus est. Sed voce  $\text{מַרְכָּאָ}$  hinc significari mercatorem, planum evadit è sequentibus. Et in hac significatione vox ista passim occurrit: ut videre est Job 41. vers. 6. aliàs 40. v. 25. Proverb. 31. vers. 24. Esa. 23. vers. 8. Tsephan. 1. vers. 11. Lances dolosæ ] Hebr. Lances doli. Genitivus adjuncti. Opprimere ] Scil. per fraudem, in negotiando.

9 Ephraim ] Israëlitæ. Assequutus sum ] Vel, acquisivi. Hebr. Inveni. Opes ] Hebr. Robur. Metonymia adjuncti. Nisi vocula  $\text{אֵין}$  sit posita pro vocula  $\text{אֵין}$ : ut literæ  $\text{אֵין}$  inter se permutteri solent. Omnes ] Verto, Veruntamen omnes. Labores mei ] Opes meæ laboribus partæ. Metonymia efficientis. Cujus exempla passim occurrunt: ut videre est Deut. 28. vers. 33. Job 39. v. 14. Psal. 78. v. 46. & 109. 11. Ezech. 23. v. 29. Vox Hebræa propriè significat laborem quo quis defatigatur. Græcè  $\text{κῆρα}$  &c. Non sufficiunt mihi ] Quasi dicant, Nihil morati reprehensiones prophetarum, studebimus mercaturâ nostrâ amplius ditescere. Hebr. Non invenient mihi. In hac significatione verbum  $\text{אֵין}$  reperitur etiam Num. 11. v. 22. Jos. 17. v. 16. Jud. 21. v. 14. Iniquitatis poena ] Malim simpliciter, poena. Hebr. Iniquitas. Metonymia efficientis: quæ in hac voce  $\text{אֵין}$  passim occurrit: ut videre est Genes. 4. v. 13. Genes. 19. v. 15. Thren. 4. v. 6. Poena est illi cui peccatum est ] Sic ratiocinantur:

Cui peccatum est, illi poena quoque est.

At nobis non est poena.

Nobis

Nobis igitur non est peccatum: nempe in negotiatione nostra.

Sed syllogismi hujus propositio universaliter & de quovis tempore intellecta, falsa est. Deus enim pœnas saepe differt.

10 Et ego &c.] Verto, At ego sum Jehova deus tuus inde à terra Ægypti: ideo adhuc faciam ut habites in tentoriis, sicut diebus conventus. Et loquar per prophetas, & ego visionem multiplicabo: & per prophetas proponam similitudines. Sensus est, Et si vos propter peccata vestra abdicabo, & sinam vos in captivitate Assyriaca perpetuò teneri: tamen suo tempore (nimirum tempore exhibitionis Christi) vos iterum redimam, sed redemptione spirituali, per prædicationem apostolorum donando vos fide in Christum. Nostri duos hos versus reddiderunt per interrogationem quæ habet vim negandi; quasi neget Dominus, se illis amplius benefacturum, ut fecerat antehac. Sed hanc interpretationem respuunt verba illa, Ego sum Jehova deus tuus inde à terra Ægypti: quibus indicatur causa impulsiva sequentium. Nunc particulatim versus istos exponam: expositione applicatâ ad versionem à me allatam. At] Hebr. Et. Inde à terra Ægypti] Id est, Inde ab illo tempore quo eduxi te ex terra Ægypti, liberans te à dura servitute, & fedus tecum pangens. Adhuc faciam ut habites in tentoriis] Id est, Adhuc redimam te: sicut te redemi ex Ægypto, feci, ut in deserto habitares in tentoriis. Sicut diebus conventus] Quibus scilicet convenire soliti fuerunt patres vestri in deserto apud sacrum tabernaculum ad colendum Deum: quod tabernaculum ab hoc usu dictum fuit tentorium conventus.

11 Loquar] Vobis: id est, posteris vestris. Per prophetas] Id est, per apostolos & alios Evangelii ministros. Metaphora: qualis Joël 2. v. 28. Sic deinceps. Et per prophetas] Hebr. Per manum prophetarum, hoc est, per ministerium eorum. Metonymia efficientis, & synecdoche generis *אֶלְאֶחְסִינָה*.

12 An in Gilhade &c.] Verto, An in Gilhade tantum iniquitas est? an ibi tantum vanitas fuerunt? an in Gilgale tantum boves sacrificant? Imò etiam &c. Sensus est: An dicetis, populares solum vestros qui Gilhadem inhabitabant, & per Tiglathpileserem regem Assyriæ captivi abducti sunt, falsæ religionis crimine teneri: vos autem ab eo immunes esse? Imò vos quoque eodem

crimine tenemini. An] Hebr. **אִם**. Id est, Si. Hic est interrogantis: sicut Job 6. v. 5. Et sic Græci quoque utuntur conjunctione *εἰ*. In Gilhade] Regione trans Jordanem sita, ubi habitabant tribus Ruben, tribus Gad, & tribus dimidia Manassis. Iniquitas] Falsa religio. Synecdoche generis. Vanitas] Id est, vanissimi in colendo Deo. Metonymia formæ, & synecdoche generis. In Gilgale] Confer supra cap. 2. v. 15. & cap. 9. v. 15.

13 Illuc fugerat &c.] Etsi interpretatio hujus versus primâ fronte, si cum Hebræo textu conferatur, contortior videtur: tamen eam postulare videntur partim vocabulum agri, partim coherentiæ cum versu præcedente, ubi facta est mentio Gilhadis. Illuc] Scil. In Gilhadem. Vide Genes. 31. v. 21. Hebr. Et. Ex agro Syriæ] Ubi pascebat gregem Labanis socii sui: & quod evocaverat uxores suas, ut eis propositum fugæ suæ indicaret, Genes. 31. vers. 4. & seqq. Syriæ] Hebr. Aram. Metonymia duplex: una efficientis, altera adjuncti. Aram pro Aramæis, id est, Syris: & Syri pro Syria. Quum servivisset] Hebr. Et serviverat. Jisraël] Qui modo dicitur Jacob. Propter uxorem] Malim, Pro uxore: ut notetur merces. Et propter &c.] Epexegetis. Custodivisset gregem] Ellipsis nominis relati.

14 Huc quoque &c.] Verto, Postea per prophetam ascendere fecit Jehova Israëllem ex Ægypto, & per prophetam custoditus ille fuit. Fr. Junius nomen prophætæ in priore membro exponit de Josua: sed textus hanc expositionem respuit: quia loquitur expressè de propheta per quem populus Israëliticus ex Ægypto eductus fuit. Is autem fuit Moses. Jisraëlem] Populum Israëliticum. Custoditus] Scil. in itinere per desertum. Sicut oves custodiuntur à pastore. Confer Psal. 77. v. 21.

15 Provocavit &c.] Verto, Provocavit Ephraim dominum suum ad indignationem amarissimam: ideo ille cades ejus super ipsum expandet, & opprobrium ejus ipsi reddet. In Hebræo vox domini trajecta est ad finem versus. Ephraim] Decem tribus. Dominum suum] Deum. Amarissimam] Hebr. Cum amaritudinibus. Ideo] Hebr. Et. Cades] Hebr. Sanguines. Metonymia subjecti. nam in sanguine effundendo cades occupatur: & numerus pluralis notat dispersionem sanguinis & multiplicationem in guttulas, quæ in cade fere accidit. Sic Genes. 4. vers. 10. Vox sanguinum



guinum fratris tui &c. Per sanguines autem sive cedes hic intelligitur pœna Dei propter illas Israëlitis inferenda, per metonymiam efficientis. Expandit ] Verto, Expandet: ut est in Hebræo. Sic mox, Reddet. Opprobrium ejus] Scil. quo alios affecit. Ex analogia membri præcedentis. Genitivus efficientis. Id est, pœnam illius opprobrii. Metonymia efficientis.

OBSERVAT. EX CAP. XII.

**E**X vers. 1. Exemplo decem tribuum mone-  
mur, nihil novi esse, si illi qui à vera religio-  
ne ad falsam deficiunt, idololatriæ suæ hypocri-  
sin adjungunt: ut videmus hodie fieri à Papistis.

I.  
Apostasia.

Ex v. 2. Fiducia non est collocanda in fede-  
ribus, præsertim cum impiis: quia qui id faciunt,  
spe sua frustrari solent.

2.  
Federa.

Ex v. 3. Pœnæ Dei justæ sunt: quia infligun-  
tur ex merito.

3.  
Pœna Dei.

Ex v. 4. & 5. Exemplo Jacobi operam dare de-  
bemus, ut impetremus atque obtineamus gra-  
tiam Dei.

4.  
Gratia Deo.

Ex v. 5. In Jacobo proponitur exemplum ex-  
auditæ à Deo piæ precatationis.

5.  
Preces.

Ex versu 6. notetur testimonium de Dei po-  
tentia.

6.  
Dei potentia.

Ex v. 7. Consideratione promissionum divi-  
narum moveri debemus ad pœnitentiam.

7.  
Pœnitentia.

Ex eodem versu. Fructus veræ pœnitentiæ est  
benignitas erga proximum, & justitia: item spes  
in Deo.

8.  
Pœnitentia.

Ex v. 8. In mercatura cavendæ sunt fraudes.

9.  
Mercatura.

Ex v. 9. Errant qui putant se esse absq; culpa,  
si non statim à Deo propter fraudes suas pu-  
niantur.

10.  
Fraudes.

Ex v. 10. & 11. In Deo promittente Israëlitis

11.  
Dei bonitas.

vocationem gratiosam per Evangelium, proponitur exemplum bonitatis ejus: qua in magna turba reprobatorum sibi reservat aliquos electos.

12.  
Pœna divina.

Ex v. 12. Errant qui putant se innocentes esse, quum vident se nondum puniri sicut alios.

13.  
Modestia.

Ex v. 13. Sicut Israëlitæ recordatione originis suæ retineri debuerunt in modestia: ita facere debēt omnes homines, recordantes nimirum se ortos esse ex primis parentibus peccato pollutis atq; corruptis.

14.  
Scripta  
Mosis.

Ex v. 14. Quum Moses fuerit propheta eximius: scripta ejus in summo pretio habenda sunt.

15.  
Pauperes.

Ex v. 15. Deus oppressionem pauperum gravissimè offenditur: ac proinde tales oppressores suo tempore punit.

### CAPUT XIII.

Quum eloqueretur Ephraïm tremorem; *eum* excitabat ipse in Jisraële; sed simul ac reatum obiit cum Bahale, mortuus est.

2 Nunc verò pergunt peccare, & parant sibi fusione ex argento suo pro intellectu suo terricula, opus artificum quodque: de quibus isti dicunt, Homines qui sacrificant, vitulos osculantur.

3 Idcirco sunt ut nubes matutina, & veluti ros mâne stillans qui abit; ut gluma turbine abrepta ex area, & velut fumus ex camino fumino.

4 Atqui ego sum Jehova deus tuus inde à terra Ægypti; & Deum præter me non expertus es, ac servator nullus est præter me.

5 Ego agnovi te in ipso deserto, in terra torridissima.

6 Prout erant pascua eorum, saturati sunt; simulac saturati sunt, elatus est animus eorum: idcirco obliti sunt mei:

7 Et fui eis tamquam vetus leo, velut pardus in via contemplatus sum:

8 Occurri eis ut ursus orbatus, & laceravi præcordia eorum; exedi que eos ibi ut immanis leo, ut bestia agrestis diffindens eos.

9 Perdidit te, ô Jisraël; quum in me, in auxilio tuo, *staturus* esses.

10 Ubi est rex tuus? ubinam est? is serset ergo te in omnibus civitatibus tuis; ubi vindices tui,  
de qui-

de quibus dixeris, Da mihi regem & principes?

11 Dō tibi regem in ira mea, & recipio furore meo.

12 Servatur in faculo iniquitas E hrajimi, reconditum est peccatum ejus:

13 Dolores parturientis evenient ei: ipse filius est insipiens, nam tanto tempore non maneret in ore matricis.

14 E potestate sepulcri redimam eos, à morte vindicabo eos: ubi sunt pestes tuæ, ô mors? ubi

exitum tuum, sepulcrum? pœnitentia absconsa ab oculis meis.

15 Nam ipse inter fratres fructificabit; postquam veniente Euro vento Jehovæ è deserto ascendente, exaruerit scaturigo ejus & exsiccatu fuerit fons ejus, illo d. r. p. i. e. n. t. e. t. h. e. s. a. r. u. m. o. m. n. i. u. m. i. n. s. t. r. u. m. e. n. t. o. r. u. m. d. e. s. e. r. a. b. i. l. i. u. m.

16 Postquam desolata fuerit Schomron quod rebellavit contra deum suum; gladio ceciderunt, parvuli eorum collisi fuerint, & prægnautes eorum diffusæ.

### A N A L Y S I S C A P. XIII.

**H**Oc capite continetur concio Hoseæ undecima: in qua ampliùs conqueritur Dominus per prophetam de peccatis decem tribuum, & propter illa pœnas eis comminatur: inserit tamen promissionem redemptionis spiritualis electorum. Peccata commemorantur sex: (1) superbia, v. 1. & 6. (2) idololatria, v. 1. 2. (3) ingratitude erga Deum, v. 6. (4) fiducia collocata in rege, v. 9. (5) dilatio pœnitentiæ v. 13. (6) rebellio contra Deum, v. 16. Pœnæ commemorantur item sex: (1) subitaneus interitus, v. 3. (2) ademptio regis, v. 10. 11. (3) anxietas, v. 13. (4) spoliatio per regem Assyriæ, v. 15. (5) desolatio Samariæ, v. 16. (6) cædes, ibidem. Promissio autem inserta est v. 14. & initio decimi quinti. Cæterum commemoratio peccatorum sic tractatur. I. Superbia significatur ex effectis tribus: (1) minis ad subditos, (2) tremore subditorum, v. 1. & (3) oblivione Dei, v. 6. II. Idololatria declaratur (1) à specie, v. 1. (2) ab instrumentis, v. 2. Amplificatur au-

F

tem ab adjunctis duobus: (1) à continuatione, in principio versus 2: (2) à professione, in fine ejusdem versus. III. Ingratitudo erga Deum significatur simili à bove faginato recalcitrante, *ψ*. 6. IV. Fiducia collocata in rege declaratur partim ex effectu, videlicet perditione: partim à contrario, videl. fiducia collocanda in Deo, *ψ*. 9. V. Dilatio pœnitentiæ significatur simili infantis moram nectentis in partu, *ψ*. 13. VI. Rebello contra Deum indicatur simpliciter, *ψ*. 16. Atque sic tractatur commemoratio peccatorum. Pœnarum verò commemoratio sic tractatur. I. Subitaneus interitus significatur atq; illustratur similibus quatuor, *ψ*. 3. II. Ademptio regis declaratur partim ex eventu, videl. destitutione opis à rege, *ψ*. 10: partim è causa efficiente principali, videl. ira Domini, *ψ*. 11. III. Anxietas amplificatur simili, in principio versus 13. IV. Spoliatio per regem Assyriæ illustratur & amplificatur simili duplici, *ψ*. 15. V. Desolatio Samariæ indicatur simpliciter, *ψ*. 16. VI. Cædes declarantur partim ab instrumento, partim ab objectis, versu eodem. Porrò promissio bimembris est: (1) excitationis à morte ad vitam æternam, *ψ*. 14. (2) pietatis seu studiū bonorum operum, *ψ*. 15.

## SCHOLIA IN CAP. XIII.

*ψ*. I. **Q**Uum eloqueretur] *Scil. antequam coleret Bahalem: ex collatione membri sequentis.* Ephraim] *Reges in tribu Ephraim. Synecdoche integri.* Tremorem] *Id est, minas quibus tremefaceret subditos, qui detrectarent obedientiam. Metonymia effecti.* Eum] *Scil. tremorem.* Excitabat] *Hebr. Attollebat, seu efferebat.* In Jisraële] *In decem tribubus.* Sed] *Heb. Et. Simulac &c.] Hebr. Reatum obiit cum Bahale, & mortuus est. Copulativum*

pulativum enuntiatum valet relativum temporis. Reatum obiit cum Bahale] Vel, reatum contraxit per Bahalem. Nimirum colendo illum pro Deo. Mortuus est] Amisit auctoritatem suam: ita ut non amplius tremefaceret subditos. Metaphora. nam ut Græcorum proverbio dicitur, ὁ νεκρὸς ἔδ' ἀκνεί, Mortuus non mordet.

2 Pergunt] Hebr. Addunt. Peccare] Scil. colendo idola. Synecdoche generis. Et parant &c.] Epexegeſis. Verto autem, Faciunt sibi fusiles imagines ex argento suo, & pro intellectu suo idola, quæ cuncta opus fabrorum sunt: interim de istis ipsi dicunt, Homines qui sacrificare volunt, vitulos osculantur. Fusiles imagines] Hebr. Fusionem. Metonymia efficientis. Idola] Hebr. Dolores. Metonymia effecti: quia idola cultoribus suis afferunt dolores. Quæ cuncta &c.] Hebr. Opus fabrorum omne istud. Homines qui sacrificare volunt] Hebr. Sacrificantes hominum. Genitivus partitivus: qualis in illo, Nigræ lanarum. Et nomen 𐤀𐤍𐤃 hic accipitur collectivè. Sic Proverb. 3. v. 28. Vitulos] Nempe duos illos vitulos aureos, à primo rege Jeroboamo erectos, 1. Reg. 12. vers. 28. Osculantur] Adorant, demissè colunt. Metonymia adjuncti, vel effecti destinati: qualis Genes. 41. versu 40. 1. Reg. 19. versu 18. Job 31. versu 27.

3 Sunt] Verto, erunt: ut est in Hebræo. Ut nubes matutina] Vide Schol. sup. cap. 6. vers. 4. Hebr. Nubes mâne, seu matutini temporis. Genitivus subjecti. Mâne stillans] Hebr. Matutinans, seu mâne surgens. Metaphora. Abiit] Evanescit, consumtus calore solis. Turbine abrepta] Hebr. Quæ turbine abripietur: id est, abripi solet. Ex camino summo] Hebr. Ex cataracta seu fenestra.

4 Inde à terra Ægypti] Ex eo tempore quo eduxi te ex Ægypto. Non expertus es] Hebr. Non cognosces: id est, non cognoscebas. Vel, Non cognoscere debebas.

5 Agnovi te] Id est, curam tui gessi, præbendo tibi cibum & potum. Metonymia efficientis: qualis Psal. 1. v. 6. In ipso deserto] Per quod iter fecisti, quum exivisses ex Ægypto. In terra torridissima] Appositio, & epexegeſis. Hebr. In terra inflammationum. Id est, quæ ex aestu solis quasi inflammatur. Genitivus adjuncti.

6 Prout erant pascua eorum] *Id est, Prout in terram hanc introduci, abundarunt cibo & potu, eoq<sup>3</sup> optimo. Metaphora ab ovibus pascentibus: cuius respectu populus Israëliticus passim nominatur grex pascui Dei, ut Psal. 74. v. 1. Psal. 79. v. 13. Psal. 100. v. 3. Ezech. 34. v. 31. Item populus pascui Dei: ut Psal. 95. v. 7. Hebr. Secundum pascuum eorum, & saturati sunt. Ubi conjunctio copulativa nihil aliud agit, quam ut annectat consequens enuntiati antecedenti. Simulac saturati sunt, elatus est animus eorum] Sicut in cantico suo futurum prædixerat Moses, Deut. 32. vers. 15. Hebr. Saturati sunt, & elatum est cor eorum. Copulativum enuntiatum valet relativum temporis. Obliti sunt mei] Sic supra cap. 8. versu 14.*

7 Et] *Id est, Ideo. Fui] Malim, factus sum. Fui eis tanquam vetus leo] Id est, (ait Fr. Junius) invasi eos & tractavi duriter. Hoc autem videtur referendum ad invasionem hostilem Tiglath-Pileseris, regis Assyriæ: de qua narratur 2. Reg. 15. vers. 29. Contemplatus sum] Hebr. Contemplabor. Sed quia proximè præcedit præteritum, etiam hoc suscipit significationem præteriti. Et alioqui futurum sæpe habet significationem præteriti imperfecti.*

8 Orbatus] *Scil. catulis suis. Præcordia] Hebr. Clausuram cordis. Ibi] In ea parte regionis quam invasit & occupavit Tiglath-Pileser. Ut bestia &c.] Verto, Bestia agrestis diffidit eos. Id est, Assyrii gladiis suis diffiderunt eos. Metaphora. Bestia agrestis] Hebr. Bestia agri. Genitivus subjecti. Diffidit] Hebr. Diffidet. Futurum suscipit significationem præteriti propter præterita proximè præcedentia.*

9 Perdidit te] *Scil. rex tuus, cuius mentio fit versu sequente. Hoc est, fiducia quam posuisti in rege tuo. Metonymia subjecti. Quum &c.] Verto, Sed per me, per auxilium tuum, servatus fuisses. Sed] Hebr. <sup>וְ</sup> pro <sup>אֲנִי</sup> <sup>וְ</sup>. Per auxilium tuum] Appositio. Sensus est: Per me, qui sum auxiliator tuus. Metonymia effecti. Servatus fuisses] Hoc supplementum peto ex versu sequente, ubi de rege populi Israëlitici dicitur, Servet te ergo.*

10 Ubi] *Hebr. <sup>וְ</sup> <sup>אֲנִי</sup> <sup>וְ</sup>: quæ vox omnino videtur hîc posita esse pro voce <sup>אֲנִי</sup>. Nam verbum ERO ita absolutè positum, nec consequentiæ sermonis congruit, nec sensum aliquem convenientem gignit.*

gignit. Et in hac significatione vox eadem accipitur paulo post versu 14: interprete apostolo Paulo 1. Corinth. 15. v. 55. Ubi est rex tuus? ] Quasi dicat, Nusquam est: cares jam rege. Sic mox, Ubi vindices tui? Loquitur autem de re paulo post futura, tanquam de presente, propter certitudinem eventus. Is fervet ergo ] Hebr. Et servabit. Ubi vindices tui ] Verto, Et ubi sunt iudices tui? Per iudices autem intelliguntur hic ipsi reges: ut percipitur è proxime sequentibus. Dixeras ] Scil. temporibus Samuelis. Vide 1. Reg. 8. v. 5.

11 Do &c. ] Verto, Dabam tibi regem in ira mea: & auferam illum in furore meo. Dabam ] Hebr. Dabo. Regem ] Nempe Saulem, 1. Reg. 10. In ira mea ] Vide 1. Sam. 8. v. 6. Auferam ] Hebr. Accipiam. Illum ] Quem scilicet nunc habes. Is autem erat Hoseas, filius Ela. Vide 2. Reg. 17. v. 1. & deinceps.

12 Servatur in fasciculo ] Hebr. Colligata est. Ephrajimi ] Decem tribuum. Reconditum ] Scil. apud Deum: ut in lucem proferat suo tempore, nempe quum Israëlitis pœnam infliget.

13 Evenient ] Hebr. Venient. Insipiens ] Hebr. Non sapiens. Maneret ] Hebr. Staret. Non maneret ] Sed citò erumperet, ne vires amittente matre pariente enecaretur. Id est, non differret pœnitentiam. In ore matricis ] Hebr. In fractura filiorum. Sic nominatur os matricis, quia diffringitur, id est, cum difficultate aperitur quum infans in partu erupturus est. Metonymia adjuncti: & genitivus efficientis.

14 E potestate &c. ] Verto, Attamen è potestate &c. Potestate ] Hebr. Manu. Metonymia effecti destinati metaphorica. Ubi sunt ] Verto, Dicendo, Ubi sunt. Est autem hæc interrogatio insultantis: quasi dicat, Nusquam sunt. nam ego è medio sustuli eas. Pestes tuæ ] Id est, quibus tu perdebas populum meum. Sic mox, Exitium tuum: quod tu afferebas populo meo. Pœnitentia &c. ] Verto, Pœnitentia abscondetur ab oculis meis. Id est, non pœnitebit me hujus promissionis.

15 Ipse ] Ephraim. Inter fratres ] Inter reliquos Israëlitas, atq; adeo inter vocatos ex gentibus. Fructificabit ] Feret fructus bonorum operum. In Hebræo est paronomasia inter voces אֶפְרַיִם & יְפֵרִי. Postquam veniente &c. ] Verto, Veruntamen veniet Eurus, ventus Jehovæ è deserto ascendens, & exarescet

scaturigo ejus, & exsiccabitur fons ejus: ille diripiet &c. Veniet] Scil. antequam præstent illam promissionem redemptionis. Eurus] Hostis vehemens, nempe rex Assyria Salmanassar. Exarscet scaturigo ejus] Nempe Ephraimi: id est, decem tribuum. Id est, facultatibus seu opibus suis spoliabitur. Ille] Scil. rex Assyria, Euro comparatus. Ille decipiet] Epexegetis. Instrumentorum desiderabilium] Hebr. Vasorum desiderii. Genitivus adjuncti.

16 Postquam desolata fuerit] Verto, Desolabitur Samaria, quia rebellavit contra deum suum: gladio cadent, parvuli eorum collidentur, & pregnantes eorum diffidentur. Desolabitur Samaria] Complementum hujus comminationis vide 2. Reg. 17. versu 6.

## OBSERVAT. EX CAP. XIII.

1.  
Pœna di-  
vina.

EX toto capite. In decem tribubus proponitur exemplum pœnarum divinarum propter varia peccata. Quapropter si similes pœnas evitare velimus, similia peccata vitare nos oportet.

2.  
Idololatra.

Ex v. 2. ex voce *Dolores* qua in Hebræo nominantur idola. Quum idola cultoribus suis tantum dolores afferant, sequitur stultos esse qui ea colunt.

3.  
Invocatio.

Ex v. 4. Solus verus Deus servare nos ex malis nostris potest. Quare solus à nobis invocandus est.

4.  
Bona ter-  
rena.

Ex v. 6. Cavendum ne abundantiam bonorum terrenorum abutamur ad superbiam & oblivionem Dei. Vide exemplum Sodomitarum, Ezech. 16. v. 49.

5.  
Reges &  
principes.

Ex v. 9. & 10. Fiducia non est collocanda in regibus & principibus. Confer Jer. 17. v. 5.

6.  
Pœna di-  
vina.

Ex v. 12. & 13. Etsi Deus peccatores non è vestigio punit: tamen pœnas illis debitas quasi colligatas

ligatas



ligatas recondit: ut eas impœnitentibus suo tempore immittat. Quare pœnitentia non est procrastinanda.

Ex versu 14. notetur testimonium de resurrectione carnis, & in specie de excitatione piorum ad vitam æternam.

7.  
Resurrectio  
carnis.

Ex versu eodem ex verbis, *Pœnitentia abscondetur ab oculis meis.* Dei decreta immutabilia sunt.

8.  
Dei decreta.

~~~~~

CAPUT XIV.

**C**onvertere Jisraël, usque ad Jehovam deum tuum; quando corruisti propter iniquitatem tuam.

2 Sumite vobiscum verba, & revertimini ad Jehovam: dicite ei, Omnem condona iniquitatem, & acceptum confer bonum, & rependemus juvencos labiis nostris.

3 Assyrius non potest servare nos, equo non vehemur, neq; dicemus amplius, O deus noster, operi manuum nostrarum: quia per te misericordiam consequitur pupillus.

4 Curabo aversionem eorum, amabo eos benevolentia, quum averfa fuerit ira mea ab eo.

5 Ero velut ros Jisraëli, flore-

bit ut liliū; & propagabit radices suas ut Libanicæ arbores.

6 Diffundent se teneri rami ejus, eritq; quasi oliva decus ejus: & odor ejus quasi Libani.

7 Revertentur sessuri in umbra ejus, in vitam producent ut frumentum, & efflorescent tamquam vitis: memoria ejus fragrabit ut vinum Libani.

8 Ephrajim, quid mihi amplius cum terriculis? ego exaudiam & contemplabor eum, ego sum tamquam abies virens, ex me fructus tuus præstò est.

9 Qui est sapiens intelligat ista, intelligens etiam agnoscat ista: nam rectæ sunt viæ Jehovæ, & justī ambulabunt in eis, defectores autem impingant in eis.

ANALYSIS CAP. XIV.

**H**oc capite continetur concio Hoseæ duodecima: in qua tria agit. Primùm hortatur decem tribus ad conversionem: simulq; eos instituit, qua ratione illam debeant testatam facere, tribus primis versibus. Deinde introducit lo-

quentem Dominum, eisque promittentem benedictionem suam, à v. 4. usque ad 9. Postremò hortatur eos propheta ut propositam ipsis institutionem diligenter perpendant, & exsequantur. I. Hortatio ad conversionem confirmatur à causis impulsivis duabus: promissione Dei, & pœna quam sustinebant, v. 1. Institutio continet duo ab illis facienda: precationem & confessionem peccatorum. Precatio continet duo membra: petitionem remissionis peccatorum, & petitionem beneficentiæ, v. 2. Confirmatur autem hæc precatio ab effectu utili, videl. laudibus Dei quas promittunt, ibidem. Peccata quæ confitentur, tria sunt: (1) fiducia in rege Assyriæ ab ipsis collocata, (2) fiducia collocata in equis, (3) fiducia collocata in idolis: v. 3. Hanc confessionem confirmant professione spei suæ quam collocent in misericordia Dei, ibid. II. Benedictio quam Dominus decem tribubus promittit, indicatur duplex: donatio pœnitentiæ & beneficentia ex gratuito amore profecta, v. 4. Hæc utraque benedictio declaratur ex causa procreante, videl. remissione peccatorum, ibidem. Beneficentia autem & felicitas inde efficienda illustratur variis similibus, v. 5, 6, 7. & 8. Pœnitentia etiam declaratur ex effectu, videl. contentu idolorum, in principio versus octavi. III. Hortatio posterior confirmatur partim ab effectu utili, videl. laude sapientiæ: partim à causa impulsiva, nempe rectitudine præceptorum Dei, v. 9. Observatio autem præceptorum Dei illustratur antithesi transgressionis eorundem, & effectus noxii transgressionis illius, ibidem.

SCHO.

## SCHOLIA IN CAP. XIV.

**C**onvertere] *Vel, Revertere.* Jisraël] *O popule Israëlitice.* V. R.  
 Quando] *Vel, quia.* Propter iniquitatem tuam]  
*Præpositio* ⌌ *hic valet Propter.*

2 Verba] *Id est, preces: ut declarant sequentia. Synecdoche generis.* Condone] *Hebr. Tolles: id est, tollito, seu auferto: nempe à nobis: non imputando scil. nobis iniquitates nostras.* Accipitum confer bonum] *Vel, Da bonum. Scil. nobis. Hebr. Accipe bonum. Synecdoche membri metonymica: quâ unâ cum effectu destinato intelligitur finis. Sic Exod. 25. v. 2. & Psal. 68. v. 19. Juvencos] Id est, laudes, Hebr. 13. v. 15. Metaphora à sacrificiis eucharisticis.* Labiis nostris] *In Hebræo deficit præpositio* ⌌.

3 Assyrius] *Rex Assyria. Confer supra cap. 12. v. 2. Hebr. Assur. Vide Scholion loco modo allegato.* Non potest servare nos] *Hebr. Non servabit nos.* Equo] *Id est, equis. Hebr. Super equo.* O deus noster] *Vel, Deus noster es. Sunt autem hæc verba trajecta.* Operi manuum nostrarum] *Idolis. Periphrasis à causa efficiente, instituta ad contemptum.* Quia] *Vox* כִּי *hic valet Quia.* Pupillus] *Id est, pupilli: hoc est, homines humanâ ope destituti. Synecdoche speciei.*

4 Curabo &c.] *Verba Dei. Sed verto, Sanabo.* Benevolentia] *Verto, Voluntariè. Hebr. Cum spontaneitate.* Quum] *Verto, Nam.* Ab eo] *Scil. Israële, ex v. 1.*

5 Ero velut ros Jisraëli] *Id est, recreabo eum, ut vires recolligat.* Jisraëli] *Populo Israëlitico.* Propagabit] *Hebr. Percutiet.* Ut Libanicæ arbores] *Verto, Ut Libanus. Id est, ut arbores Libani. Metonymia subjecti. Nulla hic est in Hebræo ellipsis. Sic deinceps.*

6 Diffundent se] *Vel, expandent se. Vel, prodibunt. Hebr. Ibunt. Metaphora.* Teneri rami] *Hebr. Sugentes: genere fœminino. Metaphora.* Oliva] *Verto, olivæ, genitivo casu: sic postulante ipsâ sententiâ, & collatione membri sequentis. Olivæ autem arboris decus sunt tum frondes, tum imprimis fructus, nempe baccaë olivarum.* Odor ejus] *Verto, Odor ei erit. Quasi Libani] Qualis est odor Libani: nempe odor suavis, qualem reddit thus, quod nascitur in monte Libano. Mons ille dictus est* לְבָנוֹן *lebanón*

à nomine לבונה lebonáh, quo significatur thus: quia abundat arboribus thuriferis. Et ab eodem nomine apparet deductam esse vocem Græcam λιβανος, qua thus significatur. Errant itaq; Grammatici Græci, qui eam deducunt à verbo λιβω, id est, stillo.

7 Revertentur ] Scil. Israëlita. Sessuri in umbra ejus ] Scil. Jehovæ, ex versu 2. Id est, Recreabunt se sub protectione Dei: sicut qui ex calore solis æstuant, sese recreant in umbra abietis. Sic declaratur hæc metaphora versu sequente. In vitam producent ] Scil. liberos. Ut frumentum ] Id est, in magna copia. Adverbium similitudinis rectè suppletur tum è sententia ipsa, tum ex collatione membri sequentis. Memoria ejus ] Verto, Odor cujusq; eorum. Voce ריח hinc significari odorem, ex ipsa sententia planum est: & in affini significatione reperitur vox cognata ריח, nempe pro suffitu, Num. 5. v. 26. Item verbum ריח pro adolere, significatione nimirum mutuata à nomine ריח: Esa. 66. versu 3. Pronomen autem singularis numeri hinc accipitur distributive: quia initio versus præcessit numerus pluralis. Fragrabit ut vinum ] Si vox ריח reddatur odor, tum mollius supplebitur verbum substantivum, hoc modo, Erit ut vini Libani. Id est, talis qualis est odor vini quod nascitur in Libano: nimirum suavissimus.

8 Ephrajim ] Suppleo, dicet. Cum terriculis ] Verto, Cum idolis. Hebr. Cum doloribus. Metonymia effecti. Ego ] Scil. Jehova. Exaudiam ] Scil. precantem ad me, ex versu secundo. Contemplabor eum ] Accuratè considerabo quibus rebus egeat: ut illas ei suppeditem. Synecdoche generis. Hanc expositionem postulat verbum proximè præcedens. Sum ] Pro Sum suppleo Ero: sic postulante analogiâ membri præcedentis. Ero autem, scil. Ephraimo: id est, talem me ei exhibebo. Tanquam abies virens ] Id est, protegam eum & recreabo eum contra æstum calamitatum quibus premetur: sicut abies umbra sua protegit & recreat contra æstum solis. Ex me ] Id est, me procurante. Fructus tuus ] Quem scil. feres tanquam oliva & tanquam vitis: ex versu 6. & 7. Id est, felicitas tua. Præsto est ] Verto, Præsto erit. Hebr. Invenitur. Sed est participium presentis temporis, מְשֻׁבָּח. Participia autem presentis temporis apud Hebræos suscipiunt interdum significationem futuri.

9 Qui est sapiens &c. ] Verto, Quis est sapiens? Is intelligat ista.

*ista. Quis intelligens? Is agnoscat ista. Elegans loquendi genus: ubi interrogatio & subjecta responsio equipollent enuntiato connexivo, cujus antecedens sumitur ex interrogatione, consequens ex responsione, ut hic: Si quis est sapiens, is intelligat ista: & si quis est intelligens, is agnoscat ista. Similia exempla vide Psal. 34. versu 13. & 14. Psal. 107. versu 43. Viæ Jehovæ] Id est, præcepta Jehovæ de viis, id est, actionibus hominum. Metaphora, & metonymia subjecti. Justi] Pii, justitiæ studiosi. Defectores] Sive transgressores: id est, qui solent securè transgredi præcepta Dei. Impingant in eis] Verto, Impingent in eas. Ut non sit imprecatio, sed narratio. Hanc autem versionem postulat antithesis.*

OBSERVAT. EX CAP. XIV.

**E**X tribus primis versibus. Conversio seu pœnitentia salutaris consistit in agnitione peccatorum, fide remissionis illorum, & relatione gratiæ per studium bonorum operum.

1. Pœnitentia.

Ex v. 4. 5. 6. 7. & 8. Quibus Deus remisit peccata, eos prosequitur variis benedictionibus.

2. Remissio peccatorum.

Ex v. 9. Is demum verè sapiens est, qui agnoscit, Deum esse beneficum erga pœnitentes & confugientes ad misericordiam ipsius, studentesque referre ei gratiam per observationem mandatorum ejus.

3. Sipientia.

## ANALYSIS JOELIS.

## ARGUMENTUM LIBRI.

**H**Oc libro continentur duæ conciones prophetæ Joëlis, quas habuit ad tribum Judæ: quarum prima habetur capite primo, altera reliquis duobus. Agit autem quatuor. Primò objurgat Judæos propter ipsorum stuporem atque socordiam, quòd non sentiebant pœnas Dei quibus premebantur, cap. 1. Secundò minatur eis pœnas graviores, cap. 2. usque ad vers. 12. Tertiò hortatur eos ad publicam peccatorum confessionem, seriam pœnitentiam, & preces publicas, à versu 21. cap. 2. usque ad 18. Quartò & postremò promittit pœnitentibus tum corporalia, tum spiritualia, beneficia Dei, à versu 18. cap. 2. usque ad finem libri.

## CAPUT I.

**V**erbum Jehovah, quod fuit ad Joëlem filium Pethuëlis.

2 Audite hoc, ô seniores, & auribus percipite omnes habitatores hujus terre; an fuit hoc temporibus vestris, aut etiam temporibus majorum vestrorum?

3 De hoc filiis vestris narrate; & filii vestri filiis suis, & filii illorum generationi posteræ.

4 Reliquum crucæ comedit locusta: & reliquum locustę comedit melolontha; ac reliquum

melolonthæ comedit bruchus.

5 Expergiscimini ebriosi ac flete, ac ejulate omnes vini potores; propter mustum, quòd excisum sit ex ore vestro.

6 Gens enim ascendit super terram meam, robusta & innumera; cujus dentes dentes sunt leonis, cui molares immanis leonis sunt:

7 Disponens vites meas in vastitatem, & ficus meas in clavum: omnino nudavit eas, ac dejecit, albi evaserunt botri illarum.

8 Ejula,

8 Ejula, ut virgo accincta cilio propter maritum adolescentiæ suæ.

9 Factum est ut succideretur munus & libamen à domo Jehovæ; lugent sacerdotes, ministri Jehovæ:

10 Vastatus est ager, luet terra: quia vastatur frumentum, exarescit mustum, languet oleum.

11 Erubescunt agricolæ, ejulant vittores propter triticum & propter hordeum; quia periit mellis agri,

12 Quia vitis exaruit, & ficus elanguit: malus Punica, etiam palma & malus, omnes arbores agri arent, quia exaruit gaudium è filiis hominum.

13 Accingite vos & plangite ò sacerdotes, ejulate ministri altaris, ingredimini, pernoctate in ciliciis, ministri dei mei: quia cohibetur à domo dei vestri munus & libamen.

14 Indicite jejunium, proclamate diem interdicti, congregate seniores & omnes habitatores

terræ in domum Jehovæ dei vestri: & clamate ad Jehovam, dicentes,

15 Eheu diei isti; nam propinquus est dies Jehovæ; qui similis vastationi ab omnipotente advenit.

16 Nonne coram oculis nostris cib⁹ excinditur; è domo Dei nostri lætitia, & exultatio?

17 Mucida facta sunt sata sub glebis suis, desolata sunt horrea, destructa granaria; quoniam exaruit frumentum.

18 Quàm ingemiscit jumentum! perplexa sunt armenta boũ, è quòd nullum sit pascuum eorum! etiam greges ovium desolantur!

19 Ad te, ò Jehova, clamo; quia ignis consumsit habitacula deserti, & flamma inflammavit omnes arbores agri.

20 Etiam bestiarum agri quæque glocitat te versus; è quòd exaruerint alvei aquarum, & ignis absumserit habitacula deserti.

A N A L Y S I S C A P. I.

**H**Oc capite cõtinetur prima concio Joëlis: in qua tria agit. Primùm cõmemorat, quanta damna hætenus Judei acceperint partim à variis insectis, partim ab æstu solis, usq; ad v. 13. Deinde hortatur sacerdotes, ut indicant jejunium, & famem ingruentẽ deprecentur, v. 13. & 14. Postremò redit ad commemorationem præsentium malorum, versu 15. & seqq. Huic concioni præmittitur titulus seu inscriptio libri, v. 1. ubi indicatur tum author harũ concionum, tum minister.

Damna quæ in prima & tertia parte commemorantur, sunt decem: videl. (1) defectus vini, (2) defectus ficuum, (3) defectus olei, (4) defectus malorum Punicorum, (5) defectus dactylorum, (6) defectus malorum, quæ poma vulgò nominamus, (7) defectus tritici, (8) defectus hordei, (9) defectus graminis, (10) defectus aquæ. Ex his sex prima sunt species fructuum arboreorum: septimum & octavum sunt species frumenti. Cæterùm concio incipit à *περὶ σφωμῆσεαι*, in principio versus secundi: qua hortatur propheta ad attentionem. Ipsa autem damna variè declarantur, illustrantur, & amplificantur. Ac primùm amplificantur universa ab adjunctis duobus: videl. ab insolentia, *ψ. 2.* & à dignitate narrationis, *ψ. 3.* Deinde defectus fructuum arboreorum declaratur à causa procreante, videl. depastione germinum per insecta: quorum genera commemorantur quatuor, eorumque depastio narratur per gradationem, *ψ. 4.* Et illustratur atque amplificatur simili, *ψ. 6.* Jam quod in specie ad singulos illos defectus attinet: defectus vini narratur *ψ. 5. 7. 10. & 12.* Amplificatur autem ex effectis tribus, (1) privatione vini apud ebriosos, & (2) fletu illorum, *ψ. 5.* & (3) cessatione libaminis, *ψ. 9.* Item declaratur ex causis procreantibus duabus: videl. vastatione vitium per insecta, *ψ. 7.* & arefactione per æstum solis, *ψ. 10. & 12.* Defectus ficuum significatur ex causa procreante, videl. læsione ficuum arborum tum per insecta, *ψ. 7.* tum per æstum solis, ibidem & *ψ. 12.* Amplificatur autem ex effectu, videl. luctu: qui illustratur &

tur &



tur & amplificatur simili,  $\psi$ . 8. Defectus olei narratur  $\psi$ . 10. Defectus malorum Punicorum, & dactylorum, & malorum vulgarium, significatur ex causa procreante, videl. arefactione arborum quæ fructus illos ferunt,  $\psi$ . 12. Amplificatur autem ex effectu, videl. cessatione gaudii, ibidem. Atque hæc de defectu fructuum arboreorum. Jam ad defectum frumenti quod attinet: is indicatur partim in genere,  $\psi$ . 10. & 16: partim in specie de tritico & hordeo,  $\psi$ . 11. Amplificatur autem ex effectis sex: videl. (1) omissione muneris sacri,  $\psi$ . 9. (2) luctu sacerdotum, ibid. (3) pudefactione agricolarum,  $\psi$ . 11. (4) cessatione lætitiæ in templo in celebrandis conviviiis eucharisticis, vers. 16. (5) demolitione horreorum & granariorum,  $\psi$ . 17. (6) metu famis horribilis,  $\psi$ . 15. Declaratur autem hic defectus ex causis procreantibus duabus: arefactione segetis,  $\psi$ . 10. & 17. & putrefactione sementis,  $\psi$ . 17. Atque hæc de defectu frumenti. Defectus graminis narratur  $\psi$ . 18. & 19. Et amplificatur ex effectis duobus: videl. gemitu jumentorum & pecorum,  $\psi$ . 18. & clamore prophetæ,  $\psi$ . 19. Declaratur autem hic defectus ex causa procreante, videl. adustione per æstum solis,  $\psi$ . 19. Defectus aquæ narratur  $\psi$ . 20. Et amplificatur ex effectu, videl. clamore ferarum, ibid. Declaratur autem ex causa procreante, videl. arefactione alveorum per æstum solis, ibidem. Atque hæc de narratione damnorum. Hortatio ad sacerdotes tria membra continet: (1) ad signa luctus,  $\psi$ . 13. (2) ad indictionem jejunii,  $\psi$ . 14. (3) ad supplicationes, ibidem.

## SCHOLIA IN CAP. I.

ψ. I. **F**uit] *Verto, Factum est. Latini dicerent, Hic est sermo qui habitus est ad Joëlem. Pethuelis] Quis fuerit ille Pethuel, ignoratur.*

2 O seniores] *Id est, gubernatores, scil. tribus Jude. Hujus terræ] Scil. terræ Jude. In Hebræo loco pronomini est articulus ה. Germanicè, Deslands. Fuit] Verto, Factum est. Hoc] Quod dicam. Temporibus] Hebr. In diebus. Sic deinceps. Aut etiam] Hebr. Et an. Est autem hic conjunctio ו interrogantis, quia præcedit ה interrogativum. Majorum] Hebr. Patrum. Generationi] Multitudini hominum uno seculo generatorum.*

4 Reliquum erucæ] *Id quod reliquum fecit eruca in fructibus arborum quum illos comederet. Porro nomina singularis numeri hic ponuntur collectivè, & habent sensum pluralem. Melolontha] Ex Græco μολονθῶν: quo significatur species quædam scarabei, Germanicè ein mäientäfer. Apparet vocem esse compositam ex voce μῆλον, id est, malum, ein appel: & al à voce que separata non reperitur. Sic autem dictum videtur istud insectum, quod depascit flores malæ arboris. Nomen Hebræum פִּיִּי deductum videtur à verbo פִּיִּי quod est lambere seu lingere. Bruchus] Hebr. חֲרָבִיךָ id est, absumor: quia absomit germina: à verbo חָרַב absumisit.*

5 Ejulate] *Hebr. Ululate. Ex ore] Sive, ab ore. Quò minùs scil. attingatur ab ore vestro, sed removeatur ab illo.*

6 Gens] *Id est, multitudo insectorum commemoratorum versu quarto. Metaphora, qualis Proverb. 30. v. 25. Super terram meam] Id est, Judæam. Innumera] Seu innumerabilis. Hebr. Non est numerus ei. Dentes leonis] Id est, tales dentes quales sunt leonis, nempe acuti & robusti. Metaphora.*

7 Disponens &c.] *Verto, Redegit vites meas in vastitatem. Hebr. Posuit vitem meam in vastitatem. Ficus meas] Hebr. Ficum meam. In clavum] Per clavum hic intelligitur vitium quoddam arborum, de quo sic scribit Plinius, lib. 17. cap. 24. Olea præter vermiculationem, quam æquè ac ficus sentit, clavum etiam patitur: sive fungum placet dici, vel patillam. Hæc est solis exustio.*

Germanicè

Germanicè dicitur ein schwamm. Hebraicè הַצֵּפֶרֶת id est, spuma, seu effervescentia. Omnino nudavit] Hebr. Nudando nudavit. Scil. folio, fructu, cortice. Dejecit] Scil. folia & fructus. Hebr. Projecit. Albi evaserunt botri illarum] Verto, Albæ evaserunt frondes earum. Et refero ad ficus: quarum frondes, sicut & aliarum arborum, naturâ virides sunt: quum autem albescunt, signum hoc est humoris nativi per æstum solis exhausti. Nostri referunt ad vites, in membro remotiore: id quod mihi contortius videtur. Et nomen בֹּטְרֵי יַיִן reddunt botros: quum tamen propriè significet palmites, & à botris manifestè distinguatur Genes. 40. versu 10. Hic autem ad frondes ficus transfertur, molli sanè metaphora.

8 Ejula] Hebr. Ulula. Accincta cilicio] Id est, lugens. Metonymia adjuncti. Propter maritum adolescentiæ suæ] Verto, Propter maritum juvenem suum. Hebr. Propter maritum juventutis suum. Syntaxis, qualis in illo Psal. 2. v. 6. Unxi regem meum super Tsionem montem sanctitatis meum. Id est, montem sanctum meum. Ubi à nomine antecedente simul reguntur & nomen sequens & pronomen illi affixum. Et sic alibi dicitur uxor adolescentiæ seu juventutis: id est, juvenis: ut videre est Proverb. 5. v. 18. Esa. 54. v. 6. Malach. 2. v. 15. Estq; genitivus adjuncti. Caterum hic per maritum intelligitur is qui uxorem virginem sibi despondit quidem, sed nondum cum ea consuevit: quippe mortuus ante consuetudinem conjugalem. Est enim hic sermo de lugente virgine.

9 Munus] Hebr. מִנְחָה: sacrificium cibarium. Das speisopfer. Vide Levit. 2. A domo Jehovæ] A templo. Lugent] Propter defectum muneris & libaminis: quæ ipsis cedebant in alimentum.

10 Luget terra] Scil. propter rerum ex ipsa naturarum corruptionem. Metaphora illustris, qua rei inanimatae sensus tribuitur. Alii exponunt, Luget terra: id est, lugent incolæ terræ: ut sit metonymia subjecti. Sed prior expositio magis placet. Vastatur] Vel, vastatum est. Sic deinceps. Vastatur autem, scil. per nimium æstum solis: ut percipitur ex membro sequente.

11 Erubescunt] Propter defectum messis. Ejulant] Hebr. Ululant. Quia periit messis agri] Hæc ratio pertinet ad sententiam priorem: posterioris ratio annectitur versu sequente.

12 Vitis exaruit] *Id est, vites exaruerunt: ac proinde vintores non possunt vindemiam facere. Ficus elanguit] Id est, ficus elanguerunt. Omnes] Verto, Denique omnes. Præcisio. Quia] Verto, Imò. In hac significatione vocula <sup>3</sup> reperitur etiam 1. Reg. 18. versu 34. Proverb. 2. versu 3. Esa. 7. versu 16. Gaudium] Quod percipi solet ex messe & vindemia. Vide Esa. 16. v. 10. Jerem. 48. vers. 33. Synecdoche generis. E filiis hominum] Ex incolis hujus terra. Synecdoche qualis modò.*

13 Accingite vos] *Scil. saccis sive ciliciis, vestibus lugubribus. Ejulate] Hebr. Ululate. Ingredimini] Scil. in atrium templi: ut ibi Deum invocetis. A domo dei vestri] A templo: ac proinde etiam à vobis.*

14 Indicite] *Scil. populo. Hebr. Sanctificate. Diem interdicti] Hebr. Interdictum. Metonymia subjecti, vel adjuncti: diverso respectu. Vide Scholion Levit. 23. versu 36. Clamate ad Jehovaham] Orantes ut præsentia mala auferat. Dicentes] Hoc supplementum non videtur mihi genuinum: quia ex versu 16. apparet, ipsum prophetam hinc loqui.*

15 Eheu diei isti] *Verto, Eheu diem istum. Sic Cicero, in orat. Antequam iret in exilium: Eheu conditionem hujus temporis. Citante Foro Rom. in voce Eheu. Quanquam in exemplaribus quæ mihi inspicere contigit, legitur En. Diei isti] Quo Deus gravius vos inviset, nisi maturè pœnitentiam egeritis: nempe per famem horribilem. Hanc enim expositionem per istas textus postulare videtur. Dies Jehovahæ] Quo Jehovah inviset nos, id est, puniet. Qui] Hebr. Et. Similis vastationi] Hebr. Tanquam vastatio. Ab omnipotenti] Id est, à Deo. Hic autem in Hebraeo est elegans paronomasia inter voces Schód & Schaddái: quasi diceretur, Tanquam vastatio à vastatore veniet.*

16 E domo dei nostri lætitia & exultatio] *Scil. propter intermissionem sacrificiorum eucharisticorum.*

17 Horrea] *Alii, granaria: fornhæuser/ oder speicher. Hebr. Thesauri. Granaria] Alii, horrea.*

18 Ingemiscit] *Scil. ex defectu pabuli. Jumentum] Collectivè. Id est, jumenta. Eorum] Hebr. Illis. quod in vertendo retinendum. Cæterum due sententiæ posteriores non sunt legendæ cum*

de cum interrogatione, ac proinde non rectè notantur signo exclamationis.

19 Ignis] *Æstus solis. Sic vers. seq. Consumsit] Heb. Com-  
êdit. Habitacula] Verto, pascua. Hebr. Caulas. Meronymia ad-  
juncti. Sic versu seq. In qua significatione vox Hebraica passim  
occurrit: ut videre est, 2. Sam. 7. v. 8. Esa. 65. v. 10. Jerem. 23. v. 3.  
Ezech. 34. v. 14. Flamma] *Æstus solis.**

20 Bestiarum agri *quæq;*] *Heb. Bestiæ agri: nominativo plu-  
rali. Syntaxis partitiva. Itaq; vox quæq; non debuit scribi ut  
supplementum: quia in Hebræo nulla est ellipsis. Te versus] Ca-  
pite sursum erecto, tanquam implorans opem tuam. Eâdem ratio-  
ne de pullis corvorum dicitur, Psal. 147. v. 9. & Job 39. v. 3. quod  
Deum invocent; quum scil. ex fame rostra tollunt in sublime.*

OBSERVAT. EX CAP. I.

EX *ÿ. 1.* Ad officium pastoris ecclesiæ perti- 1.  
Pastores  
Ecclesiæ.  
net, ut proponat ei verbum Dei. Verbum  
autem Dei in sacra scriptura continetur.

Ex maxima parte capitis. Defectus atque in- 2.  
Defectus  
alimento-  
rum.  
opia alimentorum, est pœna Dei. Confer Levit.  
26. *ÿ. 19.* Deut. 28. *ÿ. 22. 23. 24. 38. 39. 40. 42.*

Ex *ÿ. 3.* Judicia Dei non sunt oblivioni tra- 3.  
Judicia  
Dei.  
denda: sed memoria eorum ad posteros propa-  
ganda est.

Ex *ÿ. 4.* Damna quæ dantur ab insectis per 4.  
Insecta.  
destructionem germinum, sunt pœnæ divînæ.

Ex *ÿ. 5.* Qui vino abutuntur ad ebrietatem, il- 5.  
Ebrietas.  
lis quandoq; adimi à Deo solet.


Ex *ÿ. 6.* Deus insecta quoque terribilia inter- 6.  
Insecta.  
dum reddit.

Ex *ÿ. 7. 10. 11. 12. 17. 18. 19. 20.* Deus fructus ar- 7.  
Insecta.  
borum hominibus interdum sive per insecta, si-  
ve per æstum nimium solis adimit. Sic etiam fru-  
mentum: nunc per nimium æstum solis aduren-

do segetem, nunc per putrefactionem seminis sati. Sic etiam gramen seu pascua, & aquam.

8.  
Pastores  
Ecclesie.

Ex v. 13. & 14. Ad officium pastorum ecclesie pertinet, ut in calamitatibus publicis populum exhortentur ad supplicationes, & ut ipsi illis in hac re praeant.



## CAPUT II.

**C**Langite buccinâ Tzijone, & vociferamini in monte sanctitatis meae, commoveantur omnes habitatores hujus terrae: nam advenit dies Jehovae, nam propinquus est:

2 Dies tenebrarum & caliginis, dies nubis & obscuritatis, ut *nubes* aurorae panditur super montes: populus amplus & robustus, cui par non fuit à seculo, & post quem non amplius erit usque ad annos multarum generationum.

3 Ante eum consumet ignis, & post eum inflammabit flamma: ut similis horto Hedenis sit terra ante eum, post eum desertum erit desolatissimum, adeoque quod evadat non est futurum ei.

4 Quasi species equorum species ejus: & ut equites, ita current:

5 Quasi strepitu curruum super cacumina montium salient, quasi strepitu flammæ ignis consumentis stipulam, quasi populus robustus instructus ad praelium:

6 A conspectu ejus dolebunt populi, omnes facies contrahent nigrorem.

7 Sicut potentes current, ut bellatores scandent murum; &

quisq; per vias suas procedentes non pervertent semitas suas:

8 Et unus alterum non prement, quisq; per aggerem suum procedent; etiam in ensem ruentes non sauciarentur.

9 Civitatem percurret, per murum discurrent, in domos ascendent, per ipsas fenestras ingredientur tamquam fur.

10 Ante illum movebitur terra, commovebuntur caeli: sol & luna obscurabuntur, & stellæ recipient splendorem suum.

11 Jehova autem edente vocem suam ante copias suas; quum ampla admodum sint castra ejus, quum robustus sit qui efficit verbum ejus: (magnus enim est futurus dies Jehovae & timendus valde) cequis sustinebit eum?

12 Quapropter etiam nunc, dictum Jehovae, convertimini ad me ex toto animo vestro; & jejunio, & fletu, & planctu.

13 Lacerate igitur corda vestra, ac non vestes vestras, & revertimini ad Jehovam deum vestrum; quia graciosus & misericors est, longanimis, & amplus benignitate, & quem poenitet mali:

14 Quis scit an reversum poeniteat

niteat ipsum? & reliquam faciat post illum benedictionem, *futura* munus & libamen Jehovæ deo vestro?

15 Clangite buccina Tzijone: indicite jejunium, proclamate diem interdicti.

16 Colligite populum, indicite congregationem, congregate senes, colligite parvulos & sugentes ubera: egrediatur sponsus è cubiculo suo, & sponsa è thalamo suo:

17 Inter ipsum vestibulum & altare fleant sacerdotes ministri Jehovæ: & dicant, Parce Jehova populo tuo, & ne exponas possessionem tuam opprobrio, ut dominantur in eos gentes. Cur dicebant in populis, *Ubi est deus istorum?*

18 Jam zelotypia affectus Jehova terræ suæ; clementia usus est erga populum suum:

19 Responditque Jehova, dicens populo suo, Ecce ego mittam vobis frumentum, & mustum, & oleum, ut saturemini eo: neque expositurus sum vos amplius opprobrio in gentibus.

20 Nam *ex eo* Aquilonalem longè amovebo à vobis, & depellam *ex eo* in terram siticulosam & desolatam; primum agmen ejus in mare Orientale, & postremum in mare posterum: adeò ut ascendat fœtor ejus & ascendat putor ejus, quia magnificè Jehova agit.

21 Ne timeto terra, exulta & lætare, quia magnificentissimè Jehova ager.

22 Ne timetote bestiae agrorum meorum, nam herbascent habitacula deserti: nam arbor

proferet fructum suum, ficus & vitis edent vim suam.

23 Filii quoque Tzijonis exultate & lætamini in Jehova deo vestro, nam daturus est vobis ipsum imbrem tempestivum justè; & demissurus vobis pluviam tempestivam & serotinam primo quoque *tempore*.

24 Ita implebuntur horrea frumento, plateasque perfundent torcularium lacus musto & oleo.

25 Et rependam vobis annos illos quos absorpsit locusta, melolontha, bruchusque & eruca; copiarum mearum maximarum, quas immisi in vos.

26 Comedentesque indefinenter ac saturati laudabitis nomen Jehovæ dei vestri, quòd se gesserit erga vos mirificè; neque erubescet populus meus in seculum:

27 Sed agnoscetis in medio Jisraëlis me esse, meque esse Jehovam deum vestrum, & nullum esse amplius: neque erubescet populus meus in seculum.

28 Eritque postea, *ut* effundam spiritum meum super omnem carnem, & prophetabunt filii vestri & filiae vestrae: seniores vestri somnia somniabunt, juvenes vestri visiones videbunt.

29 Quin etiam super servos, & super ancillas: diebus illis effundens spiritum meum.


30 Edam ostenta in cælis & in terra; sanguinem, & ignem, & elationes fumi.

31 Sol ipse vertetur in tenebras, & luna in sanguinem, antequam veniat dies Jehovæ magnus & reverendus.

32 Eritque *ut* quisquis invoca-

verit nomen Jehovæ eripiat se: quia in monte Tzizonis & Jeruschalaimis erit liberatio, quem-

admodum dixit Jehova, & in residuis quos Jehova vocaverit.



### CAPUT III.

**N**Am ecce diebus illis & tempore illo: quo reducam captivam multitudinem Jehudæ & Jeruschalaimorum:

2 Congregabo quoq; omnes gentes, & deducam eas in convallem Jehoschaphati; ut disceptem cum eis ibi pro populo meo & possessione mea Jisraële, quòd disperferint *enim* per gentes, & terram meam patriæ fuerint:

3 Et in populum meum proicerint sortem; exposuerintq; puerum pro meretrice, & puellam vendiderint pro vino quod biberent.

4 Quin etiam quid vobis mecum, Tyre, & Tzidon, & omnes termini Palæstinæ? an retributionem rependitis mihi? & an retribuitis mihi? velocissimè reddam retributionem vestram in caput vestrum:

5 Qui argentum meum & aurum meum accipitis, & desiderabilia mea optima infertis in templa vestra:

6 Et filios Jehudæ, filiosque Jeruschalaimorum venditis filiis Græcorum; ut longè abigatis eos à termino suo.

7 Ecce ego excitaturus sum eos è loco ipso quo *abducendos* vendidistis eos; ut reddam retributionem vestram in caput vestrum.

8 Vendam enim filios vestros & filias vestras *tradens* in manum

filiorum Jehudæ, qui vendent eos Sabæis *abducendos* in gentem longinquam; quum Jehova loquutus fuerit,

9 *Quum dixerit*, Proclamate hoc in gentibus, indicite bellum; excitate potentes, appropinquet, ascendant omnes bellatores;

10 Tundite ligones vestros in gladios, & falces vestras in spicula: qui debilis est dicat, Potens sum;

11 Coite & convenite omnes gentes undique, *quumq;* congregari fuerint: illuc fac, Jehova, ut descendant potentes tui.

12 Excitabuntur & ascendent gentes istæ in convallem Jehoschaphati: nam ibi sedebo ad judicandum omnes istas gentes undique,

13 *Dicens*, Immittite falculam, nam maturuit messis: venite, descendite, quia plenum est torcular, plateas perfundunt torcularium lacus, nam ampla *est* malitia istorum.

14 Multitudines passim *erunt* in convalle concisionis: quum propinquus *fuerit* dies Jehovæ, in convalle concisionis.

15 Sol & luna obscurabuntur, & stellæ recipient splendorem suum.

16 Quum Jehova è Tzijone rugiet, & ex Jeruschalaimis edet vocem suam, tum commovebuntur cæli & terra: nam Jehova receptus



ceptus est populo suo, & robur filiis Jisraëlis.

17 Ita agnosceatis me Jehovam deum vestrum esse: habitantem Tzijone monte sanctitatis meae: eritque urbs Jeruschalaimorum sancta, & extranei non transibunt per eam amplius.

18 Erit autem die illo, stillabunt montes ipsi mustum, & colles diffluent lacte, & omnes alvei Jehudae diffluent aquis: & fons e domo Jehove prodibit, qui irrigabit val-

lem cedrorum lectissimarum.

19 Ægyptus desolationi erit, Edomaeque in desertum desolatissimum erit: propter violentiam in filios Jehudae, in quorum terra effuderunt sanguinem innocentem.

20 Jehuda autem in seculum permanebit: & Jeruschalaima in quamque generationem:

21 Ubi mundabo eos quorum sanguinem non mundabam; ego & Jehova habitans Tzijone.

A N A L Y S I S C A P. II. E T I I I.

**H**IS duobus capitibus continetur concio Joëlis secunda: in qua tria potissimum agit. Primum denuntiat tribui Judae adventum noxiorum insectorum, cap. 2. usque ad vers. 12. Deinde hortatur eos ad conversionem seu poenitentiam & preces publicas, cap. 2. à v. 12. usque ad 18. Postremo recitat responsionem Dei quae ad preces illas responsurus sit: quae responsio continet aliquot promissiones, à v. 18. cap. 2. usque ad finem cap. 2.

D E P R I M A P A R T E.

Denuntiatio insectorum proponitur verbis generalibus, v. 1. ibi, *Nam advenit dies Jehovae*. Declaratur autem, illustratur & amplificatur variè; ac potissimum ex effectis & adjunctis. Effecta narrantur novem: videl. (1) convocatio ad publicas preces, v. 1. (2) commotio seu percussio animorum, ibid. (3) obscuratio aëris, v. 2. (4) desolatio regionis, v. 3. (5) advolatio vehemens & velox, v. 5. 78. (6) occupatio urbium, v. 9. (7) dolor Israëlitarum, v. 6. (8) pavor terrae, caeli, & stella-

rum,  $\psi$ . 10. (9) impotentia sustinendi,  $\psi$ . 11. Convocatio ad publicas preces declaratur ex modo agendi,  $\psi$ . 1. Obscuratio aëris per agmen illorum insectorum illustratur simili,  $\psi$ . 2. Desolatio regionis illustratur & amplificatur antithesi pristinae fertilitatis atque amœnitatis,  $\psi$ . 3. Advolatio insectorum significatur per similia: puta, cursum equitum,  $\psi$ . 4: strepitum curruum bellicorum,  $\psi$ . 5: strepitum flammæ consumentis stipulam, ibidem: cursum militum,  $\psi$ . 7. Ipsa advolationis velocitas significatur simili incessus militaris, versu 7. & 8. Atque hæc de effectis. Adjuncta istorum insectorum indicantur octo: videlicet (1) celeritas,  $\psi$ . 1. ibi, *Nam propinquus est.* (2) multitudo,  $\psi$ . 2. ibi, *Populus amplius,* Et  $\psi$ . 11. ibi, *Ampla admodum sunt castra ejus.* (3) robur,  $\psi$ . 2. ibi, *Et robustus:* Et  $\psi$ . 11. ibi, *Quum robustus sit.* (4) insolentia,  $\psi$ . 2. ibi, *Cui par non fuit &c.* (5) æstus solis,  $\psi$ . 3. ibi, *Ante eum consumet ignis.* (6) figura, vers. 4. ibi, *Quasi species equorum.* (7) læsionis vacuitas,  $\psi$ . 8. ibi, *Ettam in enses ruentes.* (8) tonitru,  $\psi$ . 11. ibi, *Jehovâ autem edente vocem suam.*

#### DE SECUNDA PARTE.

Hortatio ad conversionem seu pœnitentiam continetur  $\psi$ . 12. 13 & 14: hortatio ad preces publicas continetur  $\psi$ . 15. 16. & 17. Conversio declaratur quinque modis. (1) ex termino ad quem,  $\psi$ . 12. ibi, *Convertimini ad me.* Et  $\psi$ . 13. ibi, *Revertimini ad Jehovam.* (2) ex adjuncta sinceritate, v. 12. ibi, *Ex toto animo vestro.* (3) ex effectis destinatis tribus, vers. eodem, ibi, *Et jejunio, &c.* (4) à forma: quæ significatur simili, v. 13. ibi, *Lacerate igitur corda ve-*

da ve-

*da vestra.* Quod simile illustratur antithesi, versu eodem, ibi, *Ac non vestes vestras.* (5) ab effectu duplici, videl. ab actione insectorum & suppeditatione frumenti & vini, v. 14. Cujus utriusque effectus affirmatio confirmatur à natura Dei, v. 13. ibi, *Quia graciosus &c.* Atque hæc de conversione. Jam preces publicæ declarantur & amplificantur quatuor modis. I. ab effectis destinatis tribus: videl. (1) convocatione populi, v. 15. ibi, *Clangite, &c.* Et v. 16. ibi, *Colligite populum, indicite congregationem.* (2) indiictione jejunii publici, versu 15. (3) proclamatione feriacionis, ibid. Convocatio autem populi amplificatur ex objectis, id est, personis convocandis, v. 16. ibi, *Congregate senes, &c.* II. A loco, v. 17. ibi, *Inter ipsum vestibulum &c.* III. A ministris, v. eod. ibi, *Fleant sacerdotes.* IV. A forma seu verbis (ut loquuntur) formalibus, v. eod. ibi, *Parce Jehova &c.* Quibus verbis duo continentur, petitio & ratio petitionis. Petitio ibi, *Parce &c.* Ratio ibi, *Ne exponas &c.* quæ ratio sumta est ab eventis molestis tribus: (1) opprobrio, (2) dominatu exterorum, (3) contumeliâ nominis divini.

## DE TERTIA PARTE.

Hoc loco propheta responsionem Domini ad prædictas preces primùm promittit, deinde recitat. Promittit versu 18; eamque promissionem confirmat à natura Dei, ibidem. Recitat eandem versu 19. & deinceps. In illa autem responsione continentur promissiones quatuor: (1) copix alimentorum, à versu 19. usq; ad 28. (2) doni prophetationis, versu 28. & 29. (3) ultionis ho-

stium, & inde secuturæ liberationis fidelium à persecutione illorum, à v. 30. cap. 2. usq; ad v. 20. cap. 3. excepto vers. 18. (4) felicitatis cælestis, v. 18. 20. & 21. cap. 3. Promissio copiæ alimentorum proponitur v. 19. Illustratur autem & amplificatur octo modis. (1) enumeratione specierum, ibi, *Frumentum, & mustum, & oleum.* (2) à causa finali, ibi, *Neq; expositurus sum.* (3) à remotione causæ corrumpentis, vers. 20. videl. a motione insectorum: quæ illustratur partim è subjectis locis in quæ abigenda sint insecta illa: partim ex effectu, videl. fœtore: partim à causa procreante principali, nempe Jehova, v. 20. 21. 26. & 27. (4) rursus enumeratione specierum, v. 22. (5) à causa instrumentali, puta pluvia, v. 23. Quæ illustratur distributione. (6) ab effectis duobus: repletione area- rum, & exundatione torcularium, v. 24. (7) antithesi præcedentis inopiæ, quæ declaratur ex causis procreantibus, versu 25. (8) ex aliis effectis quatuor: puta comestione, saturitate, laudatione nominis divini, vacuitate opprobrii, v. 26. & 27. Donum prophetationis, id est, facultatis enarrandi mysteria regni cælorum, partim declaratur, partim amplificatur. Declaratur ab adjuncto tempore, v. 28. ibi, *Eritq; postea.* Et v. 29. ibi, *Diebus illis.* Amplificatur autem tribus modis: (1) ab adjuncta copia, vers. 28. ibi, *Effundam.* (2) à causa procreante immediata, ibi, *Spiritum meum,* v. 28. & 29. (3) à subjectis recipientibus, per distributionem ex adjuncto statu, ibi, *Filii vestri & filia vestra,* v. 28. Item ibi, *Super servos & super ancillas,* vers. 29. Item ex adjuncta ætate, ibi, *Seniores vestri &c.* v. 28.

&c. v. 28.

*Ec.* *ψ.* 28. (4) à modo illuminandi, ibi, *Somnia somniabunt, visiones videbunt, ψ.* 28. Ultio hostium Ecclesiæ declaratur, illustratur, & amplificatur sex modis: (1) ab adjunctis signis, (2) à speciebus, (3) ab effectis, (4) à loco, (5) à causa procatartica, (6) à ministris. Signa indicantur *ψ.* 30. ibi, *Etiam ostenta Ec.* Species indicantur *ψ.* 30. ibi, *Sanguinem Ec.* & cap. 3. *ψ.* 7. 8. 13. 14. & 19. E quibus interfectio hostium comparatur messi & calcationi uvarum, *ψ.* 13. Item triturationi, *ψ.* 14. Effecta indicantur tria: (1) horror rerum inanimatarum, *ψ.* 31. & cap. 3. *ψ.* 15. & 16. (2) agnitio protectionis divinæ piorum, *ψ.* 17. (3) repurgatio Ecclesiæ ab hypocritis, ibidem. Locus indicatur cap. 3. versu 2. 11. & 14. Causa procatartica quæ Deum ad ultionem illam movebit, est, quòd hostes illi populum Dei variè afflixerunt: cap. 3. *ψ.* 2. 3. 4. 6. 9. 10. 11. 12. & 19. quòdque Deum ipsum contumeliâ affecerunt, *ψ.* 5. Ministri quorum operâ Deus in ulciscendis hostibus populi sui utetur, sunt sancti angeli, cap. 3. *ψ.* 11. & 13. Porrò ipsa populi Dei liberatio partim declaratur, partim illustratur. Declaratur à causa procatartica quæ Deum ad liberandum pios movebit; videlicet quòd ex filiali fiducia eum invocaturi sunt, *ψ.* 32. cap. 2. & *ψ.* 16. cap. 3. Illustratur autem hæc liberatio exemplo simili liberationis populi Judaici è captivitate Babylonica, c. 3. *ψ.* 1. Felicitas cælestis piorum declaratur per duas partes. gaudia & perfectionem sanctitatis. Gaudia illa significantur partim à simili, videlicet voluptate quam homines in hac vita percipiunt ex suavi cibo & po-

tu, v. 18: partim à causa procreante, videl. conspectu Dei cohabitantis, v. 21. Perfectio sanctitatis significatur simili mundationis à sanguine, & antithesi pristinae imperfectionis qua laborabant pii in hac vita, v. 21.

## SCHOLIA IN CAP. II.

v. 1. **C**Langite buccinâ] Scil. vos Levitæ, ad convocandum populum in templum precandi causâ. In monte sanctitatis meæ] Verto, In monte sancto meo. Ut Psal. 2. v. 6. Vide supra Schol. cap 1. v. 8. Commoveantur] Vel, contremiscant. Hujus terræ] In Hebræo loco pronomini est articulus ך. Dies Jehovahæ] Ut supra à cap. 1. v. 15.

2 Dies tenebrarum &c.] Id est, quo obscurabitur aër à copia locustarum & aliorum insectorum: ut percipitur è sequentibus. Ut nubes auroræ] Verto, Ut aurora. Id est, splendor solis orientis. Populus amplus] Id est, multitudo insectorum: ut supra à cap. 1. v. 6. Confer infra v. 25. Quidam exponunt de hostibus: & alii quidem de Assyriis, alii verò de Babylonis. Sed hanc expositionem ipse contextus respuit. Paulò post enim hic populus comparatur militibus tanquam similis, v. 4. 5. & 7. A seculo] Ab origine mundi, seu inde à mundo condito. Non amplius erit] Hebr. Non addet esse. Multarum generationum] Hebr. Generationis & generationis.

3 Consumet] Hebr. Comedit. Præteritum pro futuro propter certitudinem eventus. Ignis] Æstus solis. Ut supra à cap. 1. vers. 19. & 20. Sic deinceps. Ut similis &c.] Hebr. Sicut hortus Hedenis est terra ante ipsum: & (id est, sed) post eum &c. Desertum desolatissimum] Hebr. Desertum desolationis. Genitivus adjuncti. Quod evadat] Hebr. Evasio. Metonymia forma. Non est futurum ei] Hebr. Non fuit ei.

4 Species] Hebr. Aspectus. Metonymia adjuncti.

5 Strepitu] Hebr. Voce, seu sono. Sic mox iterum, Super cacumina] Dicendum puto, Super cacuminibus. Hebr. Super capitibus. Metaphora. Consumentis] Hebr. Comedentis.

6 A con-

6 A conspectu ejus] *Hebr. A facie ejus. Populi] Tribus Israëlis.*

7 Potentes] *Vel, viri fortes. Helden. Bellatores] Hebr. Viri belli. Genitivus subjecti, seu objecti. Procedentes non pervertent] Hebr. Ibunt & non pervertent.*

8 Unus alterum] *Hebr. Vir fratrem suum. Quisq;] Hebr. Vir. Per aggerem suum] Per viam aggestam suam. Procedent] Hebr. Ibunt. In ensem] Id est, gladium oblongum. Talem enim gladium propriè significare videtur nomen <sup>ל</sup> <sup>ו</sup> <sup>ו</sup>, deductum à verbo <sup>ל</sup> <sup>ו</sup> <sup>ו</sup>, misit, extendit.*

9 Civitatem percurrent] *Hebr. Per civitatem current.*

10 Ante illum] *Scil. populum: cujus facta mentio versu 2. Movebitur] Vel, tremet. Hebr. Tremuit. Sic deinceps. Obscurabuntur] Hebr. Atra reddentur. Recipient] Detinebunt. Hebr. Colligent.*

11 Jehovâ autem edente &c.] *Hebr. Et Jehova dedit (h. e. dabit) vocem suam ante copias suas: nam ampla admodum erunt castra ejus, nam robustus erit qui faciet verbum ejus: nam magnus erit dies Jehovæ & terribilis valde, & quis sustinebit eum? Vocem] Id est, tonitru. ut Psal. 29. v. 3. & seqq. Copias] Sive exercitum: nempe insecta illa: ut declaratur infra versu 25. Castra] Id est, copia, seu exercitus: ut modò appellavit. Metonymia subjecti. Quum robustus sit &c.] *Vertendum, Quum robusta sint, (scil. castra ejus) efficientia verbum ejus. Voces Hebraicæ sunt generis masculini, numeri singularis: quia nomen <sup>מ</sup> <sup>ח</sup> <sup>נ</sup> <sup>ה</sup>, id est, castra, ad quod referuntur, ejusdem generis & numeri est. Verbum] Id est, mandatum: nempe mandatum de corrumpendis fructibus arborum. Synecdoche generis gemina. Magnus] Id est, terribilis, magnam pœnam inferens: Sicut mox declaratur. Synecdoche generis. Dies Jehovæ] *Ut supra cap. 1. v. 15. Timendus] Terribilis. Ecquis sustinebit eum?] Nempe diem illum Jehovæ. Itaq; verba proximè præcedentia non rectè ab his divelluntur per notas parenthesis. Quis] Quis nostrum? Synecdoche generis. Interrogatio autem vim habet negandi: q. d. Nemo nostrum sustinebit. Sustinebit] Sustinere poterit.***

12 Quapropter] *Hebr. Et. Convertimini] Seu, revertimini. Ex toto animo vestro] Præpositio <sup>מ</sup> <sup>ה</sup> <sup>י</sup> <sup>ה</sup> hic valet Ex. Ani-*

mo] *Hebr. Corde. Quam vocem in vertendo retinere malim. Et jejunio] Malim, Idq<sub>3</sub> jejunio: vel, Et quidem jejunio. In qua significatione conjunctio copulativa passim occurrit: ut videre est Jerem. 15. versu 8. & 13. Jerem. 17. versu 10. Jos. 9. versu 27. Jud. 7. versu 22. 1. Sam. 17. versu 34.*

13 *Lacerate igitur] Heb. Et lacerate. Corda vestra] Heb. Cor vestrum. Nempe unusquisq<sub>3</sub> suum. Per lacerationem autem cordium intelligitur dolor, quem laceratione vestium significare solebant. Metonymia efficientis metaphorica. Non] In Hebraeo est נָחַם: id est, Ne prohibentis. Q. d. Ac ne lacerate. Revertimini] Per seriam pœnitentiam peccatorum vestrorum. Gratosus] Facilis ad gratiã prosequendum. Longanimis] Hebr. Longus narium. Id est, qui differt iram cujus indicium est in statunarium. Metonymia subjecti metaphorica. Quem pœnitet mali] Id est, qui pœnitentibus aufert malum quod eis immisit propter peccata ipsorum. Metonymia efficientis metaphorica in verbo pœnitendi: & synecdoche generis in nomine mali.*

14 *Quis scit an &c.] Verto, Quis scit? Fortasse revertetur & pœnitebit ipsum, & reliquam faciet post exercitum illum benedictionem, in munus & libamen Jehovæ deo vestro. Quis scit? &c.] Verba bene sperantis. Sic Jon. 3. v. 9. Fortasse] Hanc vocem suppleo ex collatione verborum Jos. 14. versu 12. Revertetur] Scil. Jehova deus vester. Revertetur autem, scil. ad vos: à quibus nunc sese avertit ac discessit, quatenus non tuetur vos contra presentia mala. Αὐδρωποπὲς θεῶν. Pœnitebit ipsum] Malorum quæ vobis immisit. Id est, avertet illa mala. Metonymia efficientis metaphorica. Et reliquam faciet &c.] Epexegetis. Post exercitum illum] Vocem exercitum infero perspicuitatis causã ex versu 11. Et si autem hæc expositio videri possit contortior: tamen eam postulat peristasis textus, nempe duæ istæ voces וְשָׂאֵר וְהִנְחִינָה: quarum illa significat Aliquid reliquum facere ex re quæ perditur: hæc autem intelligitur hoc loco de alimentis quæ remansura erant post insecta illa abacta. Alii vertunt, Relinquet post se benedictionem: ut sit metaphora ab amico qui quum nos invisit, & à nobis discedit, relinquit post se munus aliquod quo nos donat. Sed hæc expositio à verbis hujus loci aliena est. Benedictionem] Fructus aliquos arboreos, & fruges. Metonymia efficientis, & synecdo-*



& synecdoche generis. In munus & libamen] *Id est, ut habeatis farinam ex qua offeratis Deo munus: & vinum ex quo offeratis ei libamen.*

15 Clangite] *Ut versu 1. Diem interdicti] Hebr. Cohibitionem. Id est, diem festum quo cohibebatur populus ab operibus servilibus. Sic declaratur hac vox Levit. 23. v. 36. Metonymia adjuncti, & synecdoche generis.*

16 Colligite] *Convocate in templum ad publicas supplicationes. Indicite] Hebr. Sanctificate. Sic versu seq. Diem interdicti] Hebr. Interdictum. Metonymia adjuncti. nam diei interdictum adjungebatur. Sic autem dicebatur certus dies quo quasi extraordinariè ab omni opere servili populo interdicebatur, ut aequè ac in soleenni festo sacris vacaret, & nullum opus servile faceret. Talis fuit octavus in tabernaculorum festo, Levit. 23. vers. 36. & ultimus Paschatis, Deut. 16. v. 8. Sic rectè hanc vocem declarat Buxtorfius in sua Epitome. Egrediatur sponsus è cubiculo suo] *Id est, intermittat fruitionem voluptatis alioquin licite ex concubitu cum sponsa: & contra operam det supplicationibus. Metonymia effecti destinati, & synecdoche generis. Sic deinceps de sponsa. Cubiculo] Vox Hebraea propriè significat penetrale: ut percipitur ex Job 37. v. 8. E thalamo suo] Vox Hebraea significat propriè tegmen seu velum.**

17 Vestibulum] *Verto, porticum. De hac porticu vide I. Reg. 6. vers. 3. In novo Testamento appellatur porticus Salomonis, quae à Salomone fuit aedificata, Actor. 3. v. 11. & cap. 5. vers. 12. Altare] Nempe altare holocausti, quod situm erat in atrio ante templum. nam erat & altare suffitus, quod situm erat in templi parte anteriore, quod sanctum appellatur. Ne exponas opprobrio] Hebr. Ne dato in probrum. Possessionem tuam] *Sive hereditatem tuam. Id est, populum tuum: quem ita charum habes, ut homo hereditatem suam. Metaphora. Ut dominantur in eos gentes] Scil. postquam auditâ famâ de fame qua laborant, hostiliter eos invadent & victos in captivitatem abducent. Primâ fronte videntur hac verba facere pro sententia illorum qui supra versu 2. populum exponunt de populo hostili: sed illam expositionem reliquus contextus non admittit. In eos] Scil. in populum tuum. Pronomen plurale refertur ad nomen singulare ratione sen-**

*sus. Cur dicerent] Id est, Cur permittes ut dicant. Metonymia effecti. Interrogatio habet vim deprecandi: q. d. Noli permittere ut dicant. Dicerent] Scil. nobis devictis & in potestatem suam redactis. In populis] Scil. profanis. Ubi est] Interrogatio irridentis atq; insultantis. q. d. Certè nusquam apparet deus istorum: deseruit eos.*

18 *Jam zelotypiâ affectus &c.] Verto, Tunc zelotypia afficietur Jehova pro terra sua, & clementiâ utetur erga populum suum. Et respondebit Jehova, dicetq; populo suo &c. Est quidem verbis Hebraicis præfixum hippûch, quo converti solet futurum in præteritum: sed ipsa sententia hîc significationem futuri postulat.*

19 *Mittam] Hebr. Mittens ero. Ut saturemini] Vel, Et saturabimini. Eo] Scil. tum frumento, tum musto, tum oleo. Neque expositurus sum opprobrio] Hebr. Neque dabo in probrum.*

20 *Ex eo] Hoc supplemento non videtur esse opus. Aquilonalem] Sive, Aquilonarem. Scil. inimicum: id est, multitudinem illam insectorum que advenerat ab Aquilone Alii exponunt hanc vocem de rege Assyriæ: sed huic expositioni obstant que mox sequuntur. Depellam ex eo] Verto, Depellam eum: ut est in Hebræo. Sed expono: Id est, partem illius. Synecdoche integri. In terram siticulosam & desolatam] Id est, in plagam Meridionalem, nempe in desertum. Primum agmen] Hebr. Faciem. In mare Orientale] Id est, in mare salis, seu mortuum. Postremum] Scil. agmen. Hebr. Finem ejus. Posterum] Id est, Occidentale: nempe mare mediterraneum: Fœtor ejus] Illius populi seu exercitus insectorum enectorum. Agit] Verto, aget. Sicut habetur versu sequente. In Hebræo autem est verbum temporis præteriti. Magnificè aget] Hebr. Magnificavit agendo.*

21 *Terra] Id est, popule terræ: nempe hujus terræ, id est, Judææ. Metonymia subjecti, & synecdoche integri. Magnificentissimè] Verto, Magnificè. Est idem verbum in Hebræo quod habetur versu precedente.*

22 *Herbascent] Heb. Herbida fuerunt. Habitacula] Verto, Pascua: ut sup. cap. 1. versu 19. Arbor proferet] Id est, arbores pro-*

res proferent. Collectivè. Edent] Hebr. Dederunt. Vim suam] Verto, Opulentiam suam: nempe botrorum magnam copiam.

23 Filii quoq;] Hebr. Et filii. Tsjonis] Id est, urbis Hierosolyma, cujus pars sita erat in monte Tsjone. Metonymia subjecti. In Jehova] Id est, Ob Jehovam. Daturus est] Hebr. Dedit. Ipsum imbrem tempestivum] Verto simpliciter, Pluviam tempestivam. In Hebraeo est vox unica <sup>הַרְבֵּי</sup>, qua significatur pluvia illa quae cadit paulo post jactam sementem. Fructigen. Justè] Verto, fusto tempore. Hebr. Secundum justitiam. Synecdoche generis. Et demissurus &c.] Verto, Imò demissurus est vobis pluviam & tempestivam & serotinam in primo mense. Hebr. Pluviam pluvia tempestiva & pluvia serotina. nam voces istae Hebraicae sunt nomina adjectiva. Per serotinam autem pluviam intelligitur ea quae cadit paulo ante messem. In primo mense] Nempe in Martio: Hoc autem referendum est ad solam pluviam serotinam.

24 Ita] Hebr. Et. Horrea] Verto, area: ubi tritatur frumentum. Die thennen. Plateasque perfundent] Id est, exundabunt. Vox Hebraica est verbum hiphil, quod nostri (ut apparet) deducunt à nomine פֶּיֶשׁ, id est, platea: quasi dicas, plateare. Torcularium lacus] In Hebraeo est vox unica.

25 Annos illos] Id est, fructus annorum illorum. Metonymia subjecti, nam annis illis acciderant isti fructus. Absumfit] Hebr. Comedit. Locusta] Id est, locusta. Collectivè. Sic deinceps. Copiae meae] Sive, exercitus meus: ut supra v. 11.

26 Comedentesque &c.] Hebr. Et comedetis comedendo, & saturabimini, & laudabitis &c. Indefinenter] Malim, Abundè, vel, hilariter. Hebr. Comedendo. Quod] Pronomen <sup>וְ</sup> hic valet conjunctionem Quod, ὅτι. Se gesserit erga vos mirificè] Hebr. Fecerit vobiscum mirificando. Erubescant populus] Syntaxis qualis in illo, Turba ruunt. In seculum] Id est, unquam.

27 Sed] Hebr. Et. Agnoscetis] Vel, experiemini. In medio Jisraëlis me esse &c.] Hebr. Quod in medio Israëlis ego sum. & quod ego sim Jehova &c.

28 Eritque] Verto, Et fiet. Ut effundam] In Hebraeo nulla hic est ellipsis: sed appositio, sic: Et fiet postea, effundam. Spiritum meum] Id est, dona spiritus mei. Metonymia efficientis.

Super omnem carnem] *Id est, Super omnis generis homines. Synecdoche duplex in vocabulo carnis: una generis, caro pro carne hominis: altera membri, caro hominis pro homine. Voculam autem Omnis exponendam distributivè, ostendit continenter subiecta distributio Germanicè Allerlân stâisch. Confer Actor. 2. vers. 17. Prophetabunt] Mystera regni Dei ex revelatione Spiritus sancti explicabunt. Sic deinceps. Seniores] Sive simpliciter, senes. nam etas hîc notatur, non officium. Somnia somniabunt] Nempe somnia divina. Sed simpliciter intelligitur revelatio divina. Visiones videbunt] Deus illis revelabit res divinas per Spiritum sanctum: sicut nunc revelat prophetis per visiones.*

29 Quin] *Hebr. Et. Effundens] Hebr. Effundam. Et mox, Et edam. Edam] Exhibebo. Hebr. Dabo. Sanguinem &c.] Confer Apocalypsin Johannis à cap. 6. usq; ad 20. Elationes] Alii, columnas. Hebr. Palmas. Metaphora à natura palme, quâ se erigit contra onus.*

31 Sol vertetur in tenebras] *Tam miserabilis erit in mundo status, ut homines putaturi sint solem non lucere. Luna in sanguinem] Luna apparebit sanguinolenta. Dies Jehovæ] Dies quo Jehova, id est, Christus, venturus est ad iudicium universale. Magnus] In quo res magne accident: puta excitatio mortuorum, iudicium de illis, assumptio piorum in caelum, relegatio impiorum in infernum. Reverendus] Verto, horribilis.*

32 Eritque] *Verto, Et fiet. Ut quisquis &c.] In Hebræo nulla est ellipsis: sed appositio qualis supra versu 28. Quisquis] Hebr. Omnis qui. Eripiat se] Hebr. Eripietur. Scil. divinitus, ex istis malis qui mundum affligent. In monte Tsijonis &c.] Id est, in Ecclesia: quæ olim congregabatur in monte Tsijone, nempe in templo. Jeruschalaimis] Verto, Hierosolyma. Vox Hebræa est numeri singularis. Declaravi alibi. Liberatio] Hebr. Evasio, vel ereptio. Dixit] Promisit. Scil. Deut. 32. vers. 43. Et in residuis] Verto, Nempe in residuis. In qua significatione conjunctio copulativa etiam alibi reperitur: ut videre est Jud. 7. vers. 24. 1. Sam. 17.*

v. 40. 1. Sam. 28. v. 3. In residuis] *In paucis aliquibus: respectu multitudinis impiorum. Vocaverit] Scil. efficaciter, per prædicationem Evangelii.*

OBSER-

○ B S E R V A T. E X C A P. I I.

**E**X undecim primis versibus. Depastio ger-  
minum per insecta, est una ex pœnis di-  
vinis. 1.  
Insecta.

Ex v. 12. & seqq. usque ad 18. Ad officium pa-  
storum Ecclesiæ pertinet: ut, quum vident po-  
pulo imminere flagella Dei, exhortentur illum  
tum ad seriam pœnitentiam, tum ad ardentem  
preces. Ad officium autem populi pertinet, ut  
hiscæ monitis pareat. 2.  
Pastores  
Ecclesiæ.

Ex v. 12. & 13. Pœnitentia debet esse seria. Ne-  
que enim satis est externa pœnitentiæ signa o-  
stendere. 3.  
Pœnitentia.

Ex versu 13. ex verbis, *Quia gratiosus &c.* Item  
ex versu 14. Ad pœnitentiam moveri debemus  
consideratione naturæ Dei, & spe impetrandi  
aversionem malorum quibus premimur. 4.  
Pœnitentia.

Ex iisdem verbis notetur testimonium de qui-  
busdam attributis Dei. 5.  
Dei attri-  
buta.

Ex v. 15. 16. & 17. Legitimum medium aver-  
tendi calamitates publicas sunt ardentem preces  
è seria pœnitentia & fide profectæ. 6.  
Preces.

Ex v. 18. & seqq. Deus preces piorum ex vera  
pœnitentia & fide profectas exaudit. 7.  
Preces.

Ex v. 19. 22. 23. 24. 26. Copia alimentorum, &  
pluvia terram irrigans ac fertilem reddens, sunt  
dona Dei. 8.  
Copia ali-  
mentorum.

Ex v. 27. Finis beneficiorum Dei quæ in po-  
pulum suum confert, est, ut ipsum inde agno-  
scant. 9.  
Beneficia  
Dei.

Ex v. 28. & 29. notetur illustris prophetia de  
H 2 10.  
Spiritus  
sanctus.

missione Spiritus sancti in apostolos, quæ compleri cœpit in die pentecostes, Act. 2.

II.  
Preces.

Ex  $\psi$  30 31. & 32. In publicis mundi calamitatibus pii confugere debent ad opem Dei per invocationem nominis ejus.

SCHOLIA IN CAP. III.

- $\psi$ . I. **J** Eruschalaimorum] *Verto, Hierosolyma.*  
 2 Congregabo quoque] *Verto, Tunc congregabo. Hebr. Et congregabo. Deducam] Hebr. Descendere faciam. Ich will sie hinab führen. In convallem Jehoschaphati] Id est, in conspectum ecclesie Christianae: sicut olim Moabitas & Ammonitas, populi mei hostes, in conspectum populi mei congregavi ante urbem Hierosolymam, eosq; prostravi in valle Josaphati: quæ pugna describitur 2. Chron. 20. Atq; ab illa pugna & victoria Josaphati vallis ista hinc denominatur, alioquin dicta vallis benedictionis sive laudis, quia ibi benedixerunt Jehovæ, id est, laudaverunt eum, gratias ei agentes pro tam insigni victoria, 2. Chron. 20. v. 26. Ut disceptem cum eis] *Vel, Et disceptabo cum eis, seu jure experiar. Ich will mit ihnen rechten. Id est, judicio publico damnatos puniam. Metonymia effecti destinati. Possessione] Sive hereditate. Ut supra cap. 2. v. 17. Jisraële] Scil. spirituali: id est, Ecclesia. Partitæ fuerint] Nempe inter se.*  
 3 Projecerint] *Verto simpliciter, jecerint. Exposuerint] Hebr. Dederint. Puerum] Scil. bello captum. Quod biberent] Hebr. Et biberunt.*  
 4 Quin] *Hebr. Et. Quid vobis mecum?] Hebr. Quid vos mihi? Mihi] Hebr. Contra me. Sic mox iterum. Velocissimè] Hebr. Levis festinatione. Retributionem vestram] Vindictam quæ vobis debetur.*  
 5 Argentum meum] *Id est, argentum populi mei. Vel, argentum templi mei. Sic deinceps. Accipitis] Verto, Accepistis. Et mox, Intulistis. Tempia] Sive, palatia.*  
 6 Venditis] *Verto, Vendidistis.*  
 7 Ut reddam] *Vel, Et reddam. Retributionem vestram] Ut versu quarto.**

8 Ven-

8 Vendam enim ] *Heb. Et vendam. Sabæis ] Posteris Scheba: de quo Genes. 10. versu 7. Incolebant autem illi Arabiam felicem. Quum Jehova loquutus fuerit ] Verto, Nam Jehova hoc loquutus est. Id est, promisit populo suo.*

9 Quum dixerit ] *Hoc supplementum, tanquam non genuinum, expungendum censeo. Proclamate &c. ] Apostrophe ad hostes Ecclesiæ, continens hortationem ironicam. Loquitur autem hic propheta. Indicite ] Hebr. Sanctificate. Potentes ] Verto, viros fortes. Die Helden. Ascendant ] Contra populum Dei. Bellatores ] Hebr. Viri belli. Genitivus subjecti, sive objecti.*

10 Potens ] *Verto, robustus: sive fortis.*

11 Undique ] *Hebr. A circuitu. Quumq; congregati fuerint ] Verto simpliciter, Et congregamini. In Hebræo nulla est ellipsis: neq; etiam talis sententiarum coherentia. Quippe verbum istud adhuc pertinet ad sermonem qui dirigitur ad hostes Dei: at per istam versionem transfertur ad sermonem qui dirigitur ad Deum. Illuc fac &c. ] Quasi dicat: Porro quum hostes Ecclesiæ ita fuerint contra illam congregati: tunc tu, ô Jehova, immitte contra eos sanctos angelos tuos. Illuc ] In locum ubi fuerint congregati hostes. Descendant ] *Ex alto. Potentes tui ] Verto, Robusti (seu fortes) tui. Intelliguntur autem sancti angeli: quorum robur celebratur Psal. 103. v. 20.**

12 Excitabuntur ] *Verto, Excitabuntur quidem &c. sed ibi sedebo. &c. His verbis Dominus ad verba prophetae respondet, & testatur, se preces ejus exaudivisse. Gentes istæ ] Verto simpliciter, gentes. Intelliguntur autem hostes populi Dei. Ascendent ] Scil. Hierosolymam versus: id est, contra Ecclesiam. In convallem Jehoschaphati ] *Ut supra versu 2. Nam ] Verto, Sed. pro דן 'ב. Omnes istas gentes ] Verto simpliciter, Omnes gentes. Undiq; ] Quæ undiq; confluerint.**

13 Dicens ] *Scil. angelis. Immittite falculam ] Id est, occidite hostes populi mei. Metaphora. Confer Apoc. 14. v. 15. Messis ] Seges metenda. Plenum est ] Scil. botris calcandis. Plateas perfundunt ] *Ut supra cap. 2. vers. 24. Nam ampla est &c. ] Epexege sis.**

14 Multitudines passim erunt ] *Hebr. Multitudines multitudines erunt. Nempe multitudines hostium occisorum: ex colla-*

tione versus præcedentis. In convalle concisionis] *Malim*, In valle triturationis. Hebr. In valle tribule. In qua significatione nomen  $\text{מַלְיָה}$  reperitur apud Esaiam cap. 28. versu 27. & cap. 41. v. 15. Sic autem vocat illum locum ab eventu, quod ibi trituratorum & concisurorum, hoc est, occisurorum, esset gentes. Et alludit ad vallem Josaphati, ubi olim trituraverat Moabitas & Ammonitas. Quum propinquus fuerit] *Verto*, Nam propinquus est. Id est, Certò venturus est, non secus ac si jam præforibus esset. Synecdoche speciei: qualis in verbis illis Apoc. 1. vers. 1. Quæ oportet fieri citò,  $\epsilon\nu\ \tau\acute{\alpha}\chi\epsilon\iota$ . Dies Jehovæ] *Quo* Jehova pœnas inferet hostibus Ecclesiæ.

15 Obscurabuntur] Hebr. Atrared. lita sunt. Præteritum pro futuro, propter certitudinem eventus. Sic deinceps. Vide supra cap. 2. v. 10. Recipient] Hebr. Collegerunt.

16 Quum Jehova &c.] Hebr. Et Jehova è Tsijone rugiet &c. & commovebuntur &c. Copulativum enuntiatum valet relativum temporis. Nam] Hebr. Et. Receptus] Locus quò quis se recipit ut tutus sit. Robur] *Verto*, munitio.

17 Ita] Hebr. Et. Agnosceitis] *Vel*, experiemini. Me Jehovam &c.] Hebr. Quòd ego Jehova deus vester sum. Monte sanctitatis meæ] *Verto*, Monte sancto meo. Vide supra cap. 2. v. 1. Urbs Jeruschalaimorum] *Verto*, Hierosolyma. In Hebræo non exstat vocabulum urbs. Et nomen  $\text{יְרוּשָׁלַיִם}$  est numeri singularis, ac proinde convenit cum verbo Erit. Possset Latinè formari, Jerusalemum. Sancta] Hebr. Sanctitas. Metonymia formæ. Extranei non transibunt per eam] *Confer* Apoc. 21. v. 27.

18 Erit autem] *Verto*, Et fiet. *Vel*, Porro. Stillabunt] *Appositio*, qualis supra cap. 2. v. 28. & 32. Montes ipsi] *Pronomen* Ipsi elegantius abesset. In Hebræo est articulus  $\text{ה}$ . Stillabunt multum &c. Id est, Pii fruuntur gaudiis abundè. Metaphoræ. *Confer* Apoc. 22. Diffluent] Hebr. Ibunt. Sic mox iterum. Fons prodibit] *Confer* Ezech. 47. v. 1. & Apoc. 22. v. 1. E domo Jehovæ] *Ex templo*. Vallem cedrorum lectissimarum] Hebr. Vallem Sittim, Id est (ait Fr. Junius) Ecclesiam, in qua just. plantati crescunt ut cedri lectissima: vide Psal. 92. v. 13. & 14. Porro collis Sittim sita fuit in regione Moabitarum: ut colligitur ex Num. 25. v. 1. & cap. 33. v. 49.



19 Desertum desolatissimum] *Hebr. Desertum desolationis. Genitivus adjuncti. Propter violentiam] Prepositio וְ hic valet Propter. Violentiam in filios Jehudæ] Quam exercuerunt in filios Jehudæ. Hebr. Violentiam filiorum Judæ. Genitivus objecti. In quorum terra] Epexegetis.*


20 Permanebit] *Hebr. Sedebit: vel. habitabit. In quamque generationem] Hebr. In generationem & generationem.*

21 Ubi] *Hebr. Et. Mundabo eos &c.] Verto, Mundabo sanguinem eorum quem non mundaveram: & Jehova habitabit Tsi-jone. Mundabo sanguinem eorum] Scil. fidelium: qui significati fuerunt versu precedente per vocabulum Jehuda. Id est, Mundabo eos à sanguine, h. e. à peccatis. Metaphora. nam ut sanguis quo quis conspersus est, offendit oculos hominis: ita peccata offendunt Deum. Intelligendum est autem hoc de perfectione regenerationis: quæ in hac vita est imperfecta. Quem non mundaveram] Scil. perfectè: quantum quidem ad regenerationem attinet. nam quantum ad remissionem, Deus in hac quoque vita fidelibus peccata omnia perfectè remittit. Jehova habitabit Tsi-jone] Id est, in Ecclesia jam translata in cælum. Confer Apoc. 22. versu 3. Habitabit] *Hebr. Habitans erit. Altera versio וְ יְהוָה יֹשֵׁב הָיְהוּדָה postularet dici וְ יְהוָה יֹשֵׁב הָיְהוּדָה.**

OBSERVAT. EX CAP. III.

**E**X maxima parte capitis. Deus Ecclesiam <sup>1.</sup> *Ecclesia.* tandem à persecutione impiorum liberabit, illosque per angelos suos contrucidabit. Vide Apoc. 14. v. 14. & seqq.


Ex v. 18. 20. & 21. Felicitas cælestis piorum <sup>2.</sup> *Felicitas cælestis.* consistit partim in ineffabilibus gaudiis, partim in perfecta sanctitate.



# ANALYSIS AMOSI.

## ARGUMENTUM LIBRI.

**H**Oc libro continentur conciones prophetae Amos, quas habuit ad decem tribus, seu in regno Israël. In quibus primùm prædicit pœnas eventuras tum Israëlitis universis, tum populis vicinis, tum in specie tribui Judæ, & decem tribubus Israël, cap. 1. & 2. Deinde conciones reliquas omnes dirigit ad solas decem tribus: & partim conqueritur de illorum peccatis partim eis denuntiat pœnas Dei: ac nominatim deportationem quorundam ex ipsis per Tiglath-Pileserem, regem Assyriæ: partim ad emtionem regni & deportationem universalem per Salmanassarem, regem Assyriæ. Atque has prophetias confirmat quibusdam visionibus, in tribus ultimis capitibus, Postremò consolatur pœnitentes promissione redemptionis per Christum, cap. 9. v. 11. & seqq.



## CAPUT I.

**V**erba Hamosi, qui fuit inter pecuarios, Tekohani: quæ vidit de Jisraële temporibus Huzzijæ regis Jehudæ, & temporibus Jarobhami filii Joaschi regis Jisraëlis, biennio ante motum terræ.

2 Dixit ergo, Jehova è Tzijone rugiet, & è Jeruschalaimis edet vocem suam; quandoquidem lu-

xerunt habitacula pastorum, & aruit præstantissimum arborum.

3 Sic ait Jehova, Propter tres defectiones Damasci, etiam propter quatuor non avertam istud; eò quòd trituraverint tribulis ferreis Gilhadem;

4 Sed immittam ignem in domum Chazaëlis, qui consumet palatia Ben-hadadi;

5 Et

5 Et confringam vectem Damasci, exscindamq; habitatorem e convalle Avenis, & tenentem sceptrum e domo Hedenis: migrabuntq; populus Syriae in Kirum, ait Jehova.

6 Sic ait Jehova, Propter tres defectiones Hazze, etiam propter quatuor, non avertam istud; eò quòd deportaverint hos deportatione perfecta tradendos Edomæis;

7 Sed immittam ignem in murum Hazzæ, qui consumet palatia ejus:

8 Et exscindam habitatorem ex Aschdodo, & tenentem sceptrum ex Aschkelone: convertamq; manum meam contra Hekronem, & peribunt reliquæ Pelischthæorum, ait Dominus Jehovi,

9 Sic ait Jehova, Propter tres defectiones Tyri, etiam propter quatuor, non avertam istud: eò quòd tradiderint hos deportatione perfectâ Edomæis, neque sint recordati federis fraterni:

10 Sed immittam ignem in murum Tyri, qui consumet palatia ejus.

11 Sic ait Jehova, Propter tres defectiones Edomi, etiã propter quatuor, non avertam istud: eò quòd persequatur gladio fratrem

suum corrupens miserationes suas, discerpatq; in perpetuum ira ejus, & furor ejus observet in æternum:

12 Sed immittam ignem in Themanem, qui consumet palatia Botzræ.

13 Sic ait Jehova, Propter tres defectiones Hammonitarum, etiam propter quatuor, nō avertam istud; eò quòd diffiderint gravidas Gilhadis, ut dilatarent terminum suum:

14 Sed accendam ignem in murum Rabbæ, qui consumet palatia ejus: cum clangore die belli, cum procella die turbinis.

15 Et abibit rex eorum in deportationem, ipse cum principibus suis simul, ait Jehova.

16 Sic ait Jehova, Propter tres defectiones Moabi, etiam propter quatuor, non avertam istud; eò quòd combusserit ossa regis Edomæorum, ut calcem;

17 Sed immittam ignem in Moabum, qui consumet palatia Keriotharum; & morietur in strepitu Moab, in clangore, in sono buccinæ:

18 Exscindamque judicem e medio ejus; & omnes principes ejus interficiam cum eo, ait Jehova.

## CAPUT II.

**S**ic ait Jehova, Propter tres defectiones Jehudæ, etiam propter quatuor, non avertam istud; eò quòd spernant legem Jehovæ, & statuta ejus non observant, seducuntque ipsos mendacia ipso-

rum, quæ sequuti sunt majores ipsorum:

2 Sed immittam ignem in Jehudam, qui consumet palatia Jerschalaimorum.

3 Sic ait Jehova, Propter tres

H 5

defectiones Jisraëlis, etiam propter quatuor non avertam istud; eo quod vendunt pecuniam à justum, & egentem pro pari calceorum,

4 Qui anhelant in caput tenuium dejecturi in pulverem terræ, & viam mansuetorum pervertunt; & vir ac pater ipsius accedunt ad eandem puellam, ut profanent nomen sanctitatis meæ:

5 Et super vestes in pignus acceptas inclinant se juxta omne altare; vinumque damnatorum bibunt in domo deorum suorum:

6 Quamvis ego perdiderim Emoræum à facie ipsorum, cujus altitudo similis erat altitudini cedrorum, & robustus erat ut robora; perdiderimque fructum ejus supernè, & radices ejus infernè:

7 Et ego eduxerim vos è terra Ægypti, deduxerimque vos per desertum quadraginta annos, ad pos-

sidendum hæreditario jure terram ipsius Emoræi:

8 Et excitaverim è filiis vestris prophetas, & ex juvenibus vestris Neziræos: an verò non est ita ó filii Jisraëlis, dictum Jehovah?

9 At bibendum dedistis Neziræis vinum: & prophetis interdixistis dicendo, Ne prophetetis,

10 Ecce ego pressurus sum locum vestrum, quemadmodum premit plaustrum quod plenum est manipulis.

11 Itaque peribit effugium à levi; & robustus non fortificabit vires suas, ac potens non liberabit se ipsum.

12 Et tenens arcum non consistet, levisque pedibus suis non liberabit; neque insidens equo liberabit se ipsum:

13 Sed fortis animo inter potentissimos: nudus fugiet die illo, dictum Jehovah.

## ANALYSIS CAP. I. ET II.

**H**is duobus capitibus continetur concio Hamosi prima: cui præmittitur titulus totius libri, v. i. In quo tria aguntur. Primum describitur harum prophetiarum minister: idque partim à nomine, partim à conditione vitæ, partim à patria. Deinde indicatur prophetiarum istarum objectum, nempe personæ ad quas illæ sunt pronuntiata: quæ significantur vocabulo Jisraëlis. Postremo indicatur tempus quo prophetiæ istæ sunt pronuntiata: quod describitur partim à duobus regibus, partim à certa circumstantia, nempe casu quodam memorabili. Cæterum prophetiæ his duobus capitibus continentur novem: quarum octo

rum octo priores paucis verbis expediuntur, nona verò fusiùs exponitur. Prima prophetia dirigitur contra Israëlitas universos,  $\psi$ . 2. Secunda contra Syros,  $\psi$ . 3. 4. & 5. Tertia contra Philistæos, vers. 6. 7. & 8. Quarta contra Tyrios, vers. 9. & 10. Quinta contra Edomæos,  $\psi$ . 11. & 12. Sexta contra Ammonitas,  $\psi$ . 13. 14. & 15. Septima contra Moabitas,  $\psi$ . 16. 17. & 18. Octava contra tribum Judæ, cap. 2.  $\psi$ . 1. & 2. Nona contra decem tribus Israëlis,  $\psi$ . 3. & seqq.

I. Prophetiâ primâ denuntiatur Israëlitis siccitas terræ: eaque partim confirmatur, partim illustratur. Confirmatur testimonio prophetationis in urbe Hierosolyma: quæ prophetatio significatur simili rugitus leonis. Illustratur autem ex effectu, videl. luctu: qui pascuis per metaphoram attribuitur.

II. Secundâ prophetiâ denuntiatur Syris bellum: quod significatur simili ignis,  $\psi$ . 4. Declaratur autem ex causa procatartica quæ Deum motura fuit ad bellum Syris immittendum. Ea fuerunt complura illorum scelera; quorum unum nominatim exprimitur,  $\psi$ . 3. Amplificatur autem hoc bellum partim distributione, partim ab eventu. Distributio sumitur è subjectis locis,  $\psi$ . 5. Eventus est deportatio, ibidem.

III. Tertiâ prophetiâ Philistæis similiter denuntiatur bellum: illudque similiter significatur simili ignis,  $\psi$ . 7. Declaratur item ex causa procatartica: quæ fuerunt illorum scelera: quorum unum nominatim exprimitur,  $\psi$ . 6. Amplificatur item hoc bellum distributione è subjectis

locis, versu 7. & 8. Necnon ab eventu, videlicet exitio, versu 8.

IV. Quartâ prophetiâ Tyriis similiter denuntiatur bellum: quod significatur simili ignis, versu 10. Declaratur item ex causa procatarctica: quæ fuerunt illorum scelera; quorum unum nominatim exprimitur, & à causa corrumpente amplificatur, v. 9.

V. Quintâ prophetiâ Edomæis similiter denuntiatur bellum: quod significatur simili ignis, vers. 12. Declaratur item ex causa procatarctica: quæ fuerunt illorum scelera: quorum unum nominatim exprimitur, & partim à causa corrumpente, partim ab adjuncta continuatione amplificatur, v. 11.

VI. Sextâ prophetiâ Ammonitis similiter denuntiatur bellum: quod significatur simili ignis, v. 14. Declaratur item ex causa procatarctica: quæ fuerunt illorum scelera: quorum unum nominatim exprimitur, & à causa finali amplificatur, v. 13. Bellum autem ipsum amplificatur partim ex adjunctis, partim ex eventu. Adjuncta indicantur duo: clangor tubæ, & vociferatio atque impetus militum, qui significatur simili procellæ, v. 14. Eventus est deportatio regis & principum, v. 15.

VII. Septimâ prophetiâ Moabitis similiter denuntiatur bellum: quod significatur simili ignis, v. 17. Declaratur item ex causa procatarctica: quæ fuerunt illorum scelera: quorum unum nominatim exprimitur, v. 16. Amplificatur item partim ex adjunctis, partim ex eventu. Adjuncta indicantur

indican-

indicantur duo: vociferatio militum, & sonus buccinæ, v. 17. Eventus est exitium tum plebeiorum, v. 17: tum gubernatorum, v. 18.

VIII. Octavâ prophetiâ tribui Judæ similiter denuntiatur bellum: quod significatur simili ignis, cap. 2. v. 2. Declaratur item ex causa procatarctica: quæ fuerunt illorum scelera: quorum duo nominatim indicantur, v. 1. Amplificatur autem ex eventu, videlicet excidio urbis Hierosolymæ, v. 2.

IX. Nonâ prophetiâ decem tribubus similiter denuntiatur bellum: quod primùm declaratur ex causa procatarctica, deinde significatur & amplificatur ex eventis. Causa procatarctica fuerunt illorum scelera: quæ primùm indicantur in genere, v. 3: deinde commemorantur in specie, vers. 3. & deinceps. Sunt autem numero septem: (1) oppressio egenorum, v. 3. & 4. (2) libido impudens, v. 4. (3) gloriatio ob malitiam, v. 5. (4) idololatria, ibidem. (5) oblivio maximorum beneficiorum Dei: quorum commemorantur quinque, v. 6. 7. & 8. (6) petulantia erga naziræos, v. 9. (7) petulantia erga prophetas, ibidem. Eventa, ex quibus bellum decem tribubus immittendum amplificatur, commemorantur tria: (1) impotentia effugiendi, v. 11. (2) impotentia resistendi hosti, v. 11. & 12. (3) fuga virorum fortium, v. 13. Ex his impotentia effugiendi illustratur simili animalis à plauastro onusto pressi, v. 10. Amplificatur autem à causa corrumpente duplici, videl. (1) levitate seu agilitate, vers. 11. & 12. (2) à possessione equi, v. 12. Similiter impoten-

tia resistendi amplificatur à causa corrumpente, videlicet comprehensione arcus, v. 12. Fugacitium amplificatur ab adjuncta nuditate fugientium, versu 13.

## SCHOLIA IN CAP. I.

v. 1. **T**Ekohani] Hebr. E Tekoha. Scil. oriundi. Ell. psis verbi relati: qualis Johan. 12. v. 21. Sita autem erat hæc turbs in tribu Juda, 2. Chron. 11. v. 6. Quæ vidit] Id est, quæ per visionem audivit à Deo, cum mandato ut ea proponeret populo. Metonymia adjuncti. De Israële] De decem tribubus. Synecdoche integri. Temporibus] Hebr. In diebus. Sic deinceps. Jehuda] Tribus Juda. Jisraëlis] Decem tribuum. Ante motum terræ] Cujus terræ motus mentio etiam fit Zach. 14. v. 5.

2. Dixit ergo] Hebr. Et dixit. E Jeruschalaimis] Verto, Ex Hierosolyma. Verti potest. Ex Jerusalem. De hac voce dixi alias. Jehova è Tsjione rugiet] Id est, Per prophetam al quem in urbe Hierosolyma denuntiabit toti populo siccitatem terræ horribilem. Metaphora. & synecdoche generis. Confirmatur autem hæc expositio ex collatione membri sequentis. Quandoquidem &c.] Verto, Idcirco lugebunt pascua pastorum, & arescet præstantissimum arborum. Idcirco lugebunt] Hebr. וַיִּלְגְּבוּ וַיִּבְרֹשְׁוּ. Et lugebunt. Ubi conjunctio ו cum puncto schevá vim habet mutandi præteritum in futurum. Sic mox in voce וַיִּבְרֹשְׁוּ. Et arescet. Unde jam patet, verba illa non rectè reddi per præterita. Lugebunt pascua] Quia scil. exurentur aestu solis. Pascua] Hebr. Cautæ. Metonymia adjuncti. Præstantissimum] Hebr. Caput. Metaphora. Arborum] Hebr. Arvi. Collectivè. Caterùm vox כַּרְמֶל (quæ aliàs plerumq; proprium nomen montis est) in generali hac & appellativa significatione reperitur & alib: ut videre est Esa. 16. v. 19. aliàs 10. Esa. 29. v. 17. Esa. 32. v. 15. & 16.

3. Propter tres defectiones] Vel, transgressiones. Damasci] Id est, Syrorum, quorû metropolis est urbs Damascus. Metonymia subjecti, & synecdoche membri. Etiam propter quatuor] Tribus addit quatuor: quæ simul juncta constituunt septem: partim ut significet scelera Syrorum esse multa, partim ut innuat illos subinde in eis progressos eaq; auxisse. nam septenarius numerus in  
sacris



facris literis multitudinem significat, per synecdochen speciei: quæ autem tribus quatuor addit, is utiq; numerum auget, & à minore numero ad majorem progreditur. Non avertam istud] Istans scil. pœnam quam mox indicabo. Relativum pronomen præpositum nomini antecedenti. Item relativum pronomen masculinum positum absolute. Eò quòd trituraverint &c.] Id est, gravissimè afflixerint. Metaphora. Confer 2. Reg. 8. v. 12. Hebr. Propter triturare eos. Tribulis ferreis] Hebr. Tribulis ferri. Genitivus materiæ. Confer 2. Sam. 12. v. 31. Gilhadem] Id est, Israëlitas habitantes in Gilhade. Metonymia subjecti.

4 Sed] Malim, Itaq; Hebr. Et. Ignem] Id est, bellum. Metaphora. In domum] Id est, in familiam, in posteros. Chazaëlis] Regis Syria, qui Israëlitas valde afflixit, ut videre est 2. Reg. 10. v. 32 & 33. & cap. 12. v. 18: sicut jam antea per prophetam Elisam fuerat prædictum, 2. Reg. 8. vers. 12. Ben hadadi] Filii Hazaëlis: qui exemplo patris ipse quoq; Israëlitas afflixit, 2. Reg. 13. versu 3.

5 Confringam] Nempe per regem Assyria: ut percipitur ex fine versus, ubi fit mentio deportationis populi Syria in Kirum, urbem scil. Media: quæ parebat regi Assyria. Vectem] Munitiones. Synecdoche membri. Damasci &c.] Vide annotationes Fr. Junii. Tenentem sceptrum] Id est, principem seu gubernatorem. Periphrasis ex adjuncto. Sceptrum] Heb. Virgam. Synecdoche generis. Syria] Heb. Arám. Metonymia duplex: una efficiens, Arám pro Aramais, id est, Syris: altera adjuncti, Syri pro Syria. Nisi malimus vertere, Populus Syrorum. Tunc erit metonymia simplex, nempe efficientis. Migrabunt] Nempe captivi abducti. Synecdoche generis. In Kirum] Urbem Media: cujus mentio etiam fit 2. Reg. 16. v. 9. ubi vide annotationes Fr. Junii.

6 Hazzæ] Nomen urbis in Philistea, quæ vulgo nominatur Gaza. Hic autem intelliguntur incolæ seu habitatores istius urbis, per metonymiam subjecti: ac rursus Philistæi in universum (ut percipitur è sequentibus) per synecdochen membri. Deportaverint] Confer 2. Chron. 21. v. 16. & 17. Eò quòd deportaverint hos] Pronomen Hos non habetur in Hebræo: sed ad verbum dicitur, Propter deportare ipsos: id est, propterea quòd ipsi (nempe Gazæi) deportarunt. Quos autem deportarint, non exprimiuntur.

Ista versio postularet dici, על הגלוח איהם: non aut, על הגלוחם.  
Interim subintelligendum est, hinc esse sermonem de Judæis. Confer  
similes voces infra v. 11. & 13. Tradendos] Hebr. Ad traden-  
dum: id est, ut traderent. Edomæis] Hebr. Edomo. Metonymia  
efficientis.

7 Sed] Malim, Itaq, Hebr. Et. Habitorem] Id est, habi-  
tatores. Aschdodo] Alia urbs Philistæorum, quæ vulgo Azotum.  
Et sic deinceps adhuc duæ Philistæorum urbes commemorantur. E-  
rant autem istæ quatuor urbes metropoles satrapiarum in quas di-  
stincta erat Philistæa. Quinta, nomine Gath (cujus mentio fit  
1. Sam. 5. versu 8.) hinc omittitur. Tenentem sceptrum] Ut  
versu 5. Jehovi] Scribendum judico Jehova. In Hebræo addita  
sunt puncta nominis Elohim: quia præcedit Adonai: ne cogantur bis  
legere Adonai. Itaq, hinc legunt, Adonai Elohim.

9 Tyri] Hebr. Tzor. Id est, Tyrriorum. Metonymia subjecti. Eò  
quòd tradiderint hos] Mirum est, voculam hos hinc scribi ut  
supplementum, quæ in simili voce supra versu 6. scripta est ut pars  
textus. Hebr. על הסגירם: propter tradere ipsos: id est, propterea  
quòd ipsi (scil. Tyrii) tradiderunt. Quos autem tradiderint, non  
exprimitur. Sed intelligendi hinc sunt Israëlita. Confer similes vo-  
ces infra v. 11. & 13. Edomæis] Hebr. Edomo: ut versu 6. Fe-  
deris fraterni] Hebr. Federis fratrum. Id est, federis contracti in-  
ter Davidem & Hiramum, de quo 2. Sam. 5. v. 11. Quod fedus Sa-  
lomon constanter servavit, 1. Reg. 5. v. 1. Atq, hinc alter alterum fra-  
trem nominavit, 1. Reg. 9. v. 13.

10 Sed] Verto, Itaq, Hebr. Et. Ignem] Bellum. Metaphora.

11 Edomi] Id est, Edomæorum. Eò quòd persequatur]  
Verto, Persequutus est. Ex analogia præcedentium. Hebr. Propter  
persequi ipsum. על רדפו. Ex cuius vocis collatione confirmatur  
expositio vocum similium vers. 6. & 9. quam antea attuli. Fra-  
trem suum] id est, Israëlitas. Nam Israëlita & Edomæi erant  
inter se patruales, quippe orti ex duobus fratribus, Jacobo & Esa-  
vo. Corrupens] Hebr. Et quòd corrumpit. Discerpat] Sicut  
leo discerpat pecudem. Observet] Scil. occasiones incommo-  
dandi Israëlitis.

12 Sed] Verto, Itaq, Hebr. Et. Ignem] Bellum. Thema-  
nem] Id est, Posteris Themanis. Metonymia efficientis. Fuit au-  
tem The-

tem Theman nepos Esavi ex Eliphazo, Genes. 36. v. 15. Hic autem per synecdochen membri intelliguntur omnes Edomæi. Sic Jer. 49. vers. 7. Botzræ ] Hæc fuit metropolis Edomææ. Confer Esa. 34. versu 6.

13 Hammonitarum ] Heb. Filiorum Hammonis. Eò quòd diffiderint ] Hebr. Propter diffidere ipsos. Id est, Propterea quòd ipsi diffiderunt.

14 Sed ] Verto, Itaq; Hebr. Et. Ignem ] Bellum. Rabbæ ] Hæc fuit metropolis Hammonitarum. Vide 2. Sam. 11. v. 1.

15 Cum principibus suis ] Hebr. Et principes ejus.

16 Moabi ] Id est, Moabitarum. Eò quòd combusserit ] Hebr. Propter comburere ipsum. Ossa regis Edomæorum ] Hoc exponunt nostri de factò regis Moabitarum, de quo legitur 2. Reg. 3. v. 27. Sed meo iudicio non rectè: quippe quòd ibi narretur aliquid diversum, nempe quòd rex Moabitarum suum ipsius filium in holocaustum obtulerit. Vide Scholia mea ad illum locum. Ut calcem ] Hebr. Ad calcem.

17 Sed ] Verto, Itaq; Hebr. Et. Ignem ] Bellum. Moabum ] Moabitæ. Sic mox iterum. Kerijotharum ] Nomen urbis in regione Moabitarum.

18 Judicem ] Gubernatorem, sive regem.

SCHOLIA IN CAP. II.

Jehudæ ] Posterorum Judæ. Sic versu seq. Eò quòd sper- v. 1.  
nunt ] Hebr. Propter spernere ipsos. Mendacia ] Vetus inter-  
pres, idola: sensu bene expresso. Metonymia adjuncti. Quæ se-  
quuti sunt ] Hebr. Post quæ verunt. Majores ] Hebr. Patres.

2 Sed ] Verto, Itaq; Hebr. Et. Ignem ] Bellum. Jeruscha-  
laimorum ] Hierosolymæ.

3 Jisraëlis ] Decem tribuum. Eò quòd vendunt ] Hebr.  
Propter vendere ipsos. Pecuniâ ] Hebr. Pro argento. Metonymia  
materia. Pro ] Hebr. Propter.

4 In caput tenuium ] Hæc verba in Hebræo sunt trajecta.  
Dejecturi ] Ellipsis verbi relati. Viam ] Id est, instituta & acti-  
ones. Metaphora. Pervertunt ] Hebr. Declinare faciunt: id est,  
deflectunt. Accedunt ] Scil. concumbendi causâ. Synecdoche ge-  
neris. Nomen sanctitatis meæ ] Verto, Nomen sanctum meum.

5 Damnatorum] *Verto, Mulctatorum: i. e. eorum qui coacti sunt dare eis mulctam prater jus.*

6 Quamvis ego perdiderim &c.] *Vel, Ego verò perdidit. Et sic deinceps. Hebr. Et ego perdidit. Emoræum] Id est, Emoraos. Sic versu seq. Vide Num. 21. v. 21. & seqq. Robora] Quercus.*

7 Eduxerim] *Hebr. Ascendere feci. Deduxi] Hebr. Ire feci. Ipsius] Elegantius abesset. Ponitur pro articulo.*

8 Excitaverim è filiis &c.] *Hebr. Excitavi aliquos è filiis vestris in prophetas, & aliquos ex juvenibus vestris in neziraos. Neziraos] De his vide Num. 6. An verò non est ita] Hebr. An etiam nequaquam hoc?*

9 At] *Hebr. Et. Prophetis interdixistis] Heb. Contra prophetas præcepistis. In hac significatione verbum מִצַּוְתָא reperitur & alibi: ut Genes. 2. v. 16. Genes. 3. v. 12. Deut. 2. v. ult.*

10 Pressurus sum locum vestrum] *Verto. Pressurus sum in loco vestro. Pressurus sum, scil. eos qui me offenderunt. Suppleo autem præpositionem א, id est, IN, ante vocem istam מִן, significante locum: quia hac ellipsis in ista voce usitata est: ut videre est 1. Sam. 4. v. 9. Habak. 3. v. 16. Zach. 12. v. 6. Premit] Scil. animal quod rotis plaustris subicitur. Ex qua pressura illud debilitatur & ineptum redditur ad cursum. Hæc expositio confirmatur ex collatione versus sequentis. Wann einem vieh oder menschen ein rad eines geladenen wagens über ein bân/oder über den leib gehet: So wirdt es dadurch geschwecht / daß es entweder gar nicht/oder doch schwârtlich fortgehen kan. Quod plenum est] *Hebr. Quod plenum est sibi. Pleonasmus. Manipulis] Hebr. Manipulo. Synecdoche membri.**

11 Itaque] *Hebr. Et. Sensu bene expresso: ex collatione versus precedentis. Effugium] Quo conabitur effugere hostes. A levi] Id est, à veloce seu celeri. Metonymia efficientis. Non fortificabit vires suas] Scil. Ad resistendum hosti. Potens] Malim, fortis. Liberabit] Hebr. Evadere faciet. Se ipsum] Hebr. Animam suam. Synecdoche membri.*

12 Levis] *Ut versu precedente. Liberabit] Ut versu precedente. Insidens equo] Vel, Qui vehitur equo. Se ipsum] Ut versu precedente.*

13 Anno. 0] *Hebr. Corde suo. Inter potentissimos] Hebr. Inter*

*Inter*

*Inter fortes. Quanquam est diversa vox à proximè precedente. Potest etiam verti, Inter robustos. Nudus] Abjctis scil. armis. Synecdoche generis.*


OBSERV. EX CAP. I. ET II.

**E**X v. 1. ex verbis, *Qui fuit inter pecuarios. Minister verbi Dei, si legitimè vocatus sit, non est spernendus propter contemtibilem personæ suæ conditionem.* 1.   
Ministri   
verbi Dei.

Ex versu 2. ex verbis, *Jehova è Tzijone rugiet. Quum audimus, ministros verbi propter populi peccata denuntiare calamitates publicas: debemus animo percelli, & pœnitentiæ operam dare.* 2.   
Ministri   
verbi Dei.

Ex eodem versu, ex verbis, *Luxerunt habitacula pastorum &c. Siccitas terræ est unum ex flagellis Dei.* 3.   
Siccitas   
terra.

Ex v. 3. & seqq. & ex cap. secundo toto. *Bellum est unum ex flagellis Dei, quibus flagellat populos propter ipsorum scelera.* 4.   
Bellum.



CAPUT III.

**A**udite verbum hoc quod loquitur Jehova contra vos, filii Jisraëlis: contra totam familiam illam quam eduxeram è terra Ægypti, dicendo:

2 Solummodò vos agnoveram ex omnibus familiis terræ: idcirco animadvertam in vos omnes iniquitates vestras.

3 An ambulaturi essent duo unà, nisi convenirent?

4 An rugiturus esset leo in filva, si præda nulla adesset ei? an editurus esset juvenis leo vocem

suam è lostro suo, nisi si capturus esset?

5 An casura esset avis in laqueum humilem, si tendicula non adesset ei? an elaturus esset auceps laqueum è terra, si prorsus non capturus esset?

6 Quum clauxit buccina in civitate, si populus trepidè non accurrerint, an erit malum in civitate quod Jehova non efficiat?

7 Non enim facit Dominus Jehovi quicquam, nisi quum re-

velaverit secretum suum servis  
suis prophetis.

8 Leone rugiente quis non ti-  
meat? Domino Jehovi edicente  
quis non prophetet?

9 Promulgate in palatiis Afch-  
dodi, & in palatiis in terra Ægypti;  
& dicite, Colligite vos per mon-  
tes Schomronis, & videte vexati-  
ones plurimas in ea & oppressos  
in ea:

10 Ut ignorent facere rectum,  
dictum Jehovæ, qui thesauros fa-  
ciunt violentiæ & vastationis in  
palatiis suis.

11 Idcirco sic ait Dominus Je-  
hovi, Hostis, etiam qui circum-  
stat hanc terram; is dejiciet à te  
robur tuum, & diripientur pala-  
tia tua.

12 Sic ait Jehova; Quemad-  
modum eripit pastor ex ore leo-  
nis ambo crura aut particulam  
auritam: ita eripientur Jisraëlitæ,  
qui desident Schomrone in latere  
lecti, & in crure spondæ.

13 Audite & testificamini in  
domo Jahakobi, dictum Domini  
Jehovi dei exercituum,

14 Quo die animadvertam  
defectiones Jisraëlis in ipsum; me  
animadversurum quoque in alta-  
ria Beth-elis, adeò ut excindan-  
tur cornua altaris, & cadant in  
terram:

15 Et percussurum domū hie-  
malem cum domo æstivali: deni-  
que perituras domos eburneas, &  
defecturas domos amplas, di-  
ctum Jehovæ.

### ANALYSIS CAP. III.

**H**Oc capite continetur concio Hoseæ se-  
cunda: in qua Israëlitis universis, ac in pri-  
mis decem tribubus, pœnas Dei denuntiat pro-  
pter ipsorum peccata. Partes concionis sunt tres:  
exordium, propositio, & expolitio. In exordio  
hortatur filios Israëlis ad audiendum: & simul  
declarat, quos nomine illo intelligat, v. 1. Propo-  
sitio amplificatur à pari, in hanc sententiam; Si-  
cut vos præ cæteris populis mihi adoptavi in  
populum peculiarem: ita etiam vos præ cæteris  
populis propter vestram ingratitude[m] casti-  
gabo, vers. 2. Expolitio tribus membris constat:  
commemoratione peccatorum, commemora-  
tione pœnarum, & hortatione ad timorem ex  
denuntiatione pœnarum. Peccata & pœnæ com-  
memorantur promiscuè, v. 3. & deinceps: horta-  
tio inferitur (quanquam obliquè) versu 6. 7. & 8  
Peccata

Peccata commemorantur quinque: (1) oppressio egenorum, ψ. 9. (2) avaritia, ψ. 10. (3) fastus, ψ. 10. 11. & 15. (4) comessationes, ψ. 12. (5) idololatria, ψ. 14. Oppressio egenorum confirmatur per *αλασται*, fictionem, testimonio exterorum populorum, nempe Philistæorum & Ægyptiorum: quos propheta jubet convocari in Samariam, ut oppressionis illius testes oculati sint, ψ. 9. Avaritia significatur ex effectu, videl. congestione thesaurorum, ψ. 10. Fastus similiter significatur ex effectis, videl. palatiis, ψ. 10. & 11: & domibus magnificis, ψ. 15. Comessationes significantur è subjecto loco, videl. lectis & spondis, ubi accubuerunt comessantes, ψ. 12. Idololatria significatur per illius instrumentum quoddam, videl. altaria Bethelis, ψ. 14. Atq; hæc de peccatis. Pœnæ commemorantur item quinque: (1) desertio, versu 3. (2) cædes, ψ. 4. 5. & 12. (3) spoliatio, ψ. 11. (4) demolitio altarium, ψ. 14. (5) demolitio domorum magnificarum, ψ. 15. Desertio qua Dominus deserturus erat Israëlitas, significatur per simile desertionis comitis qui cum aliquo iter facit, ψ. 3. Cædes significantur per duo similia: videlicet discriptionem ovis à leone, ψ. 4. & 12. & occisionem avicularum laqueo captarum, ψ. 5. Spoliatio seu direptio facultatum amplificatur à causa corrumpente, videl. munitionibus, ψ. 11. Demolitio altarium significatur per partem, videl. dejectionem cornuum, ψ. 14. Demolitio domorum magnificarum amplificatur ex illarum partim usu, idq; per distributionem: partim ex materia pretiosa, ψ. 15. Atq; hæc de pœnis. Hortatio

autem ad timorem ex denuntiatione istarum pœnarum confirmatur tribus modis: (1) à simili trepidationis populi ex auditu clangoris tubæ indicantis adventum hostium, *ψ. 6.* (2) à pœnarum illarum authore, qui sit Jehova, ibidem. (3) ab authore patefactionis illarum: qui sit idem Jehova, *ψ. 7. & 8.*

## SCHOLIA IN CAP. III.

*ψ. 1.* **L**oquitur] *Hebr. Loquutus est.* Quam] *Id est, Cujus majores. Metonymia effecti.* Eduxeram] *Hebr. Ascendere feci.* Dicendo] *Hæc vox pendet à verbo, Loquitur.*

2 Agnoveram] *Malim, Agnovi. Id est, curam singularem vestri gessi.* Terræ] *Hebr. Humi. Animadvertam in vos] Hebr. Visitabo contra vos. Visitabo: scil. in ira. Synecdoche generis. Id est, Puniam vos propter iniquitates vestras.*

3 An ambulaturi essent &c.] *Hoc simili significat, se velle ipsos deserere: quia sibi cum eis non conveniat: nimirum quod offensus sit eorum peccatis. Interrogatio vim habet negandi. Sic & sequentes, v. 4. 5. & 6.*

4 An rugiturus esset &c.] *Hoc simili significat, se non temere denuntiare eis calamitates, sed illas certò ipsis eventuras. Si] Hebr. Et. Sic deinceps. Præda] Pecus quam possit discerpere. Hoc enim *קָדָשׁ* propriè significat. Capturus esset] *Scil. pecudem aliquam quam conspiciatur. Heb. Cepit.**

5 An casura esset avis &c.] *Hoc simili significat, se Israëlitis procuraturum insidias hostiles, & insidiis illis successum daturum. Avis] Seu, avicula. Hoc enim vox Hebræa *אֵיבָר* propriè significat. In laqueum humilem] *Verto, In laqueum in terra jacentem. Heb. In laqueum terræ. Genitivus subjecti. Confirmatur autem hæc expositio ex antithesi. Tendicula] Vox Hebræa *שִׁקְמָה* ipsa quoq; laqueum significat. Elaturus] *In sublime tracturus. Heb. Ascendere facturum. Auceps] Ellipsis nominis relati. E terra] Hebr. Ex humo. Prorsus non capturus] Hebr. Capiendo non capturus.***

6 Quum clangit &c.] *Verto, An clangitur buccinâ in civitate, &*



tate, & populus non trepidat? Hebr. Clangetur: trepidabunt. Vocula autem **אִם** hic idem valet quod **אִם** interrogativum: ut planum est ex analogia precedentium & sequentium. Et ante nomen **אִם** deficit prepositio **ב**. Intelligitur autem clangor buccina, quo significatur adventatio hostium: per synecdochen generis. Porro simili hoc significat, Israëlitis ad denuntiationem pœnarum quam propheta nomine Dei faciunt, debere trepidare: ac proinde ad pœnitentiam se conferre, ut pœnas denuntiatas avertant. Malum] Id est, pœna. Synecdoche generis.

7 Facit] Hebr. Faciet. Id est, facere solet. Dominus Jehovi] Hic Hebraei legunt Adonai elohim: quia nomen יהוה habet puncta nominis אלהים. Quicquam] Id est, ullum malum, seu ullam pœnam. Synecdoche generis. Hebr. Verbum. Metonymia adjuncti. Nisi quum] Vel simpliciter, Nisi. In qua significatione duæ voculae אִם **אִם** etiam alibi reperiuntur: ut videre est Ruth 3. v. 18. 2. Sam. 5. v. 6.

8 Leone rugiente &c.] Hebr. Leo rugit: quis non timebit? Dominus Jehova loquutus est: quis non prophetabit? His verbis significat, denuntiationem pœnarum quam eis nomine Dei proponat, esse ipsis extimescendam: & se non posse non illam pronuntiare. Confer Ezech. 3. & 33.

9 Promulgate] Scil. scelera decem tribuum Apostrophe ad prophetas. Hebr. Audire facite. Aschdodi] Hebr. In Aschdodo. Nomen urbis in Philistea: quæ vulgo Azotum. Per montes] Verto, In montes. Hebr. Super montes. Schomronis] Samaria. In ea] Hebr. In medio ejus. Oppressos] Scil. per fraudem. Hoc enim vox Hebraea **אִם** proprie significat. In ea] Hebr. In intimo ejus.

10 Sed ignorent] Verto, Non enim norunt. Hebr. Et non norunt.

11 Hostis, etiam &c.] Verto, Hostis veniet, & quidem cingendo hanc terram: & deficiet &c. Hostis veniet] Ellipsis verbi relati. Cingendo hanc terram] Hebr. In circuitu terra. Per hostem autem intelligit regem Assyriae, Salmanassarem, ut percipitur ex versu sequente. Is enim Samariam vi cepit, & populum captivum abduxit, 2. Reg. 17. v. 6.

12 Eripit] Hebr. Eripiet. Id est, eripere solet. Particulam

auritam] *Verto simpliciter, ut est in Hebraeo, Particulam auris: ita ut sit genitivus totius, non autem adjuncti. Ein Stücklin vom Ohr. Ita] Nempe ita pauci, & cum tali difficultate. Eripiuntur] Scil. è manibus militum Assyriorum. Desident] Hebr. Sedent. Scil. convivantes. Synecdoche generis. Confer infr. cap. 6. v. 4. Crure] Pede Metaphora.*

13 Audite] *Rursum apostrophe ad prophetas. In domo] Apud familiam seu posteros.*

14 Quo die &c.] *Verto, Nam quo die visitabo transgressiones Israël contra ipsum, visitabo quoq; altaria Bethelis &c. Visitandi verbo intelligitur hic puniatio, per synecdochen generis.*

15 Et percussurum] *Verto, Et percutiam &c. deniq; peribunt domus &c. & deficient domus &c. Domum hyemalem] Hebr. Domum hyemis. Genitivus subjecti. Intelligitur enim domus que hyemi adjungitur. Domo æstivali] Hebr. Domo æstatis. Genitivus qualis modò. Domos eburneas] Hebr. Domos eboris. Genitivus materie. Confer infrà cap. 6. versu 4. Amplas] Magnificas.*

## OBSERVAT. EX CAP. III.

1.  
Beneficia  
Dei.

EX v. 2. Quò majoribus beneficiis Deus populum aliquem afficit: eò justiore habet causam illum puniendi, si ipsum peccatis offendat.

2.  
Peccata.

EX v. 3. Ne Deum moveamus ut nos deserat: opus est ut inter nos & ipsum conveniat. Convenire autem non potest, si eum peccatis offendamus.

3.  
Pœna di-  
vina.

EX v. 4. & 5. Quum Deus populo alicui impœnitenti pœnas denuntiat & apparat: id argumento est, pœnas illas certò eventuras.

4.  
Pœna di-  
vina.

EX v. 6. Quum audimus nobis à ministris verbi Dei denuntiarì pœnas divinas: debemus expavescere, & operam dare ut pœnas illas per seriam pœnitentiam avertamus.

Ex co-

Ex eodem versu notetur testimonium de auctore calamitatum generis humani. Is est Deus: sed causa procatartica sunt hominum peccata.

5.  
Calamitates.

Ex v. 7. Singulare Dei beneficium est, quod Deus populo suo non immittit poenas, nisi eas prius per servos suos indicaverit. Sic enim praebetur populo Dei occasio poenas illas per poenitentiam avertendi.

6.  
Poena divina.

Ex v. 8. ex verbis, Domino Jehova edicente, quis non prophetet? Deus animos ministrorum verbi confirmat, ut populo poenas commeritas intrepidè annuntient.

7.  
Ministri verbi Dei.

Ex v. 9. Turpe est, quum ii qui veram religionem profitentur, tam nequiter vivunt, ut etiam infideles facta eorum detestentur.

8.  
Professio vera religionis.

Ex v. 10. Cavendum ne thesauros congeramus per avaritiam & oppressionem egenorum.

9.  
Thesauri.

Ex v. 11. Munitiones nihil juvant contra Deum iratum.

10.  
Munitiones.

Ex v. 12. In publicis calamitatibus Deus interdum paucos aliquos eripit.


11.  
Calamitates.

Ex v. 14. Instrumenta idololatriæ è medio tollenda sunt.

12.  
Idololatria.

Ex v. 15. Fastus vitandus est.

13.  
Fastus.



CAPUT IV.

**A**udite verbum istud, vaccae Baschanis, quæ estis in montanis Schomronis, quæ opprimitis tenues, quæ confringitis egenes; quæ dicitis dominis illorum, Affer ut bibamus.

superventuri sunt vobis; quum tollet vos aculeis, & posteritatem vestram hamis piscatoriis.

2 Jurat Dominus Jehovi per sanctitatem suam, quod ecce dies

3 Et per rupturas exhibitis quæque è regione sui; ac abjicietis quæ erunt in palatio, dictum Jehovæ.

4 Ite Beth-elem & deficite,

Giigale angete defectionem; & afferite unoquoque mâne sacrificia vestra, tertio quoque anno pleno decimas vestras;

5 Et adolendo è fermentato eucharisticum, etiam indicite sacrificia voluntaria, inelamate: siquidem ita amatis Jisraëlitæ, dictum Domini Jehovi.

6 Nam etiam ego dedi vobis munditiam dentium in omnibus civitatibus vestris, & penuriam cibi in omnibus locis vestris; nec tamen conversi estis ad me, dictum Jehovæ:

7 Etiamque ego cohibui à vobis imbrem, quum adhuc tres menses *superessent* ad messem, & demisi pluviam super civitatem unam, super civitatem verò alteram non demisi pluviam: portio una complura est, & portio quæ non sivit pluviam descendere super se exaruit:

8 Ita evagabantur duæ, tres civitates ad civitatem unam ut biberent aquas, neq; saturabantur; tamen non estis reversi ad me, dictum Jehovæ.

9 Percussi vos uredine, & ru-

bigine; argentibus hortis vestris & vineis vestris, ficibusq; vestris, & oleis vestris, *ea* consumsit eruca; nec tamen reve si estis ad me, dictum Jehovæ.

10 Misi in vos pestem proratione Ægypti, interfeci gladio juvenes vestros adjunctâ captivitate equorum vestrorum; feciq; ut ascenderet fœtor castrorum vestrorum etiam in nasum vestram, nec tamen conversi estis ad me, dictum Jehovæ.

11 Subverti ex vobis prout subvertit Deus Sedomum & Hamoram, adeò ut fueritis similes torri erepto ab incendio: nec tamen conversi estis ad me, dictum Jehovæ.

12 Idcirco sic facturus sum tibi, ô Jisraël: propterea quòd hoc facturus sum tibi, paratus ades dum obviam deo tuo, ô Jisraël.

13 Nam ecce formator montium, & creator venti, & indicans homini quæ *sit* sua meditatio, efficiens auroram obscuram, & proculcans excelsa terræ; Jehovæ Deus exercituum *est* nomine.

#### ANALYSIS CAP. IV.

**H**OCCapite continetur Amosi concio tertia: in qua primùm Israëlitis, ac in primis potentioribus seu magnatibus, denuntiat pœnas Dei propter ipsorum peccata: deinde eos hortatur ad pœnitentiam. Pars posterior continetur duobus versib. ultimis. Cæterùm peccata & pœnas commemorat promiscuè. Et peccata quidem commemorat quatuor. Ea sunt: (1) oppressio egenorum, (2) ebriositas, (3) idololatria, (4) im-

(4) impœnitentia. Ex his oppressio & ebriositas in specie tribuuntur potentioribus seu magnatibus, v. 1. Quorum potentia significatur simili: ebriositas verò significatur ex effecto destinato. Idololatria Israëlitarum declaratur tribus modis: (1) à subjectis locis, v. 4. (2) per partes quatuor: quæ singulæ speciem habebant cultus veri & à Deo præcepti, v. 4. & 5. (3) à causa impulsiva antecedente, videl. lubitu illorum in fine versus quinti. Exornatur autem ista idololatriæ commemoratio hortatione ironicâ. Jam impœnitentia Israëlitarum declaratur & amplificatur à causa corrumpente, quæ illos debuit ab impœnitentia deterrere, & è contrario ad pœnitentiam adducere. Eæ fuerunt pœnæ Dei antegressæ: quæ commemorantur novem: videl. (1) defectus panis, (2) defectus pluvix, (3) corruptio frugum, (4) corruptio fructuum arboreorum, (5) pestis, (6) gladius, (7) captivitas equorum, (8) fœtor castrorum, (9) everfio urbium. Quæ singula sic tractantur. Defectus panis illustratur ex effecto, v. 6. Defectus pluvix declaratur tribus modis: (1) in specie de pluvia serotina, quæ describitur è subjecto tempore, v. 7. (2) antithesi, ibidem: (3) ex effectis, v. 8. Corruptio frugum declaratur ex causis instrumentalibus duabus, v. 9. Corruptio fructuum arboreorum declaratur ex causa instrumentali, & amplificatur per species quatuor, eodem versu. Pestis declaratur exemplo simili, v. 10. Gladius seu cædes declaratur ex objecto speciali, ibid. Captivitas equorum commemoratur simpliciter, ibidem. Fœtor castrorum am-

plificatur ex effectu, ibidem. Eversio urbium declaratur exemplo simili: & amplificatur ex effectu, qui significatur simili,  $\psi$ . 11. Atque hæc de peccatis. Pœnæ commemorantur tres: deportatio, fuga, & amissio facultatum. Deportatio significatur simili,  $\psi$ . 2. Fuga declaratur ex modo agendi,  $\psi$ . 3. Amissio facultatum similiter, ibidem. Atque hæc de pœnis.

Jam ad alteram concionis partem quod attinet: hortatio ad pœnitentiam sic tractatur. Primum repetitur comminatio pœnarum verbis generalibus, deduciturque ex commemoratione peccatorum,  $\psi$ . 12. Deinde ex illa comminatione deducitur ipsa hortatio, ibidem: ubi pœnitentia significatur per simile, ibidem. Postremò confirmatur ista hortatio à causis impulsivis duabus: (1) consideratione promptitudinis Dei ad ignoscendum resipiscentibus, ibi, *Deo tuo*: (2) consideratione potentiae Dei ad servandum: quæ potentia significatur ex effectis quinque, versu 13.

#### SCHOLIA IN CAP. IV.

$\psi$ . 1. **V**Accæ Baschanis] *Id est, vos divites & autoritate præditi. Metaphora. nam vacca Baschanis pinguescebant propter pascui bonitatem. In montanis] Hebr. In monte. Synecdoche membri. Sed potest propriè intelligi de monte in quo sita erat urbs Samaria. Et hoc potius videtur: quia è sequentibus apparet, prophetam hinc propriè alloqui iudices: illi autem residebant in urbe Samaria. Schomronis] Samarie. Opprimitis] Scil. per fraudem. Hoc enim verbum  $\psi$  propriè significat. Tenues] Pauperes. Metaphora. Dominis illorum] Scil. qui cum illis coram vobis litigant. Affer] Scil. pecuniam. Ut bibamus] Scil. Vinum pro illa pecunia emtum.*

2 Ju-

2 Jurat] *Verto, Juravit.* Dominus Jehovi] *Adonái elohím.*  
 Superventuri sunt vobis] *Heb. Venturi sunt super vos.* Quú] *Hebr. Et.* Tollet vos] *Scil. hostis.* Ellipsis nominis relati. Tollet autem, *scil. tanquam grandes pisces è mari.* Pisces enim grandes aculeis infixis è mari tolluntur. Sensus est, *Deportabit vos hostis.* Metonymia adjuncti. Confer *Job 41. v. 2. aliàs 40. 21. Ezech. 29. v. 4.* Aculeis] *Hastis aculeatis.* Posteritatem vestram] *Verto, Extremum vestrum.* Id est, *plebeios.* Hamis piscatoriis] *Heb. Hamis piscationis.* Genitivus effecti.

3 Per rupturas] *Scil. murorum, effectas ab hostibus.* Quæque] *Nomine generis fœminini respicit ad nomen vaccarum, quo illos nominaverat versu 1. Hebr. Mulier.* Metaphora *קלא רגשית.* Quæ erunt in palatio] *Verto, Quæ illata fuerint in palatia.* *Heb. In palatium.* *ההרמונה.* In qua voce primum ה valet articulus ת: ad quem subauditur verbum relatum *מוכרות*, id est, *εἰσενεργούμενα.* ה autem secundum positum est pro א: nam literæ *הו* sunt inter se permutabiles. ה autem ultimum est locale, notans motum ad locum.

4 Ite &c.] *Hortatio ironica. qualis Jerem. 7. vers. 21.* Deficite] *Verto, transgredimini.* Scil. *legem Dei de cultu ipsius.* Synecdoche generis. *Beth-ele enim colebant vitulum aureum.* Gilgale] *In Hebræo deficit præpositio ב.* Confer *Ose. 12. vers. 12.* Augete] *Hebr. Multiplycate.* Defectionem] *Verto, transgressionem.* *Hebr. Transgredi.* Infinitivus loco nominis. Unoquoque mâne] *Vel, simpliciter, mâne: id est, tempore matutino.* *Hebr. Secundum mâne: cum articulo.* Ut si Gracè dicas, *κατὰ τὸ πρωί.* Tertio quoq; anno pleno] *Hebr. Post tres annos dierum.* Ubi præpositio ה valet Post. Et ante nomen *ימים* deficit nomen *שנות*. Cujus ellipseos exempla occurrunt etiam *Levit. 25. v. 29. Num. 9. v. 22. 1. Sam. 27. v. 7.* Annus autem dierum nominatur annus plenus, *cujus scil. dies omnes elapsi sunt: quo sensu alibi dicitur mensis dierum pro mense pleno seu integro: ut Genes. 29. vers. 14. Num. 11. vers. 20. & 21.* Respicitur autem his verbis ad legem que exstat *Deut. 14. v. 28.*

5 Et adolendo &c.] *Verto, Et adolete è fermentato cuna sacrificio eucharistico: & indicite sacrificia voluntaria, proclamate ea.* Adolete] *Scil. suffitum.* *Hebr. Adolere.* Infinitivus loco im-

perativi. Nostri hanc vocem referunt ad vocem Eucharisticam. Sed hanc versionem res ipsa respuit. Sacrificia enim eucharistica, id est, pecudes quæ ad testandum gratiarum actionem offerebantur, non adolebantur: sicut nec pecudes aliorum sacrificiorum: sed adolebatur suffimentum, puta thus. Sed quid sibi vult propositio in voce  $\text{חֲמֵצָה}$ , i. e. Ex fermentato. An igitur ex pane fermentato fiebat suffitus? Non puto. Neque enim hoc usquam legitur. Caterum de pane fermentato cum sacrificio eucharistico conjungendo vide Levit. 7. v. 3. aliàs 13. Cum sacrificio eucharistico] Hebr. Cum confessione: id est, gratiarum actione. Synecdoche generis, & metonymia finis pro destinato: qualis etiam reperitur 2. Chron. 29 versu 31. Indicite] Hebr. Vocate, seu proclamate. Proclamate] Hebr. Audire facite. Ita amatis] Id est, Ita vobis lubet. Jisraëlitæ] Hebr. Filii Israël.

6 Nam] Verto, Ideo. Hebr. Et. Narratur enim hic effectum precedentium peccatorum. Dedi vobis munditiam dentium] Id est, Defectum panis. Metonymia effecti, gemina. Nam ubi deficit panis, ibi non potest comedi panis: ubi non comeditur panis, nihil ex illo adhærescit dentibus, atque ita dentes mundi manent: quantum ad hoc quidem attinet. Concurrit igitur etiam synecdoche generis. Et penuriam cibi] Epexege sis. Verto autem, Penuriam panis. Hac autem penuria accidit temporibus regis Ahab, 1. Reg. 17. & 18.

7 Cohibui à vobis imbrem] Vel, pluviam. Vide 1. Reg. 17. Quum adhuc tres menses superessent ad messem] Id est, cohibui pluviam serotinam, quæ cadere solet mense primo, Joël. 2. v. 23. id est, mense Martio: qui tertius est ante Majum, in quem messis in istis locis incidebat. Quæ non sivit descendere pluviam super se] Scil. propter impietatem domini sui.

8 Ita] Hebr. Et. Duæ tres] Verto, Duæ aut tres. Aquas] Vel, aquam. Tamen] Hebr. Et.

9 Augentibus &c.] Verto, Quum multum ferrent horti vestri, & vineæ vestrae &c. Hebr. In multiplicando. Synecdoche generis. Horti] Id est, arbores. Metonymia subjecti. Vineæ] Id est, vites. Metonymia qualis modo. Consumsit eruca] Id est, Consumserunt eruca. Vide Joël 1. v. 4. & cap. 2. v. 25. Nec tamen] Hebr. Et non. Sic deinceps.

10 Misi]



10 M'fi] *Verto, Immisi. nam verbum est conjugationis Pihél.*  
 Pro ratione] *Hebr. Pro viâ: seu, secundum viam. Metaphora. Et 2*  
*ponitur pro 2. Ægypti] Vide Exod. 9. Adjunctâ captivitate]*  
*Hebr. Cum captivitate. Vide 2. Reg. 5. v. 2.*

11 Subverti ex vobis] *Verto, Subverti aliquos ex vobis. Ex*  
*vobis] Prepositio 2 hic valet Ex. Prout subvertit Deus &c.]*  
*Hebr. Secundum subversionem Dei quâ subvertit &c.*

12 Sic] *Ut supra minatus sum versu 2. & 3. O Jisraël] O*  
*Israëlitæ, id est, decem tribus. Paratus ad eisdem obviam &c.]*  
*Hebr. Preparare (id est, preparate) in occursum dei tui. Scil. per*  
*seriam resipiscentiam.*

13 Nam ecce formator montium &c.] *Verto, Nam ecce*  
*ipse format montes, creatq; ventum; & indicat homini quæ sit*  
*sua meditatio: efficit auroram & obscuritatem, inceditq; super ex-*  
*celsis terræ. Obscuritatem] Scil. noctis. Hebr. Lassitudinem.*  
*Metonymia efficientis metaphorica. nam quum sol quasi lassus oc-*  
*cumbit & in thalamum suum ingreditur, tum existunt tenebræ.*  
*Incedit] Hebr. Calcat. Synecdoche generis. Est nomine] Verto,*  
*Est nomen ejus.*

OBSERVAT. EX CAP. IV.

EX parte prima tota. Oppressio egenorum,  
 ebriositas, idololatria & impœnitentia, sunt  
 ejusmodi peccata quæ Deum movent ad publi-  
 cas pœnas immittendas. Fugienda igitur.

1.  
Oppressio  
egenorum.  
Ebriositas.  
Idololatria  
Impœni-  
tentia.

Ex v. 1. ex verbis, *Vacæ Baschanis, quæ opprimi-*  
*tis &c.* Cavendum, ne potentiâ abutamur ad op-  
 pressionem egenorum.

2.  
Potentia  
humana.

Ex eod. versu, ex verbis, *Quæ dicitis dominis illo-*  
*rum, Affer ut bibamus.* Judici cavendum, ne captet  
 munera: néve munerum causâ pronuntiet se-  
 cundum potentio rem.

3.  
Judices.

Ex v. 7. Pluvia non cadit temere, sed guber-  
 natur à Deo. Item pluvix necessariæ defectus,  
 est flagellum Dei.

4.  
Pluvia.

5.  
Frugum  
corruptio.

6.  
Pestis. Bel-  
lum.

7.  
Pœna di-  
vina.

Ex vers. 9. Frugum & fructuum arboreorum corruptio est flagellum Dei.

Ex v. 10. & 11. Pestis & bellum sunt flagella Dei.

Ex v. 12. & 13. Quum Deus nobis per ministros verbi denuntiat pœnas propter nostra peccata: tum officii nostri est ei occurrere, & pœnas illas avertere, per seriam pœnitentiam. Ad pœnitentiam autem moveri debemus consideratione tum promissionis Dei de peccatis condonandis, tum potentiæ illius in malis avertendis.

## CAPUT V.

**A**udite verbum hoc, quod ego profero cōtra vos lamentabile. *ō* domus Jisraëlis.

2 Cadit, non perget stare virgo Jisraëlis; deserta erit in terra sua, nemo eriget eam.

3 Sic enim ait Dominus Jehovi, Civitas illa quæ procedit millenis, reliquos faciet centenos; & quæ procedit centenis, reliquos faciet denos, domui Jisraëlis.

4 Nam sic ait Jehova domui Jisraëlis; Quærite me, ita vivite.

5 Et ne quæritis Beth elem, & Gilgalem ne adeatis, & Beerschebahum ne transeatis: quia Gilgalita omnino migrabit, & Beth elita abibit in nihilum.

6 Quærite Jehovam, ita vivite: ut non pervadat velut ignis domum Josephi, & consumat Bethelitas, nemine exstinguente,

7 Mutantes in absinthium jus, & justitiam humi collocantes.

8 Quærite opificem Pleiadum & Orionis, qui & mutat in matu-

tinum densissimam umbram, & diem nocte obtenebrat; advocantem aquas maris, & effundentem eas in superficiem terræ, Jehovam nomine,

9 Qui recreat se vastatione contra fortem; ut vastatiomunitioni obveniat.

10 Oderunt in porta corripientem, & loquentem integrum abominantur.

11 Propterea, eò quòd calcaturam agitis cōtra tenuem, & onus frumenti accipitis ab eo, domos cæso lapide ædificastis, sed non habitabitis in eis; vineas desideratissimas consecistis, sed non bibetis vinum earum.

12 Quia novi multas defectiōnes vestras, & ingentia peccata vestra; affligentium justum, accipientium redemptionem, & egen-tes in porta pervertentium:

13 Ideirco intelligens tempore illo filebit, quum tempus mali erit.

14 Quæ-

14 Quærite bonum, neq; malum, ut vivatis: aderitque ita Jehova deus exercituum vobis, ut prædicatis.

15 Odio habete malum, & amate bonum, ac constituite in porta jus; fortasse gratiam faciet Jehova deus exercituum reliquiis Josephi.

16 Idcirco sic ait Jehova, deus exercituum, Dominus, In omnibus plateis planctum, & in omnibus vicis dicent, Heu, heu: & vocabunt agricolam ad luctum, & ad planctum cum peritis lamenti.

17 Etiam in omnibus vineis erit planctus; quum transibo in medio tui, ait Jehova.

18 Væ concupiscentibus diem Jehovæ! Quorsum vobis diem Jehovæ? tenebrarum est, non autem lucis;

19 Tamquam si cui fugienti à conspectu leonis occurrat ursus: aut ingressum domum, & innitentem manu sua ad parietem mordeat serpens.

20 An non esset tenebrarum, dies Jehovæ, non autem lucis? & caliginosus, cui non inesset splendor?

21 Odi, sperno dies festos vestros: neque odoraturus sum diebus interdicti vestris.

22 Nam si obtuleritis mihi holocausta & munera vestra, non accepta habebo: & eucharisticum pinguium vestrorum non intuebor.

23 Amovendo à me strepitum canticorum tuorum, etiam melos nabliorum tuorum non audiam:

24 Sed fluet tamquam aqua jus, & justitia ut torrens validus.

25 An sacrificia & munus obtulistis mihi in deserto quadraginta annis, domus Jisraëlis?

26 Imò portastis tabernaculum Meleci vestri, & basin imaginum vestrarum: sidus dei vestri, quæ fecistis vobis.

27 Quapropter deportabo vos ulterius Damascenis, ait Jehova deus exercituum nomine.

A N A L Y S I S C A P. V.

**H**Oc capite continetur concio Amosi quarta: in qua tria agit, sed promiscuè. Nam partim denuntiat decem tribubus pœnas Dei propter peccata: partim hortatur eos ad pœnitentiam: partim denique occurrit eorum objectionibus. In exordio concionis duo agit: (1) hortatur eos ad audiendum: (2) proponit summam dicendorum, v. 1. Pœnæ indicantur octo: (1) casus seu interitus regni, v. 2. & 6. (2) diminutio multitudinis bellatorum per cædes, v. 3. (3) mi-

K

gratio seu deportatio,  $\psi$ . 5. 11. & 27. (4) vastatio  
munitionum,  $\psi$ . 9. (5) planctus & lamentatio,  
 $\psi$ . 16. & 17. (6) mœstitia,  $\psi$ . 18. & 20. (7) fuga fru-  
stranea,  $\psi$ . 19. (8) refugium frustraneum, ibidem.  
Hæ pœnæ in univèrsum omnes declarantur ab  
effectu,  $\psi$ . 13. In specie autem casus seu interitus  
regni illustratur similibus duobus: casu virginis,  
 $\psi$ . 2. & consumptione per ignem,  $\psi$ . 6. Diminutio  
bellatorum illustratur speciebus duabus,  $\psi$ . 3. Mi-  
gratio seu deportatio illustratur tribus modis:  
(1) à specie deportandorum,  $\psi$ . 5: (2) antithesi,  
 $\psi$ . 11: (3) à termino ad quem,  $\psi$ . 27. Vastatio mu-  
nitionum amplificatur ab effectu,  $\psi$ . 9. Planctus  
& lamentatio illustratur tribus modis: (1) à sub-  
jectis locis,  $\psi$ . 16. & 17: (2) à certa specie plangen-  
tium,  $\psi$ . 16: (3) à causa procreante,  $\psi$ . 17. Mœsti-  
tia significatur simili tenebrarum,  $\psi$ . 18. & 20.  
Amplificatur autem antithesi simulationis Israë-  
litarum,  $\psi$ . 18. Fuga frustranea declaratur à spe-  
cie,  $\psi$ . 19. Refugium frustraneum similiter, ibid.  
Atque hæc de pœnis. Peccata indicantur tria:  
(1) idololatria,  $\psi$ . 5. 25. & 26. (2) oppressio juris  
publici,  $\psi$ . 7. 10. & 12. (3) oppressio egenorum,  
 $\psi$ . 11. Idololatria declaratur & amplificatur tribus  
modis: (1) à subjectis locis,  $\psi$ . 5. & 25. (2) à dura-  
tione temporis,  $\psi$ . 25. (3) à speciebus,  $\psi$ . 26. Op-  
pressio juris illustratur & ipsa tribus modis: (1) si-  
milibus duobus,  $\psi$ . 7. (2) à causa procreante,  $\psi$ . 10.  
(3) à speciebus, versu 12. Oppressio egenorum  
(1) amplificatur à simili,  $\psi$ . 11. (2) declaratur à spe-  
cie, ibidem. Atque hæc de peccatis. Hortatio ad  
pœnitentiam inseritur  $\psi$ . 4. 5. & 6: repetiturque  
 $\psi$ . 14.

¶.14. & 15. Confirmatur autem ab effectis duobus: uno utili, si pœnitentiam egerint: altero noxio, ni egerint. Objectiones contra illam pœnarum denuntiationem sunt duæ: (1) fiducia in potentia sua, v. 8. & 9: (2) fiducia in cultu Dei, v. 21. & deinceps. Obiectio prima non exprimitur: sed percipitur ex ipsius refutatione. Refutatur autem per oppositionem potentia Dei: quæ significatur ex effectis, v. 8. & 9. Fiducia in cultu Dei significatur & amplificatur enumeratione specierum, v. 21. 22. & 23. Refutatur autem per cultus illius rejectionem: quæ rejectio (1) amplificatur antithesi vastationis: quæ vastatio illustratur simili inundationis aquarum; v. 24. (2) declaratur à causa procreante: videl. quòd cultus ille non sibi, sed idolis, sit exhibitus, v. 25. & 26.

SCHOLIA IN CAP. V.

**Q**Uod ego &c.] *Verto, Nam ego in os sumo de vobis lamentationem. Vocula* <sup>וְנָא</sup> *pro Nam, vel, Quia, etiam alibi passim occurrit: ut videre est Jerem. 32. v. 3. & 9. Genes. 13. v. 16. Eccles. 6. v. 12. & cap. 7. v. 21. & cap. 4. v. 9. vel 5. Job 8. v. 14. In os sumo] Hoc supplementum petitum est ex Psal. 50. v. 16. Hujus autem ellipseos exempla occurrunt & alibi: ut videre est Exod. 20. vers. 7. Num. 23. v. 11. & 22: aliàs 7. & 18. Num. 24. v. 3. & 15. Job 4. v. 2.*

¶.1.

2 **Cadit]** *Hebr. Cecidit. Id est, certò casura est. Non perget stare] Verto, Non resurget. Hebr. Non addet surgere. Hac expositio confirmatur tum ex propria significatione verbi* <sup>וְנָא</sup> *: tum ex fine versus, ubi dicitur, Nemo eriget eam. Virgo Jisraëlis] Id est, regnum Israëlis: quod simile est pulchræ virgini, propter opes & tranquillum statum. Metaphora. Deserta] Derelicta, abjecta. Terra] Hebr. Humo. Nemo eriget eam] Hebr. Non est qui erigat eum.*

3 **Dominus Jehovi]** *Ut supra cap. 1. v. 8. Quæ proce-*

K 2

dit] Scil. in bellum. Millenis] Hebr. Mille. Scil. militibus. Reliquos faciet] Scil. in bello. Centenos] Hebr. Centum. Sic mox iterum. Denos] Hebr. Decem. Domui] Familia. Sic vers. seq. Vel, In domo.

4 Quærite me] Scil. per invocationem & adorationem. Ita vivite] Verto, Et vivetis. Id est, in vita conservabimini. Imperativus pro futuro.

5 Ne quæritis] Ne queritote. Sic deinceps. Beth-elem] Vitulum aureum qui est Beth-ele. Metonymia subjecti. Gilgallem] Idola que sunt Gilgale. Confer Ose. 4. v. 15 & cap. 12. v. 12. Beer-schebahum] Urbem sitam in tribu Juda, 1. Reg. 19. vers. 3. Ideo mox utitur verbo Transeundi: quia regnum Israël à regno Juda erat divisum. Hinc autem apparet, illic quoque idololatriam institutam fuisse. Gilgalita migrabit] Id est, Gilgalita migrabunt. Hebr. Gilgal migrabit. Metonymia subjecti: quam in Hebræo indicat forma verbi: quod est generis masculini: quum nomen Gilgal, tanquam nomen urbis, sit generis fœminini. Verbum igitur non refertur ad vocem, sed ad sensum. Sic in membro sequente. Omnino migrabit] Hebr. Migrando migrabit. Id est, deportabitur ab hoste in Assyriam. Synecdoche generis. Abibit] Hebr. Fiet. Fiet in nihilum. Sic nos, wirdt zu nichts werden. In nihilum] Hebr. In vanitatem. Nomine autem <sup>אֵל</sup> alludere videtur ad nomen <sup>אֵל-טוֹב</sup>: quod Oseas pro nomine <sup>אֵל-יְהוָה</sup> semel atque iterum substituit: ut videre est Ose. 4. v. 15. & cap. 10. v. 5.

6 Quærite] Ut versu 4. Ita vivite] Verto, Et vivetis. ut versu 4. Ut non] Malim, Ut ne. Hebr. <sup>אֵל</sup>. Pervadat] Scil. hostis. Nam verbum <sup>אֵל-טוֹב</sup>, quum sit generis masculini, non convenit cum nomine <sup>אֵל</sup>, id est, ignis: quod est generis fœminini. Et sermonem hic esse de bello, manifestum est ex ipso vocabulo ignis: quo propheta cap. 1. aliquoties bellum significavit. Verbum autem <sup>אֵל-טוֹב</sup> significat Alacriter pervadere seu perrumpere, hurtig durchdringen. Sic 2. Sam. 19. versu 17. vel 18. de viris Juda regem Davidem ab Absalomo fugatum reducturis dicitur, quod <sup>אֵל-טוֹב</sup> alacriter transmiserint Jordanem. Est igitur hic ellipsis nominis relati: Ut ne pervadat pervasor, id est, hostis. Vel potest subintelligi nomen Jehova, ex membro precedente. Domum Josephi] Familiam Josephi. Id est, Decem tribus. Synecdoche membri. <sup>אֵל-טוֹב</sup>

<sup>אֵל-טוֹב</sup>

ἐξοχὴν. nam tribus Ephraim, filii Josephi, tenebat principatum. Et consumat] *Verto, Qui consumat. Qui: scil. ignis. Nam verbum consequendi est generis fœminini: itaq; convenit cum nomine* *UN.* Consumat] *Hebr. Comedat. Beth-elitas] Hebr. Beth-elem. Metonymia subjecti. Est autem vox Bethel in Hebræo trajecta. Et litera* *h* *ei prefixa, hinc valet articulum accusativi casus: in qua significatione passim reperitur: ut videre est 2. Sam. 3. v. 30. Job 21. v. 22. & cap. 23. v. 8. Psal. 64. v. 6. & 68. v. 5. & 69. v. 6. Nemi- mine exstinguente] Hebr. Et non sit qui exstinguat.*

7 Mutantes &c.] *Verto, Vos estis ii qui mutant in absinthium jus: quiq; justitiam in terram prosternunt.*

8 Quærite opificem &c.] *Verto: Is qui fecit Pleiades & Orionem, quiq; mutat in mane umbram letalem, & diem nocte obtenebrat: qui vocat aquas maris, quiq; effundit eas in superficiem terræ; cujus nomen est Jehova: Ille est is qui recreat se vastatione contra robustum: ita ut vastatio contra munitionem veniat. Is qui fecit &c.] Id est, Deus. Periphrasis ex effectis. Umbram letalem] Id est, umbram densissimam quæ terrorem mortis incutere alicui possit. Hebr. Umbram mortis. Genitivus effecti. Vocat] Evocando vapores in sublime. Effundit] Per pluviam.*

9 Contra robustum] *Scil. adversantem ei.*

10 Oderunt] *Scil. injusti illi iudices, quorum mentio facta versu 7. In porta] In iudicio publico. Metonymia subjecti. nam in portis seu apud portas exercebant iudicia publica. Corripientem] Eum qui ipsos corripit propter injustitiam: aut certè qui corripit & veris rationibus redarguit adversarium, cui injusti illi iudices favent, & secundum quem pronuntiare sententiam cuperent. Hanc expositionem posteriorem requirere videntur verba sequentia. Integrum] Virum bonum ac probum.*

11 Eò quòd calcaturam agitis contra tenuem] *Verto, Eò quòd conculcatis tenuem. Hebr. Propter calcare vos super tenuem. Tenuem] Pauperem. Domos cæso lapide &c.] Ad evidentiore reddendam consequentiam sententiarum, voculas quasdam hinc suppleo, ad hunc modum: Idcirco domos cæso lapide edificastis quidem, sed non habitabitis in eis: vineas desideratissimas consevistis quidem, sed non bibetis vinum earum. Etenim hinc habetur consequens enuntiati relativi cause. Sensus idem maneret,*

si sic verteretur: Non habitabitis in domibus quas cæso lapide edificastis, nec bibetis vinum vinearum desiderabilium quas confestim. Sed] Hebr. Et. Vineas desideratissimas] Verto, Vineas desiderabiles. Hebr. Vineas desiderii. Genitivus adjuncti. Confestim] Verto, Plantastis.

13 Defectiones] Transgressiones. Ingentia] Hebr. Robusta. Affligentium] Hebr. Angentium. Accipientium] Scil. à reo fonte. Redemptionem] Pretium redemptionis: quo se apud vos redimit, ne ipsum pro merito ejus damnetis. Et egentes &c.] Et qui egentes in porta pervertunt. Itaq; posterius membrum hujus versus sic malim reddere: Vos estis ii qui angunt justum, qui accipiunt redemptionem, quiq; egentes in porta detrudunt. In porta] Id est, in judicio publico. Metonymia subjecti. Detrudunt] Scil. a jure ejus, à justa ejus causa. Hebr. Declinare faciunt.

13 Intelligens] Sive prudens. Tempore illo] Scil. tempore pœnæ quæ modo fuit denunciata versu 11. Silebit] Non murmurabit contra Deum: quia agnoscat pœnam esse justam. Synecdoche generis. Mali] Pœnæ. Synecdoche generis.

14 Quærite bonum] Operam date justitiæ. Synecdoche generis. Neq;] Verto, Non autem. Hebr. Et ne. Scil. quærite. Nam est <sup>hæc</sup>, id est, Ne prohibentis. Ut vivatis] Ut in vita conservemini, non autem ab hoste occidamini. Synecdoche generis. Aderit vobis] Benefaciet vobis, tuebitur vos. Hebr. Erit vobiscum. Ut prædicatis] Hebr. Quemadmodum dixistis.

15 Malum] Peccatum. Synecdoche generis. Bonum] Justitiam. Synecdoche qualis modo. Constituite] Sea stabilite. Hebr. Statuite. In porta] In judicio publico. Gratiam faciet] Verto, Gratiam exhibebit. Wirdt gnad erzângen. Gratiam alicui facere specialius aliquid significat apud Latinos. Ut quum dicunt, Facere alicui gratiam jurisjurandi: pro eo quod est, jusjurandum alicui ex gratia remittere: Facere alicui gratiam delicti: id est, Ex gratia non punire pro merito delicti. Reliquiis] Iis qui reliqui facti fuerint ab hoste. Josephi] Decem tribuum. Metonymia efficiensis, & synecdoche membri. Josephus pro tribu Josephi: & tribus Josephi pro decem tribubus, inter quas illa excellebat.

16 Dominus] Hebr. Adonâi. Plateis] Scil. Israëlitarum.  
Synecdo-



Synecdoche generis. Planctum ] *Verto*, planctus erit. Et ad planctum &c. ] *Verto*, Et planctus erit apud peritos lamenti.

17 Etiam ] *Hebr. Et. Quum transibo ] Scil. per hostem quem tibi immittam: hoc est, Quum hostis transibit. Metonymia adjuncti occupati. Et hac ratione transivisse dicitur Jehova per Ægyptum, quum immisit Ægyptiis angelum qui percussit eorum primogenita, Exod. 12. v. 12. In medio vestri ] Verto, Per vos.*

18 Concupiscentibus ] *Concupiscere se simulantibus: vel certè pra se ferentibus se non terreri metu illius diei. Metonymia subjecti. Confer Esa. 5. v. 19. Diem Jehovæ ] Diem illum quem Jehova minatur. Genitivus adjuncti, & synecdoche generis. Quorsum vobis ] Scilicet serviret, conduceret. Quasi dicat, Ad nihil. Diem ] Verto, dies. Tenebrarum est ] *Hebr. Est dies tenebrarum. Vel sine ellipsi, Est tenebræ, non autem lux. Ut sit metonymia subjecti. Confer Joël. 2. v. 2. Tenebrarum ] Mæroris. Metonymia efficientis. Lucis ] Latitia. Metonymia qualis modo. Sic declaratur ista vox Esther 8. v. 16.**

19 Tanquam si cui fugienti ] *Hebr. Quemadmodum si fugiat aliquis à facie leonis, & occurrat ei ursus: & (id est, aut) ingrediatur domum, & nitatur manu sua ad parietem, & mordeat eum serpens. Serpens ] Articulus ꝛ nomini Hebræo præfixus hic habet vim indefinitam: qualem habet apud Græcos pronomen τῆς.*

20 An non esset ] *Verto, An non erit? Quasi dicat, An audebitis negare, diem Jehovæ fore diem tenebrarum? Quasi nimirum vos non sitis meriti talem diem. Tenebrarum ] Vel, tenebræ: non autem lux: ut supra versu 18. Sed ellipsi favent verba sequentia. Cui non inesset splendor ] Verto, Cui non erit splendor. Hebr. Nec splendor ei.*

21 Dies festos vestros ] *Verto, Festa vestra. Neq; odoraturus sum ] Scil. suffitum quem mihi adoleveritis. Diebus interdicti vestris ] Hebr. In interdictis vestris. Metonymia adjuncti. Vide Scholia ad Joël. 2. v. 15.*

22 Si ] *Verto, Etsi. In qua significatione vocula ὅτι etiam alibi occurrit: ut in libro Jobi multis locis: puta cap. 9. vers. 15. & 20: cap. 16. vers. 6: cap. 17. vers. 12. vel 13: cap. 20. vers. 6. & 12. Jerem. 15. vers. 4. Eucharisticum pinguium vestrorum ] Id est,*

*Eucharistica pingua vestra. Hebr. Retributionem pinguium. Hypallage.*

23 Amovendo ] *Verto, Amove. Vox Hebraea est ambigua. Etiam ] Verto, Similiter. Hebr. Et.*

24 Sed ] *Hebr. Et. Fluet ] Verto, Revolvat se. Hebr. Volvetur. Niphál reciprocum. Revolvat se tanquam aqua jus ] Id est, Obruam vos pœnis validissimis. Allegoria metaphorica. Jus ] Sive, iudicium. Tanquam aqua ] Nempe aqua maris, vel fluvii impetuoosi ac vehementis. Synecdoche generis. Justitia ] Nempe justitia mea vindicatrix.*

25 Obtulistis ] *Verto, attulistis. Mihi ] Emphaticè, per tacitam antithesin: ut declarat versus sequens. Quasi dicat, Non mihi: sed diis vestris commentitiis. Interrogatio enim hæc vim habet negandi. Domus ] O domus, ô familia.*

26 Imò ] *Hebr. Et. Meleci vestri ] Sive, regis vestri. Qui apud Ammonitas dicebatur Molech & Milcom. Sidus ] Hebr. Stel- lam. Id est, imaginem stella. Metonymia subjecti. Dei vestri ] Nempe Molechi.*

27 Quapropter ] *Hebr. Et. Deportabo ] Hebr. Migrare faciam. Ulterius Damascenis ] Hebr. Ultra Damascum. Pro hoc legitur Actor. 7. vers. 43. ἐπέκεινα Βαβυλῶν & id est, Ultra Babylonem. Vide annot. Fr. Junii. Deus exercituum nomine ] Verto, Cujus nomen est Deus exercituum. Hebr. Deus exercituum nomen ejus.*

### OBSERVAT. EX CAP. V.

1.  
Pœna di-  
vina.

**E**X maxima parte capituli. Qui pœnas quales hîc Deus decem tribubus minatur, evitare cupiunt: eos similia peccata vitare necesse est.

2.  
Potentia  
humana.

Ex *ψ. 2. 3. 8. & 9.* Fiducia non est ponenda in potentia humana.

3.  
Pœnitētia.

Ex *ψ. 4. 6. 14. & 15.* Deus pœnitentibus parcere solet.

4.  
Judices.

Ex *ψ. 7.* Judicibus cavendum ne mutant jus in absinthium, néve justitiam in terram proster-  
nant.

Ex *ψ. 8.*

Ex v. 8. notetur descriptio Dei ex variis effectis, nempe operibus creationis. 5. Dei opera.

Ex v. 9. Deus non patitur resistantiam: sed resistentes deprimit. 6. Dei gubernatio.

Ex v. 10. Judicibus cavendum, ne oderint res et loquentes in iudicio. 7. Judices.


Ex v. 11. Ditioribus cavendum, ne tenuiores opprimant. 8. Divites.

Ex eodem versu. Qui alios bonis suis exuunt per avaritiam: justo Dei iudicio ipsi quoque tandem bonis suis exuuntur. 9. Avari.

Ex v. 12. Judicibus cavendum, ne justos in iudicio angant, neve injustos redimere sese sinant, & denique ne quem a jure suo detrudant. 10. Judices.

Ex v. 13. Sapientis est, in pœnis publicis Deo non obmurmurare: sed justitiam iudiciorum eius agnoscere. 11. Pœna divina.

Ex v. 21. 22. 23. 25. & 26. Non est satis fatagere in obeundo cultu Dei externo: nisi ille legi Dei per omnia conformis sit, & sincero corde obeatur. Quod utrumque cultui decem tribuum deerat. 12. Cultus Dei.



CAPUT VI.

**V**Æ tranquillis Tzijone, & fiduciam habentibus in monte Schomronis; qui *montes* expresse nominantur præcipuum suarum gentium, ad quos conveniunt domus Jisraëlis.

2 Transite Calnen, & aspici- te, & ite illinc Chamatham maximam; tum descendite Gathum Pelischthæorum, an *sunt* præstan-

tiores regnis istis? an amplior est terminus earum termino vestro?

3 *U*el longè repellentibus diem mali, qui admove- tis sedem violentiæ:

4 Accumbentibus in lectis eburneis, & redundantibus super spondas suas: & comedentibus agnos è grege, & vitulos è medio saginarii:

5 Modulantibus ad præscriptum nablii, qui sicut David excogitant sibi instrumenta musica:

6 Bibentibus in crateribus vini, & qui præstantissimo unguentorum unguunt sese: neq; afficiuntur ægritudine propter contractionem Josephi.

7 Idcirco mox migrabunt inter primos migraturos: tunc cessabit, amovebiturq; designatio redundantium.

8 Jurat Dominus Jehovi per se ipsum, dictum Domini Jehovæ exercituum, Detestor ego fastum Jahakobi, & palatia ejus odi: ideoq; traditurus sum civitatem, & quæ implent eam.

9 Eritque si relictæ fuerint decem homines in domo una, ut moriantur.

10 Quumq; tollet aliquem amicus ejus, aut uxor ejus eductu-

rus ossa è domo: si dicat ei qui erit in lateribus illius domus, an quis præterea apud te est? is dicet, Minime: & dicet, Tace, quia non evant commemoraturi nomen Jehovæ.

11 Nã ecce Jehova præceptorus est, & percussurus domum majorem velut asperzionibus: & domum minorem rupturis.

12 An cursuri essent in petra equi? an araturus eam quis bœbus? nam mutastis in cicutam jus, & fructum justitiæ in absinthium,

13 O vos lætantes de nihilo! qui dicitis, nõne robore nostro assumimus nobis cornua?

14 Nam ecce ego excitaturus sum contra vos, ô domus Jisraëlis, dictum Jehovæ Dei exercituum, gentem; qui prement vos ab aditu Chamathæ usque ad torrentem campestrium.

## ANALYSIS CAP. VI.

**H**Oc capite continetur concio Amosi quinta: ubi utrique regno, tum Judæ scilicet, tum decem tribuum, denuntiat pœnas propter peccata. Peccata commemorantur novem: (1) securitas carnalis, (2) fiducia in munitioibus, (3) ingratitude erga Deum, (4) oppressio juris publici, (5) fastus, (6) luxus, (7) immisericordia erga fratres egenos, (8) perversitas & rebellio, (9) fiducia in potentia.

Securitas significatur duobus modis: (1) ex causa procreante, videl. tranquillitate, seu tranquillo rerum statu, *ψ. 1.* (2) ex effectu: videl. contradictione qua contradicebant prophetis, dicentibus, diem Domini propinquum esse, *ψ. 3.*

Fidu-

Fiducia in munitionibus declaratur per species: puta montem Tſijonis & montem Samariæ, *ŷ*. 1. Ingratitudo erga Deum significatur commemoratione beneficii, videl. donationis regni præstantissimi: quæ præstantia significatur collatione minorum, puta rerum publ. quarundam vicinarum: confirmaturq; testimonio confessionis ipſorum Iſraëlitarum, *ŷ*. 2. Oppreſſio juris publici significatur duobus modis: (1) verbis propriis, *ŷ*. 3. (2) duobus ſimilibus, *ŷ*. 12. Faſtus ſignificatur è ſpeciebus duabus: videlicet lectis eburneis, *ŷ*. 4. & palatiis, verſ. 8. Luxus declaratur duobus modis: (1) ex objectis, (2) ex adjuncto. Objecta luxus commemorantur quatuor: (1) cibus, *ŷ*. 4: (2) muſica, *ŷ*. 5: (3) potus, *ŷ*. 6: (4) unguentum, ibidem. Adjunctum fuit deſignatio officiorum in convivio per modiperatorem, *ŷ*. 7. Immifericordia erga fratres egenos indicatur verſu 6. ibi, *Neg. afficiuntur &c.* Perverſitas atque rebellio ſignificatur per duo ſimilia, in principio verſus 12. Fiducia in potentia amplificatur duobus modis: (1) ab adjuncta vanitate, (2) ab adjuncta gloria-tione *ŷ*. 13. Atq; hæc de peccatis.

Pœnæ commemorantur ſex: (1) deportatio, (2) amiſſio urbium & facultatū, (3) cædes, (4) peſtis, (5) corruptio domorum, (6) anxietas ab hoſte. Deportatio illustratur collatione imparium, *ŷ*. 7. Amiſſio urbium & facultatum confirmatur testimonio juramenti Dei, verſ. 8. Cædes ſignificantur verbis illis, *Si relictæ fuerint*, verſ. 9. Peſtis ſignificatur verbis illis, *Ut moriantur*, verſu eodem. Amplificatur autem ex eventu, videl. agni-

tione iusti iudicii divini in iis qui peste mortuos erant sepulturi, v. 10. Corruptio domorum illustratur distributione, v. 11. Anxietas ab hoste amplificatur à subjectis locis, v. 14.

## SCHOLIA IN CAP. VI.

v. 1. **V**Æ] Scil. erit. Id est, calamitates accident. Metonymia effecti. Sed potest verti, Heus vos tranquilli. In qua significatione interjectio וי' reperitur Esa. 55. v. 1. Item Zach. 2. v. 10. & 11. Aliàs 6. & 7. Tranquillis] Id est, securis. Metonymia efficientis. Tzijone] Qui habitant in monte Tzijone. Schomronis] Samaria. Qui montes &c.] Verto, In signibus inter primitias gentium. Est descriptio principum in tribubus populi Israëliti. Nam per primitias gentium intelligitur populus Israëliticus: quia Deus illum vocatione & patefactione singulari ceteris gentibus prætulit. Hebr. Designatis primitiarum gentium. Confer Num. 1. v. 17. ubi de principibus duodecim tribuum qui nominatim erant commemorati, dicitur, Qui designati fuerunt בְּרָאשֵׁי נְדָבָרָם nominibus. In eadem significatione verbum istud בְּרָאשֵׁי reperitur Esa. 62. v. 8. Versio nostrorum, qui referunt vocem בְּרָאשֵׁי ad montes illos duos quorum facta est mentio, non potest consistere: quia vox illa manifestè coheret cum nomine הַשְּׂאֲנַנִּים, id est, tranquillis. Et proximè sequens pronomen relativum הַלְּזֶה personam potius quàm rem inanimam (puta montem) notat. De quibus si sermo hîc esset, adhibita fuisset vox הַשְּׂמָרָה, id est, illuc. Ad quos conveniunt] Scil. ut apud eos jus querant. Hoc adhuc pertinet ad descriptionem iudicum seu principum. Conveniunt] Hebr. Veniunt. Domus Jisraëlis] Israëlita.

2 Calnen] De hac urbe vide Genes. 10. v. 10. Aspiciate] Vel, Considerate. Chamatham] Urbem sitam ad radices montis Libani. Maximam] Heb. Magnam. Tum] Heb. Et. An sunt] Interrogatio innuit negationem. Sunt] Vel, sint: ut pendeat hæc vox à verbo, Aspiciate, vel, Considerate. Præstantiores regnis istis] Hebr. Bonæ præ regnis istis. Istis] Nempe Israëlitis & Judæ. Amplior termino vestro] Hebr. Amplius præ termino vestro.

3 Væ] Hac vox repetitur ex versu 1. Longè repellentibus] Id

bus] *Id est, dicentibus eum adhuc longè abesse. Diem mali]* *Diem pœnae. Synecdoche generis. Sedem]* *Tribunal. Synecdoche generis. Violentiæ]* *In qua pronuntiatis violentas sententias: seu in qua violentiam exercetis sententiis vestris. Genitivus adjuncti.*

4 *Accumbentibus]* *Hebr. facentibus. Scil. inter convivandum. Lectis]* *Id est, spondis. Metonymia adjuncti. Eburneis]* *Hebr. Eboris. Genitivus materiae. Redundantibus]* *Luxuriantibus. In qua significatione vox ista reperitur Ezech. 17. v. 6. Super spondas suas]* *Verto, Super spondis suis.*

5 *Ad præscriptum]* *Vel, Secundum rationem. Ita ut modulatio vocis cū sono nablii congruat. Hebr. Secundum os. Metonymia efficientis metaphorica. Sicut David]* *Prætexentes carnali suæ voluptati quam per instrumenta musica quærunt, exemplum Davidis. At ille musicam suam non ad carnalem voluptatem, sed spiritualem adhibuit: animum suum ita excitans ad meditandum laudes Dei. Musica]* *Hebr. Cantici. Genitivus effecti.*

6 *In crateribus]* *Verto, Ex crateribus. Præstantissimo unguentorum]* *Hebr. Primitiis oleorum. Metonymia materiae. Confractionem]* *Calamitates. Josephi]* *Populi Israëlitici. Metonymia efficientis, & synecdoche membri.*

7 *Mox]* *Hebr. Nunc. Migrabunt]* *Scil. deportati ab hoste. Synecdoche generis. Inter primos migraturos]* *Heb. In capite migrantium. Tunc]* *Heb. Et. Cessabit amovebiturque]* *In Hebræo est verbum unicum, quod significat, Recedet. Designatio]* *Id est, descriptio illa modiperatorum qua convivis præscribantur sua officia. Vide annot. Fr. Junii. Et confer Jerem. 16. vers. 5. Redundantium]* *Luxuriantium: ut v. 4.*

8 *Jurat]* *Verto, furavit. Dominus Jehoví]* *Adonái elohím. Per se ipsum]* *Hebr. Per animam suam. Synecdoche membri metaphorica. Confer Hebr. 6. v. 16. & 17. Domini Jehovæ exercituum]* *Reponendum ex Hebræo, Jehovæ dei exercituum. Jahakobi]* *Id est, Israëlitarum. Metonymia efficientis. Ideoq;]* *Heb. Et. Traditurus sum]* *Scil. hosti. Quæ implent eam]* *Heb. Plenitudinem ejus.*

9 *Eritque]* *Verto, Fietq;. Relicti fuerint]* *Scil. ab hoste. Moriantur]* *Scil. peste.*

10 Quumq; tollet &c.] Hebr. Et tollet &c. & dicet ei &c. Aliquem] Verto, Aliquem ex illis. Nempe ex illis decem, quorum facta mentio versu precedente. Hebr. Illum. Amicus] Verto, Cognatus. Hebr. Patruus. Synecdoche speciei. Aut] Hebr. Et. Ustor ejus] Qui cadaver ejus vult comburere. Educturus] Elaturus, exportaturus. Præterea] Hebr. Adhuc. Apud te] Hebr. Tecum. Minimè] Verto, Nemo. Hebr. Nihil. Synecdoche generis. In qua significatione vox  $\text{דָּבָר}$  reperitur Esa. 34. vers 12. & cap. 40. v. 17. Tace] Noli murmurare contra Deum, quasi illis fecerit injuriam, quòd occidit eos: sed acquiesce in justo Dei judicio. Synecdoche generis. Non erant commemoraturi] Hebr. Non erant ad commemorandum. Id est, Non erant Jehovaham meritis laudibus aff. Eturi. Synecdoche generis.

11 Præcepturus est & percussurus] Verto, Præcepturus est hosti ut percutiat. Id est, Excitaturus: ex collatione versus 14. Metaphora  $\text{אֵלֶּיךָ יִשְׂרָאֵל}$ . Sic dicitur de Simeio, Deum dixisse (h. e. præcepisse) ei ut malediceret Davidi, 2. Sam. 16 v. 10. & 11. Majorem] Hebr. Magnam. Velut asperisionibus] Verto, rupturis.  $\text{וְרִיבֵי$  Hebr. Guttis seu stillis. Metaphora  $\text{אֵלֶּיךָ יִשְׂרָאֵל}$ . Minorem] Hebr. Parvam. Rupturis] Verto, fissuris: vel, rimis.

12 An cursuri essent &c.] Duorum istorum similium hic videtur esse sensus: Sicut frustra laboraret, si quis vellet equos incitare ad cursum in petra, aut si quis bobus eam vellet arare: sic ego frustra laboro, dum vos hortor ad faciendum recta: quia planè perversi estis. Nam mutastis &c.] Quasi dicat, Quod dixi d. frustratione mearum hortationum: ideo dixi, quia planè perversi estis: quippe qui mutastis &c. Mutastis in cicutam jus &c.] Id est, Judicia publica ita exercetis ut bonis ac probis amara, id est, molesta & noxia sint Confer supra à cap. 5. v. 7.

13 De nihilo] De re nihili, seu nullius momenti: puta de vestra potentia: ut sequentia declarant. Hebr. De non-verbo: id est, de non-re. Assumimus] Malim, Comparavimus. Hebr. Accepimus. Cornua] Id est, potentiam. Metaphora à cornutis animalibus.

14 Gentem] Nempe Assyrios & Babylonios: illos quidem contra decem tribus: hos verò contra tribum Juda. Qui] Hebr. Et. Ab aditu



Ab aditu Chamathæ &c.] *Idest, ab extremitate terra vestra una ad alteram. Vide annot. Fr. Junii.*

OBSERVAT. EX CAP. VI.

**E**X toto capite. Qui pœnas quas hoc loco Deus populo suo minatur, evitare volunt: eos oportet vitare similia peccata.

1.  
Pœna divina.

Ex v. 1. & 3. Securitas carnalis fugienda est.

2.  
Securitas.

Ex v. 1. Fiducia non est collocanda in munitionibus.

3.  
Munitiones.

Ex v. 2. Quò majora exstant Dei erga populum aliquem beneficia: eò major est illius ingratitude, nisi Deum sanctè colat.

4.  
Beneficia Dei.

Ex v. 3. & 12. Judicibus cavendum ne justitiam opprimant.

5.  
Judices.

Ex v. 4. & 8. Fastus fugiendus est.

6.  
Fastus.

Ex v. 4. 5. 6. & 7. Voluptatibus corporis non est indulgendum.

7.  
Voluptas.

Ex v. 5. Musicâ non est abutendum ad voluptatem corporis: sed eâ utendum ad honorem Dei.

8.  
Musica.

Ex versu 6. Fratribus afflictis condolendum est.

9.  
Sympliciter

Ex v. 10. Judiciorum divinorum justitia agnoscenda est.

10.  
Judicia Dei

Ex versu 12. Rebello contra Deum fugienda est.


11.  
Rebellio.

Ex versu 13. Fiducia non est ponenda in potentia humana.

12.  
Potentia humana.

Ex versu 14. Deus est is qui hostes excitat ad castigandum populum suum.

13.  
Bellum.



## CAPUT VII.

**S**ic ostendit mihi Dominus Jehovi, quòd ecce forma et praefocuridas, quum primùm succre-  
scit cordum foenum: quum ecce  
cordum foenum *esset*, post foeni-  
fecia regis.

2 Fuit autem quum absolve-  
ret comedere herbam terræ, ut  
dicente me, Domine Jehovi; con-  
dona obsecro, quis staret Jahako-  
bo? nam parvus est:

3 Pœniteret Jehovam hujus  
rei: non est futurum, dixit Jehova.

4 Sic ostendit mihi Dominus  
Jehovi, quòd ecce proclamaret se  
contendere igne Dominus Jeho-  
vi: qui postquam consumsisset  
abyssum magnam, cõsumsit por-  
tionem quandam.

5 Sed me dicente, Domine Je-  
hovi, desiste obsecro, quis staret  
Jahakobo? nam parvus est:

6 Pœnituit Jehovã hujus rei;  
etiam hoc non est futurum, dixit  
Dominus Jehovi.

7 Sic ostendit mihi, quòd ecce  
Dominus stabat super murum ad  
libellam positum; habens in ma-  
nu sua libellam.

8 Quumque dicente Jehova  
mihi, Quid vides, Hamos? dixif-  
sem, Libellam: dixit Dominus,  
Ecce ego dispositurus sum libel-  
lam in medio populi mei Jisraë-  
lis, non perrecturus sum amplius  
præterire ipsi.

9 Nam desolabuntur excelsa  
Jischaki, & sanctuaria Jisraëlis in  
solitudinem redigentur, quum in-  
surrexero contra domum Jarob-  
hami gladio.

10 Tum misit Amatzja sacer-  
dos Beth-elis ad Jarobhamum  
regem Jisraëlis, dicendo; Conju-  
ravit contra te Hamos in medio  
domus Jisraëlis, non posset hæc  
terra sustinere omnia verba ejus.

11 Nam sic ait Hamos, Gladio  
moriatur Jarobham: Jisraël au-  
tem omnino migrabit è terra sua.

12 Deinde edixit Amatzja Ha-  
moso, Videns, abi, aufuge in ter-  
ram Jehudæ; & comede ibi pa-  
nem, & illic prophetato:

13 Beth-ele verò ne pergito  
amplius prophetare; nam san-  
ctuarium regis est, & domus re-  
gia est.

14 Respondens autem Hamos  
dixit Amatzjæ, Non propheta e-  
ram, neque filius prophetæ eram;  
sed bubulcus eram, & perquirens  
sycomora:

15 Quum assumpsit me Jehova  
à sequendo grege, & edixit mihi  
Jehova, Abi, prophetato apud  
populum meum Jisraëlem.

16 Nunc igitur audi verbum  
Jehovæ; Tu edicis, Ne propheta-  
to apud Jisraëlem, neque facito  
ut stiller *prophetia* apud domum  
Jischaki.

17 Idcirco sic ait Jehova, Uxor  
tua in ipsa civitate scortabitur, &  
filii tui filiaeq; tuæ gladio cadent,  
& terra tua funiculo dividetur; tu  
verò in terra immunda morie-  
ris, quum Jisraël omnino  
migrabit à terra  
sua.

ANALY.

## ANALYSIS CAP. VII.

**H**Oc capite continetur concio Amosi sexta: Heiq; subjungitur narratio de illius eventu, v. 10. & seqq. Concio continet denuntiationem trium pœnarum. Eæ sunt: (1) fames, (2) bellum à Tiglath-pilefere, (3) bellum à Salmanassare. Hæ singulæ pœnæ illustrantur similibus: nempe typis quos Deus Amaso in visione ostendit. Ac primum fames præfigurata fuit per locustas. Typi autem hujus narratio tribus constat membris. (1) Amos vidit locustas & confici, v. 1. & consumere herbam recens natam, v. 2. Ex his confectio locustarum illustratur ex adjuncto tempore, v. 1. (2) Intercessit apud Dominum, ne fineret herbam omnem per locustas consumi: argumento allato ab eventu noxio, v. 2. (3) Impetravit pœnæ illius mitigationem, v. 3. Atque hæc de fame. Bellum à Tiglath-pilefere inferendum, præfiguratum fuit per ignem. Typi autem hujus narratio, similiter ut præcedentis, tribus membris constat. (1) Amos & audivit ex Domino, quòd ignem regioni velit immittere, & vidit quòd ignis ille partem aliquam regionis absumeret, v. 4. (2) Intercessit apud Dominum, ut ab illo igne porrò immittendo desisteret: repetens argumentum prius, v. 5. (3) Impetravit pœnæ illius mitigationem, v. 6. Jam ad bellum à Salmanassare inferendum quod attinet: illud præfiguratum fuit per libellam. Typi autem istius narratio constat membris duobus. (1) Amos vidit Dominum stantem super muro cum libella, vers. 7. (2) Dominus typi illius significationem ei ape-

L

ruit: nempe quòd planè sibi proposuerit regnum Israëliticum evertere per Salmanassarem, gladio regionem vastaturum, v. 11. & 12. Atque hæc de ipsa concione. Eventus illius, & quidem propriè partis tertiæ, fuit actio Amatsjæ sacerdotis contra Amosum. Ea narratur duplex. (1) Detulit eum ad regem, criminando prophetationem ejus ultimam, tanquam cum rebellione conjunctam, v. 10. & 11. (2) Edixit ei ut abiret in Judæam, v. 12: quæ actio declaratur duobus modis: (1) per adjunctam rationem, v. 13. (2) ex eventu, videlicet responsione Amosi: quæ constat duobus membris. (1) Afferit suam vocationem: quæ narratio illustratur antithesi, v. 14. & 15. (2) Denuntiat sacerdoti isti calamitates quatuor, v. 17. Hanc autem denuntiationem declarat à causa procatartica, v. 16. Eandemque amplificat à simili calamitate populi, in fine versus ultimi.

## SCHOLIA IN CAP. VII.

v. 1.

**S**ic ostendit mihi ] *Id est, Hanc visionem exhibuit mihi.*  
 Quòd ecce formaret ] *Verto, Ecce formabat prasocuridas, quum primùm crevisset fœnum cordum: nam ecce fœnum cordum erat, post fœnifecia regis. Prasocuridas ] Id est, locustas viriditatem terræ exedentes, sic dictas Græco vocabulo ab effectu: ut hanc vocem exponit Fr. Junius annot. ad Esa. 33. vers 4. Alii vocabulo generali locustas reddunt. Scribitur autem צבצבא pro צבצבא, propter accentum distinguentem. Quum primùm crevisset fœnum cordum ] Hebr. In initio ascendendi fœnum cordum. Fœnifecia ] Hebr. Tonsiones. Synecdoche generis. In hac significatione reperitur vox Hebræa etiam Psal. 72. v. 6. Aliàs lanam ovium detonsam significat.*

2 Fuit autem &c. ] *Nostri hunc versum cum sequente ita connectunt, ut in illo demum incipiat consequens enuntiatum relative temporis: sed præter necessitatem & morem lingue. Simplex autem &*

tem & nativa coherentia ratio postulat, ut hic versus legatur per se, ejusq; mēbra sic connectantur: Porro quum absolutura esset praefocuris illa comedere herbam terra: dixi, &c. Tum pœnituit &c. Fuit autem &c.] Verto, Factum est autem. Sed pro hac voce adhiberi potest vocula Porro. Ubi observandum, in voce <sup>וַיִּשְׁכַּח</sup> vau schevatum non mutare prateritum in futurum: quia præcessit præteritum v. i. nempe <sup>וַיִּשְׁכַּח</sup>. Quum absolveret] Scil. praefocuris illa. Id est, Quum absolverent praefocurides illa. Mutatio numeri. Quis staret?] Quasi dicat, Nemo staret. Si scil. praefocurides herbam universam absumerent: sed fame moriendum omnibus esset. Hinc autem percipitur, sermonem hinc esse non de solo gramine, sed & de segete. Staret] Id est, remaneret. Scil. in vivis. Jahakobo] Id est, populo Israëlitico. Metonymia efficientis. In Hebræo ante hanc vocem deficit præpositio <sup>ה</sup>. Parvus est] Id est, Pauci sunt Israëlitæ. Scil. respectu pristinae multitudinis.

3 Pœniteret Jehovam] Dicitur per <sup>ἀνθρωποπία</sup>. Non est futurum] Scil. ut praefocurides absumant herbam & segetem universam.

4 Sic ostendit &c.] Ut versu 1. Quòd ecce proclamaret] Verto, Ecce proclamabat se disceptaturum igne. Scil. cum populo Israëlitico. Hebr. Se fore ad disceptandum seu litigandum. Igne] Id est, bello: ut supra cap. 1. v. 4. 7. & 10. Qui postquam &c.] Heb. Et comedit ille ignis abyssum magnam, & comedit portionem quandam. Per abyssum intelligit Fr. Junius Syriam: per portionem partem terræ Israëlis. Ad annotationes illius. Cæterum articulus <sup>ה</sup> in voce <sup>אֲבִיסּוּם</sup> vim habet indefinitam. Et nomen portionis portionem terræ significat per synecdochen generis.

5 Sed me dicente] Hebr. Et dixi. Desiste] Desine. Scil. ab igne isto immittendo. Quis staret] Ut supra v. 2.

6 Pœnituit] Ut supra v. 3. Etiam hoc non est futurum] Ut scil. iste ignis consumat totam terram Israëlis.

7 Sic ostendit] Ut v. 1. Ostendit] Scil. Dominus Jehova: ut v. 1. & 4. Quòd ecce] Verto simpliciter, Ecce. Dominus] Adonai. Id est, Deus. Super murum] Verto, Super muro. Ad libellam positum] Libellâ explorandum. Hebr. Libellæ: seu, perpendiculi. Genitivus adjuncti. Habens in manu sua libellam] Hebr. Et in manu ejus erat libellâ.

8 Quumq; dicente &c.] Hebr. Et dixit Jehova ad me &c. & dixi &c. & dixit &c. Dispositurus] Hebr. Positurus. Dispositurus sum libellam in medio populi mei Jisraëlis] Id est, Efficiam ut populus Israëliticus destruat<sup>ur</sup> propter irreçtitudinem suam: sicut murus destruitur, quum irreçtudo ejus per libellam explorata atq; deprehensa est. Hæc expositio confirmatur tum ex re ipsa, seu ex ipso simili quod hîc adhibetur, tum ex verbis sequentibus. Non perrecturus sum] Hebr. Non addam. Prætere ipsi] Id est, Dissimulare ei iniquitates ipsius. Metaphora ab iis qui prætereuntes aliquem dissimulant se illum videre: quæ ratione illum qui à latronibus vulneratus erat, præteribant sacerdos quidam & Levita, Luc. 10. Sensus est, Ich will ihn nicht länger übersehen: sed afficiam eos meritis pœnis.

9 Nam] Hebr. Et. Desolabuntur] Ab hostibus Assyriis. Excelsa Jischaki] Id est, excelsa Israëliitarum ubi exercent idololatriam, excusantes ac defendentes illam exemplo Isaaci: ut quum & ipse in illis excelsis altaria exstruxerit, Deoq; sacrificia obtulerit. Sanctuaria] Templâ idololatrica. Dictum per concessionem. Jisraëlis] Israëliitarum. In solitudinem redigentur] Malim, Destruentur. Hebr. Exsiccabuntur. Metonymia effecti. nam loca desolata arescunt. Quum insurrexero] Vel, Et insurgam. Quod mâlim. Domum] Familiam, posteros. Jarobhami] Nempe Jarobhami posterioris, qui fuit filius Joasi: sup. cap. 1. v. 1. Ceterum complementum hujus comminationis (saltem ex parte) vide 2. Reg. 15. v. 8. 9. & 10.

10 Tum] Hebr. Et. Misit] Scil. nuntios. Ellipsis nominis relati. Posset] Verto, poterit.

11 Jisraël autem] Id est, populus Israëliticus. Hebr. Et Jisraël. Omnino migrabit] Hebr. Migrando migrabit. Id est, deportabitur. Synecdoche generis. Terra] Hebr. Humo.

12 Deinde] Hebr. Et. Edixit Hamoso] Hebr. Dixit ad Hamosum. Videns] Heus tu videns. Sic autem nominabantur prophete. Vide 1. Sam. 9. v. 9. Aufuge] Hebr. Fuge tibi. Pleonasmus. Comede ibi panem] Id est, Ibi vivito. Synecdoche membri.

13 Pergito] Hebr. Addito. Domus regia] Hebr. Domus regni.

14 Re-

14 Respondens autem ] *Hebr. Et respondit. Bubulcus* ]  
*Hebr. אֲרִיִּב, id est, armentarius: à nomine אֲרִיִּב, quo significatur*  
*armentum.] Perquirens sycomora ] Scil. ad famem sedan-*  
*dam.*

15 Quum ] *Hebr. Et. Assumfit ] Hebr. Accepit. A sequen-*  
*do grege ] Hebr. A post gregem. Ubi nomen אֲרִיִּב quod proprie gre-*  
*gem ovium caprarumve significat, per catachresin ponitur pro no-*  
*mine אֲרִיִּב, quo significatur armentum.*

16 Apud Jisraëlem ] *Vel, Contra Israëlem. Sic mox iterum.*  
*Hebr. אֲרִיִּב. At versu precedente, ibi, Apud populum meum, habetur*  
*אֲרִיִּב. Veruntamen antithesis quæ habetur versu 12. fauet interpre-*  
*tationi presenti. Stillet ] Metaphora, qualis Ezech. 21. v. 2.*

17 Terra tua ] *Malim, ager tuus. Hebr. Humus tua. Funi-*  
*culo dividetur ] Scil. inter hostes. In terra immunda ] Poilita*  
*scil. per idololatriam. Synecdoche generis. Intelligitur autem hic Assy-*  
*ria. Morieris ] Scil. captivus in terram illam abductus. Quum ]*  
*Verto, Et: ut est in Hebræo. Jisraël ] Decem tribus. Omnino*  
*migrabit ] Heb. Migrando migrabit. Id est, deportabitur. Synecdo-*  
*che generis. A terra sua ] Malim, E terra sua. Hebr. A super hu-*  
*mo sua.*

OBSERVAT. EX CAP. VII.

**E**X parte prima tota. Deus in erudiendo po-  
 pulo suo adhibere solet typos.

1.  
 Docendi  
 modus di-  
 vinus.

Item, Deus in castigando populo suo adhibet  
 certos gradus: subinde graviores pœnas immit-  
 tens, quum prioribus nihil profecit. Sic popu-  
 lum Israëliticum afflixit primùm fame: deinde  
 ademtione partis regni: postremò ademtione  
 totius regni.

2.  
 Castigatio-  
 nes divina.

Ex v. 2. & 5. Ad officium pastorum Ecclesiæ  
 pertinet, ut flagellis Dei precibus suis interce-  
 dant.

3.  
 Pastores  
 Ecclesiæ.

Ex v. 3. & 6. Deus preces piorum, quibus pro  
 populo ejus intercedunt, exaudire solet.

4.  
 Preces.

5.  
*Pœna di-  
vina.*

Ex v. 8. & 9. Quum Deus mitioribus pœnis nihil profecit, tandem *πανολεθειαν* immittere solet.

6.  
*Mendaces.*

Ex vers. 10. In Amatsja sacerdote proponitur exemplum hominis mendacis: quatenus prophetam Amosum ad regem detulit, quasi contra eum conjurasset.

7.  
*Hypocrita.*

Ex v. 10. 11. 12. & 13. In eodem proponitur exemplum hypocritæ: quatenus questus est, injuriam fieri regi & populo, quòd Amos contra illos prophetaret: & quatenus suavitati Amoso, ut salutis suæ consuleret fugâ.

8.  
*Constância.*

Ex v. 14. & seqq. In Amoso proponitur exemplum constantis servi Dei: quatenus & vocationem suam asseruit, & sacerdoti isti calamitates ei propter ipsius impietatem eventuras discretè denuntiavit.

9.  
*Ministri  
verbi Dei.*

Ex v. 14. & 15. Deus interdum ad ministerium verbi vocat personas coram mundo contemptibiles, ut hoc loco bubulcum ad munus propheticum. Sic Christus ad apostolatum vocavit piscatores.

10.  
*Vindicta  
divina.*

Ex v. 16. & 17. In sacerdote isto Amatsja proponitur exemplum justæ vindictæ Dei.

~~~~~

## C A P U T V I I I.

**S**ic ostendit visionem mihi Dominus Jehovi, quòd ecce fiscum æstivorum fructuum.

2 Quumq; dicenti, Quid vides, Hamas? dixissem, fiscum æstivorum fructuum; dixit Jehova mihi, Advénit ipse finis populo meo Israëli, non pergam amplius præterire ipsi.

3 Nam ejulabunt cantica templi die illa, dictum Domini Jehovæ; plurimum erit cadaverum qua in omnem locum projecerit tacitus:

4 Audite hoc qui anhelatis dejecturi egentem, & delecturi pauperes terræ,

5 Dicendo, Quando transiverit hoc



rit hoc novilunium, ut vendamus  
commeatum? & sabbatum, ut a-  
peramus frumenti *horrea?* minu-  
endo Epham, & majus faciendo  
pondus, ac pervertendo lancibus  
dolosis,

6 Comparando pecunia te-  
nues, & egentem pari calceorum;  
*ut* denique quisquillas frumenti  
vendamus.

7 Jurat Jehova per excellenti-  
am Jahakobi; *Ne vivam* si obli-  
scar in æternum ullum operum  
istorum.

8 An propter hoc non com-  
moveretur hæc terra, & lugeret  
quisquis habitat in ea? & ascende-  
ret velut rivus *in* totâ ipsam, quo  
expelleretur & submergeretur, ut  
rivo *Ægypti?*

9 Imò erit die illo, dictum Do-  
mini Jehovi, efficiam ut sol occi-  
dat ipso meridie; & obtenebrabo  
terram die lucido:

10 Et commutabo dies festos  
vestros in luctum, omniaq; can-

tica vestra in lamentationem, in-  
ducens super omnes lumbos cili-  
cium & super omne caput calvi-  
tium; disponamq; illam quasi lu-  
ctus unigeniti, ut finis illius *sit*  
tamquam diei amarissimi.

11 Ecce dies venturi sunt, di-  
ctum Domini Jehovi, quibus im-  
mittam famem in hanc terram;  
non famem habendi panis, neq;  
sitim aquarum, sed audiendi ver-  
ba Jehovæ:

12 Et vagabuntur à mari uno  
ad alterum, & ab Aquilone ad O-  
rientem usque: discurrentes ad  
pervestigandum verbum Jehovæ,  
non tamen invenient.

13 Die illa continenter defi-  
cient animo virgines pulcræ, & i-  
psi juvenes ea siti.

14 Qui jurant per ream  
Schomronis, & dicunt, Ut vivit  
deus tuus ô Dan, & Ut vivit *deus*  
viæ Beërschebahi; denique ca-  
dent, nec resurgent  
amplius.

A N A L Y S I S C A P. VIII.

**H**Oc capite continetur Amosi concio septi-  
ma: in qua decem tribubus denuntiat in-  
teritum regni propter peccata. Denuntiatio  
hæc tractatur tribus modis. Nam & proponitur,  
& confirmatur, & amplificatur. Proponitur duo-  
bus modis: partim scil. verbis generalibus, *ÿ. 2.*  
*7.* & *10:* partim specialibus, *vers. ult. in fine.* Con-  
firmatur autem testimonio juramenti Dei, *ÿ. 7.*  
Denique amplificatur ex effectis duobus: puta  
commotione terræ, & luctu incolarum, *ÿ. 8.* Cæ-  
terùm ipse interitus regni illustratur & amplifi-  
catur tribus modis: videl, ab adjuncto, ab effectis,

& à similibus. Adjunctum est typus, quo interitus iste fuit præfiguratus: nempe fiscus æstivorum fructuum. Hujus typi narratio duobus constat membris: (1) ostensione illius fisci in visione, v. 1. & indicatione significationis, v. 2. Effecta illius interitus narrantur quinque (1) ejulatus, (2) defectus sepulturæ cælorum, (3) luctus, (4) defectus ministerii verbi, (5) sitis. Ejulatus amplificatur antithesi pristini cantus, v. 3. Defectus sepulturæ declaratur partim è duabus causis procreantibus, videlicet multitudine cadaverum & metu illorum qui illa cupiebant ac debebant sepelire, versu eodem. Item amplificatur è subjectis locis quò cadavera fuerunt projecta, ibidem. Luctus amplificatur quatuor modis: (1) antithesi pristinae lætitiæ, (2) ab adjuncto cilicio, (3) ab effectu, evulsione capillorum, (4) à comparatis, quatenus comparatur cum luctu unigeniti, v. 10. Defectus ministerii verbi partim illustratur, partim amplificatur. Illustratur simili duplici: famis scilicet & sitis, v. 11. Amplificatur ab adjuncto, videlicet frustraneo studio illud obtinendi: quod ipsum studium amplificatur à subjectis locis, v. 12. Sitis amplificatur à subjecto recipiente, per quod notatur causa corrumpens, puta succulentum temperamentum juvenilis ætatis, v. 13. Similia ad interitum istum illustrandum & amplificandum afferuntur duo: (1) inundatio, in fine versus 8. (2) ambulatio in tenebris, v. 9. Atque hæc de denuntiatione pœnæ. Peccata propter quæ pœna illa fuit immittenda, commemorantur duo: oppressio pauperum, & idololatria. Oppressio pauperum

perum

perum amplificatur duobus modis: (1) ab adjuncto desiderio, (2) à modo agendi. Desiderium opprimendi significatur ex effectis duobus: puta anhelitu, v. 4. & captatione, v. 5. Modus agendi indicatur per partes sex: quarum prima est ibi, *Minuendo epham*, v. 5. Secunda ibi, *Et majus faciendo pondus*: pro quibus verbis reponenda sunt hæc, *Et augendo siclum*, ibid. Tertia ibi, *Ac pervertendo lancibus dolosis*, versu eodem. Quarta ibi, *Comparando pecuniâ tenues*, v. 6. Quinta ibi, *Et egentem pari calceorum*, versu eodem. Sexta ibi, *Ut deniq; quisquilias frumenti vendamus*, ibidem. Atque hæc de oppressione pauperum. Idololatria decem tribuum declaratur per species duas, v. 14: qui est ultimus.

## SCHOLIA IN CAP. VIII.

**S**ic ostendit &c.] *Ut supra cap. 7. v. 1. Quòd ecce fiscum] v. 1.*  
*Verto, Ecce aderat fiscus: vel, corbis. Æstivorum fructuum] Plenus æstivis fructibus. Genitivus adjuncti. Hebr. Æstatis. Metonymia efficientis. Sic 2. Sam. 16. v. 1.*

2 Quumq; dicenti &c.] *Hebr. Et dixit, Quid tu videns es, Hamos? & dixi, Fiscum æstivorum fructuum. Et dixit Jehova &c. Advênit populo meo] Hebr. Vênit ad populum meum. Ipse finis] Scil. regni. Ubi notandum, in Hebræo esse paronomasiam inter voces v. p. kâjits & v. p. keets: quarum illâ fructus æstivi, hac finis, significatur; atq; ita ipso sono vocis kâjitz rem affini voce significatam in memoriam revocari. Similem loquendi rationem vide Jerem. 1. vers. 11. & 12. Non pergam &c.] *Ut supra cap. 7. versu 8.**

3 Nam] *Hebr. Et. Ejulabunt] Vel, ululabunt. Id est, in ejulatum vel ululatum vertentur. Cantica templi] Quæ cantantur in templo. Genitivus subjecti. Templi] Scil. illius quod est Bethel. Synecdoche generis. Plurimum erit cadaverum] *Hebr. Multum erit cadaver. Id est, multa erunt cadavera. Ta-**

citus] Hebr.  $\text{דָּמָה}$ : id est, Sile seu tace. Itaq; videtur esse hinc ellipsis: ut integrum sit, Is qui dicet, Tace. Confer supra cap. 6. v. 10.

4 Qui anhelatis dejecturi &c.] Verto, Qui anhelatis in egentem: quiq; delere cogitatis &c. Supplementum praepositionis In petiitum est ex collatione verborum cap. 2. versu 4. vel 7. ubi dicitur, Qui anhelant in caput  $\text{שָׂרָא}$  tenuium. Anhelatis in egentem] Scil. dejecturi eum in pulverem: quae verba adduntur in loco modo citato. Quiq; delere cogitatis] Hebr. Et qui estis ad cessare faciendum.

5 Quando transiverit] Quando tandem transiverit? Interrogatio indignantis & optantis. quasi dicant, Nimum diu durat feria novilunii: utinam brevi transeat! In noviluniis vacandum erat cultui Dei, sicut in sabbatho: ut videre est Num. 10. v. 10. & cap. 28. v. 11. Psal. 81. v. 4. Hoc novilunium] In Hebraeo loco pronominis est articulus  $\text{ה}$ . Et nomen  $\text{שָׁרָא}$  quod proprie significat novitatem, intelligitur de novilunio, per synecdochen generis. Interdum verò, & quidem plerunq;, significat mensem: per synecdochen membri. Ut vendamus commeatum] In Hebraeo est polyptoton. q. d. Ut faciamus frangere fractionem. Commeatum] Sive annonam, seu deniq; frumentum. Hebr.  $\text{שֶׁבֶר}$ : quae vox proprie significat fractionem: deinde per synecdochen generis metaphoricam & metonymicam fractionem famis: id est, id quo frangitur famis. qua periphrasi frumentum significatur Genes. 42. versu 19. ubi Joseph fratribus frumentum ab eo emturis ait, Afferre fractionem famis domuum vestrarum. Id est, frumentum quo frangatur famis familiarum vestrarum. Qua ratione Psal. 104. v. 11. de onagris dicitur, quod fontibus frangant sitim suam. Porro à nomine  $\text{שֶׁבֶר}$ , quatenus significat frumentum, verbum  $\text{שָׁבַר}$  interdum mutuatur significationem hanc ut significet Emere frumentum: itemq; in hiphil vendere frumentum. Exempla prioris vide Genes. 41. v. 57. & cap. 42. v. 3. & 5. & cap. 43. v. 2. & 4. & cap. 47. v. 14. Exempla posterioris vide Genes. 42. vers. 6. Deut. 2. v. 28. Proverb. 11. v. 26. Deniq; hoc versu, & versu sequente. Semel tamen verbum  $\text{שָׁבַר}$  in kal reperitur pro vendere frumentum: ut videre est Genes. 41. vers. 56. ubi de Josepho dicitur, Et vendidit frumentum  $\text{וַיִּשְׁבֹּר}$  Aegyptiis. Sed ibi videtur legendum  $\text{וַיִּשְׁבֹּר}$ , in hiphil: quia mox v. 57. dicitur Tota illa terra venerunt in Aegyptum

prum ad Josephum לִשְׁבוֹר, ad emendum frumentum. Non est autem probabile, unam eandemq; vocem in eodem contextu, idq; in simplici narratione, diversam significationem habere. Et sabbatum] Repete, Quando transibit? Ut aperiamus frumenti horrea] Verto, Ut aperiamus frumentum. Et expono: Id est, horrea seu granaria. Nulla est ellipsis hic, sed est tropus, nempe metonymia adjuncti. Aperiamus] Scil. ad vendendum frumentum. Synecdoche generis. Epham] Species mensuræ aridorum. Majus faciendo pondus] Verto, Augendo siclum. Id est, pretium quo emitur frumentum: ita ut epham pluribus siclis vendamus quàm antea. Hebr. Magnificando siclum. Pervertendo] Scil. venditionem. Lancibus dolosis] Hebr. Lancibus doli. Genitivus adjuncti.

6 Comparando] Hebr. Acquirendo: id est, emendo. Synecdoche generis. Pecuniâ] Hebr. Argento. Metonymia materiae. Tenues] Pauperes. Metaphora. Pari calceorum] Vilissimo scil. pretio. Hebr. Propter par calceorum. Ut denique] Hebr. Et ut. In Hebraeo deficit vocula וְ: quia sequitur verbum futuri temporis, & praecessit infinitivus cum prefixo ה. Sic alibi passim. Quisquilias] Hebr. Cadivum, sive caducum. Was vom Korn abfällt.

7 Jurat] Verto, Juravit. Per excellentiam Jahakobi] Id est, Per se ipsum: ut supra cap. 6. v. 8. Periphrasis Dei ex adjuncto: qualis Psal. 106. v. 20. Excellentia enim Jacobi nominatur, quia per ipsum (puta per singularem, ac familiarem ejus conversationem) Jacob, h. e. populus Israëliticus excelluit. Vide Deut. 4. v. 7. & 8. Ne vivam] Pro his verbis malim supplere, Non ero Deus. Si obliviscar] Id est, Si non ulciscar. Metonymia efficientis metaphorica. In æternum] Id est, unquam. Ullum operum istorum] Hebr. Ulla opera istorum. quod in vertendo, ut magis perspicuum, retinere malim. Opera autem hic intelliguntur mala, per synecdochen generis.

8 Propter hoc] Propter hoc juramentum meum: cujus modo facta mentio. Commoveretur] Contremisceret. Hæc terra] In Hebraeo loco pronominis est articulus ה. Et ascenderet &c.] Verto, Nam evanescet, velut rivo, tota ipsa: & ejicietur, & submergetur velut rivo Ægypti. Nam] Hebr. Et. Evanescet]

Scil. Obruta atq; occupata hostibus, tanquam aquis. Hebr. Ascendet. In hac, aut certe affini, significatione verbum istud reperitur quoq; Job 5. v. 26. & Jerem. 48. v. 15. Velut rivo] Hebr.  $\text{רָאָה}$ : ubi vocula  $\text{רָ}$  posita est pro  $\text{רָא}$ : per apheresin: & sic in eadem sententia plenè scribitur infra cap. 9. v. 5. Et insuper deficit prepositio  $\text{ג}$ . Ejicietur] Id est, habitatores ejus ejicientur. Metonymia subjecti. Submergetur] Hebr.  $\text{וַיִּשְׁקַעְהָ}$ : pro  $\text{וַיִּשְׁקַעְהָ}$ . sicut integrè scribitur infra cap. 9. vers. 5. sed in kál. Velut rivo Ægypti] Id est, Nilo: qui quotannis exundat & totam regionem occupat.

9 Imò] Hebr. Et. Erit] Verto, Fiet. Die illo] Quo terra Israëlita ita ut dictum est, submergetur: id est, ab hostibus occupabitur. Efficiam ut sol occidat ipso meridie] Id est, Tanta anxietate & mœrore afficiam Israëlitas, ut in ipso meridie putaturi sint, solem jam occubuisse, seq; in densa nocte versari. Sic deinceps. Hebr. Introducam solem: vel, faciam ut introeat. Scil. in thalamum suum. Metaphora. Vide Psal. 19. v. 6. Die lucido] Hebr. Die lucis. Genitivus adjuncti.

10 Dies festos vestros] Verto, Festa vestra. Inducens] Hebr. Et ascendere faciam. Super omnes lumbos] Scil. Israëlitarum. Synecdoche integri. Sic mox, Super omne caput. Cili-  
cium] Hebr. Saccum. Calvitium] Quatenus scil. præ dolore sibi evellent pilos. Synecdoche generis. Disponamque illam quasi luctus unigeniti] Verto, Efficiamq; illi quasi luctum unigeniti. Ita ut verbum  $\text{וַיִּשְׁמַתִּיהָ}$ , positum sit pro  $\text{וַיִּשְׁמַתִּיהָ}$ . Cujusmodi ellipses passim occurrunt. Quod autem hîc dicitur de terra, intelligitur de incolis, per metonymiam subjecti. Luctum unigeniti] Quo lugetur unigenitus vitâ defunctus. Genitivus subjecti. Ut finis illius sit] Vel, Et finis ejus erit. Tanquam diei amarissimi] Verto, Tanquam dies amarus. Id est, mœstus: vel potius mœstitiam afferens. Metaphora & metonymia effecti.

11 Quibus] Hebr. Et. In hanc terram] In Hebræo loco pronominis est articulus  $\text{ה}$ . Habendi panis] Hebr. Pro pane. Aquarum] Verto, habendæ aquæ. Hebr. Pro aqua.

12 Vagabuntur] Scil. Israëlita. A mari uno ad alterum] Hebr.  $\text{אֶל מַרְיָוֹתַיִם וְעַד מַרְיָוֹתַיִם}$ . A mari usq; ad mare. Discurrentes] Hebr. Discurrent. Non tamen] Hebr. Nec.

13 Continenter deficient animo] Id est, patientur deliquium

quium animi. Hebr. Operientur. Scil. mœrore. Synecdoche generis: qualis Esa. 51. v. 20. & Jon. 4. v. 8. Eâ siti] Nempe siti verbi Dei, de qua versu 11. In Hebræo loco pronomini est articulus. Sed videtur simpliciter accipi posse de siti propriè dicta: puta de siti aquæ. Nam in calidis illis regionibus laboratur penuriâ aquæ, ac imprimis in obsidione urbium. Notum est exemplum civium oppidi Bethulia sive (ut Fr. Junius appellat) Bethchogla, in libro Judith. Et huic expositioni favet quod dicitur in fine versus sequentis, Deniq; cadent &c.

14 Per reatum Schomronis] Id est, per idola quæ statuerunt reges Samariæ, quorum cultu reatum contrahunt Israëlita. Metonymia effecti: qualis Deut. 9. v. 21. ubi Moses vitulum aureum quem adoraverant Israëlita, vocat peccatum eorum. Deus tuus] Qui in te colitur, per vitulum scil. aureum illic erectum per Jero-boamum filium Nebati. Deus viæ Beërschebahi] Id est, Deus qui colitur ea ratione quæ usitata est Beërschebahi. Vide supra cap. 5. vers. 5. In vocabulo viæ metaphora est. Deniq;] Hebr. Et. Cadent] Israëlita. Id est, subjugabuntur ab Assyriis. Nec resurgent amplius] Non recuperabunt regnum suum, non dimittentur in patriam ex captivitate.

OBSERVAT. EX CAP. VIII.

EX duobus primis versibus. Deus in erudien-  
da ecclesia adhibere solet similitudines.

Ex iisdem versibus. Quum homines nec finem, nec modum peccandi faciunt; quantumvis per ministros verbi subinde ab illis revocentur: tum peccata quasi maturefcunt, & pœnam divinam certò secum trahunt.

Ex v. 3. Quod hîc narratur de canticis idololatrarum Israëlitarum, fore ut in ejulatum commutentur: idem sibi dictum putent idololatræ Papistæ, quod attinet ad cantus eorum quibus idololatricam missam suam celebrant.

Ex eodem versu. Ex numero maledictionum

- 1. Docendi modus divinus.
- 2. Pœna divina.
- 3. Missa Pœnitificia.
- 4. Sepultura.

divinarum est & hæc, quum cadavera sepelire non licet.

5.  
Oppressio  
pauperum.  
Avaritia.

Ex v. 4. 5. 6. & 7. Oppressio pauperum, & (unde illa nascitur) avaritia, fugienda est: ac nominatim actiones illæ avarorum, quæ hîc commemorantur.

6.  
Juramentū

Ex versu 7. Quum Deus jurat, jurat per seipsum.

7.  
Comminationes divina.

Ex versu 8. ex verbis, *An propter hoc non commoveretur terra?* Comminationibus divinis commoveri & contremiscere debemus.

8.  
Anxietas.  
Mæror.

Ex versu 9. Anxietatis ac mæroris magna vis est.

9.  
Hilaritas.

Ex versu 10. Quum licet nobis hilaribus esse: cavere debemus, ne peccatis nostris Deum moveamus, ut hilaritatem nostram in tristitiam convertat.

10.  
Ministeriū  
verbi Dei.

Ex versu 11. & 12. Ingens Dei beneficium est, frui posse ministerio verbi Dei: sicut è contrario ingens miseria est, ministerio illo destitui. Vide Proverb. 29. v. 18.

11.  
Sitis.

Ex versu 13. Ex numero maledictionum divinarum est & sitis, nempe enormis: cui restinguendæ deest potus.

12.  
Juramentum.

Ex versu 14. Cavendæ formulæ jurandi per idola, ac omnino per creaturas.

~~~~~

## CAPUT IX.

VIdi Dominum stantem super altari, ac dicentem, Percute istud malogranatū ut commoveantur postes ipsi, & divide ipsos in capite ipsorum omnium,

quod autem post ipsos est, gladio interficiam: non effugiet ex eis profugus, neq; liberabit se ex eis qui evaserit.

2 Si foderent latitaturi in sepulcro,



pulero, inde manus mea caperet eos; & si ascenderent in cœlum, illic deducere eos:

3 Et si abderent se in vertice Carmeli, inde scrutatus caperem eos: & si occultarent se à conspectu oculorum meorum in fundo maris, inde præciperem serpenti ut mordens *tolleret* eos:

4 Quòd si abirent in captivitate coram inimicis suis, inde præciperem gladio ut interficiens *tolleret* eos: adhibebo enim oculum meum contra eos in malum, non autem in bonum;

5 Nam Domino Jehovi exercituum tangente terram, dissolvitur, & lugent quicunq; habitant in ea: conscenditq; quasi rivus totam ipsam, quasi rivus Ægypti, atq; submergitur:

6 Qui extruxit in cœlis cœnacula sua, & cuneum suum super terram fundat: qui evocans aquas maris effundit eas in superficiem terræ, Jehova nomine.

7 An non pares filiis Æthiopum estis mihi, ô filii Jisraëlis? dictum Jehovæ: an non Jisraëlitas deduxero è terra Ægypti, ut Pelischthæos è Caphthore, & Syros è Kiro?

8 Ecce oculos Domini Jehovi contra hoc regnum peccans, ut perdam ipsum à superficie terræ; nisi quòd non omnino perdam domum Jahakobi, dictum Jehovæ.

9 Nam ecce ego præcipiens agitabo inter omnes gentes domum Jisraëlis; quemadmodum agitantur *grana* in vanno, ita ut non decidat lapillus in terram.

10 Gladio morientur omnes peccatores populi mei; qui dicunt, Non assequetur aut obveniet nobis hoc malum.

11 Tempore illo erigam tugurium Davidis quod decidit: & sepiam rupturas earum, ac demolitiones ejus restituum, & reedificabo illud, sicut olim:

12 Ut hæredes sint cum reliquiis Edomi, & omnibus gentibus quæ vocantur de nomine meo; dictum Jehovæ qui facit istud.

13 Ecce dies venturi sunt, dictum Jehovæ, quibus attinget arator messorum, & calcator uværum satorem: & stil abunt montes mustum, & omnes colles colliquefcent:

14 Et reducam captivam multitudinem populi mei Jisraëlis; qui ædificabunt civitates desolatatas ut inhabitent, & conferent vineas ut bibant vinum earum: facientq; hortos ut comedant fructum eorum:

15 Et plantabo eos in terra ipsorum: ac non evellentur amplius à terra sua quam dederò ipsis; dicit Jehova Deus tuus.

ANALYSIS CAP. IX.

**H**Oc capite continetur concio Hamosi octava: in qua duo agit. Primum denuntiat decem tribus interitum regni, decem primis

versibus: deinde promittit eis liberationem spiritualem, v. 11. & seqq. Interitus regni partim illustratur, partim declaratur. Illustratur per typum, v. 1. Declaratur autem per partes duas: puta cædes & exilium. Cædes amplificantur duobus modis: à causa corrumpente & ab adjuncto. Causa corrumpens indicatur duplex: latitatio & deditio ultronea ad deportationem. Latitatio amplificatur è subjectis locis: quæ indicantur quatuor: duo versu 2. itemq; duo versu 3. Ultronea deditio commemoratur versu 4. Jam adjunctum cædium istarum fuit studium Dei in illis procurandis, in fine versus 4. & initio versus 8. Cæterùm ipsa cædium denuntiatio partim confirmatur, partim declaratur. Confirmatur à Dei potentia quæ describitur ex effectis numero sex, v. 5. & 7. Declaratur autem antithesi, v. 8. Atq; sic tractantur cædes. Exilium verò illustratur simili, v. 9. Porrò peccata, propter quæ interitus iste decem tribubus denuntiatur, indicantur duo: ingratitude erga Deum, & securitas carnalis. Ingratitudo illustratur duobus exemplis similibus, v. 7. Securitas carnalis significatur ex effectu, videl. professione, v. 10. ubi simul innuitur contemptus verbi Dei per prophetas annuntiati. Atq; hæc de parte prima.

Promissio liberationis spiritualis constat allegoriâ perpetuâ, quâ liberatio illa significatur per beneficia corporalia: quæ commemorantur septem.

1. Reædificatio tugurii Davidis collapsi,  
versu 11.

2. Sub-

2. Subjugatio gentium, v. 12.
3. Abundantia frumenti & vini, v. 13.
4. Reductio ab exilio, v. 14.
5. Plantatio vinearum & hortorum, ibid.
6. Vini & fructuum arboreorum fruitio, ibidem.
7. Protectio contra hostes, v. 15.

SCHOLIA IN CAP. IX.

**V**Idi] Nempe in ecstasi, seu extra me raptus. Synecdoche generis. Dominum] Hebr. Adonai. Super altari] Scil. holocausti, in templo Salomonis. Dicentem] Scil. angelo alicui. Sancti enim angeli sunt administri judiciorum divinatorum. Istud malogranatum] Nimirum quod in summo templi fastigio erat, Fr. Junius. Commoveantur] Contremiscant. Divide] Hebr. Diffinde. quod in vertendo retinendum puto. In capite] In summa parte. Metaphora. Quod autem] Verto, Quod enim: vel, Nam quod. Hic enim subjungitur significatio precedentis typi. Hebr. Et quod. Quod post ipsos est] Id est, Israëlitas qui post templi postes latitant. Synecdoche generis. Hebr. Posterum ipsorum. Gladio] Scil. Assyriorum & Babyloniorum. Effugiet] Heb. Fugiet. Synecdoche generis. Profugus] Heb. Fugiens. Neque liberabit se qui evaserit] Hebr. Neq. evadet evasor. Id est, Is qui evadere conabitur, non evadet. Ex eis] Prepositio hinc valet Ex, notans partem.

2 Latitaturi in sepulcro] Ellipsis verbi relati. In sepulcro] Verto, In inferno: quia mox opponitur calum. Vox hinc est ambigua. In significatione autem inferni reperitur & alibi: ut Job 11. v. 8. & cap. 26. v. 6. Per infernum autem intelligitur locus terra infimus atq. intimus, centro proximus. Caperet] Hebr. Acciperet: id est, auferret. Scil. Et traderet hosti occidendos. Synecdoche membri metonymica, quâ unâ cum effectu destinato intelligitur finis. Deducerem] Malim, Detraherem: vel, deturbarem. Hebr. Descendere facerem. Scil. propter causam modo dictam; seu in finem modo dictum.

3 Vertice] Seu cacumine. Hebr. Capite. Metaphora. Car-

M

meli] Montis: cuius mentio quoq; fit 1. Reg. 18. v. 19. & deinceps. Scrutatus caperem] Hebr. *Scrutarer & caperem.* Caperem] Hebr. *Acciperem: id est, auferrem.* A conspectu] Hebr. *E regione: sive, ex adverso.* Fundo] Hebr. *Solo.* Inde præciperem &c.] Adverbium Inde non pendet à voce præciperem, sed à voce tolleret. Trajectio vocum. Serpenti] Id est, serpentibus. Ut mordens tolleret] Vel, Ut mordens abigeret. Hebr. *Ut morderet eos.* Daß sic sic von dannen bissen. Ellipsis verbi relati.

4 Ut interficiens tolleret eos] Hebr. *Ut interficeret eos.* Quod potest in vertendo retineri. Neq; enim ellipsi ista hic opus est. Adhibebo enim] Hebr. *Et ponam.* In malum] In pœnam. Synecdoche generis.

5 Nam] Hebr. *Et.* Domino Jehovi &c.] Hebr. *Dominus Jehova deus exercituum, est is qui tangit terram, & illa liquefcit.* Copulativum enuntiatum valet relativum temporis. Conscenditq; &c.] Verto, *Et evanescit quasi rivo tota ipsa, submergiturq; tanquam rivo Ægypti.* Vide supra cap. 8. v. 8.

6 Qui exstruxit] Verto, *Ipse est is qui exstruit in calo cœnacula sua.* Qui exstruit] Qui subinde exstruere solet. In cælo] Id est, in aère. Synecdoche generis. Cœnacula sua] Nubes. Metaphora. Hebr. *נִשְׁעָנָה.* Ascensiones: id est, gradus: quia per gradus in cœnacula ascenditur. Metonymia adjuncti. Aliàs cœnacula nominantur *נִשְׁעָנָה*: & sic nubes per metaphoram appellantur Psal. 104. vers. 3. & 13. Cuneum suum] Id est, cuneos suos. Hoc est, agmina sua: nempe genera animalium varia, quibus utitur tanquam agminibus. Qua ratione aliàs nominatur deus exercituum. Metaphora. Hebr. *Fasciculum suum.* Synecdoche generis: qualis 2. Sam. 2. vers. 25. Super terram] Malim, *Super terrâ.* Evocans effundit] Hebr. *Vocat & effundit.* Vide supra cap. 5. versu 8. Jehova nomine] Verto, *Jehova est nomen ejus.*

7 Pares] Malim, *similes.* Hebr. *Sicut filii Æthiopum.* Id est, ingrati & impii: ut percipitur è proximè sequentibus. Jisraëlitas] Hebr. *Jisraëlem.* Metonymia efficientis. Deduxero] Verto, *eduxi.* Hebr. *Ascendere feci.* Ut Pelischtæos &c.] Sensus est: *Sicut Philistæi nullam gratiam mihi referunt, quòd eos eduxi è Caphthore: nec Syri gratiam mihi referrent, si eos edueerem è Kiro: ita vos nullam mihi gratiam refertis, quòd eduxi vos ex Ægypto.*

gypto. Ut] Hebr. Et. Pelischthæos] Vulgo Philisteos. E Capthore] Vide Genes. 10. v. 14. Deut. 2. v. 23. Syros] Hebr. Arám. Id est, posteros Arami. Metonymia efficientis. Vide Genes. 10. v. 22. E Kiro] Vide supra cap. 1. v. 5.

8 Ecce oculos &c.] Verto, Ecce oculi Domini Jehovæ intenti sunt. Ellipsis verbi relati. Contra hoc regnum] Scil. Israëlitis & Judæ. In Hebræo loco pronominis est articulus ה. Peccans] Verto, peccatrix. Id est, peccato deditum. Non enim est participium: sed nomen feminini generis, deductum à masculino נִשְׁכָּנָה, id est, peccator. Ut perdam] Pro, Ut perdat. Mutatio personæ. Hebr. Et exscindam. Nisi] Hoc excepto. Quod non omnino perdam] Hebr. Quod non exscindendo exscindam. Domum] Familiam, posteros.

9 Præcipiens agitabo] Hebr. Præcipiens ero (id est, præcipiam) & agitabo. Præcipiens] Scil. Assyriis & Chaldæis. Id est, incitabo eos. Metaphora. Domum] Familiam, posteros. Agitantur grana] Verto, Agitatur triticum. Ellipsis nominis relati. Hebr. Agitabitur. Id est, agitari solet. Ita ut non decidat lapillus in terram] Id est, ut grana singula v. anno agitentur: hoc est, ut Israëlita singuli ab hoste affligantur. Lapillus] Id est, granum tritici. Metaphora. Sic autem nominatur granum tritici propter pondus, respectu paleæ.

10 Peccatores populi mei] Id est, Quicumq; ex populo meo sunt peccatores, h. e. scelerati. Genitivus totius. Obveniet nobis] Hebr. Occurret seu obviam veniet circa nos. Hoc malum] Quod scil. minantur propheta. In Hebræo loco pronominis est articulus ה.

11 Tempore illo] Quo scil. Israëlita detinebuntur in captivitate seu exilio. Hebr. In die illo. Erigam tugurium Davidis] Instaurabo regnum Davidis. Metaphora: qua rex comparatur pastori, subditi ovibus. Intelligendum est autem hoc de instaurazione spirituali, qua electi Israëlita per prædicationem Evangelii colligendi fuerunt in ovile Christi. Decidit] Hebr. Cecidit. Id est, collapsum est. Earum] Scil. sepium, quibus tugurium circumdatum & munitum est. Relativum sine antecedente. Demolitiones ejus] Scil. Davidis. Huic enim referri pronomen illud, postulat forma ejus: quod scil. est generis masculini, ac proinde non potest

referri ad nomen tugurii, סִכָּה, quod est generis foeminini. Nisi statuere hic velimus anomaliam generis. Quae quidem adhibita est in allegatione hujus dicti Actor. 15. v. 16. Restituam] Vel, Rursus erigam. Reaedificabo] Hebr. Aedificabo. Sicut olim] Ut sit tale quale fuit olim. Hebr. Secundum dies seculi.

12 Ut haeredes sint cum reliquiis Edomi &c.] Verto, Ut possideant reliquias Edomi & omnes gentes &c. Verbum שִׁירָה quum regit particulam הָאֵלֶּם: significat possidere, & particula הָאֵלֶּם tunc valet articulum accusativi casus: non autem praepositionem Cum. Nec verò verbum illud ita absolute usurpari solet pro eo quod est Haeredem esse. Nec tantum refertur ad rem quae possidetur, sed etiam ad personas: ut videre est in Deuteronomio passim, puta cap. 9. v. 1. cap. 11. v. 23. cap. 12. v. 2. & 29. cap. 18. v. 14. Item Jerem. 49. v. 2. Haec autem possessio seu acquisitio intelligenda est de subjectione spirituali sub jugum Christi. Per reliquias autem Edomi intelliguntur electi ex Edomaeis. idq; partim per metonymiam efficientis, partim per synecdochen integri, vel generis: diverso respectu. Quo loco observandum, versionem Graecam horum verborum, quae allegatur Actor. 15. v. 17. fundatam esse in aliis vocabulis Hebraicis. Verba Graeca sunt haec: ὅπως ἀν ἐκζητήσωσιν οἱ ἀλάστοιποι τῶν ἀνθρώπων τὸ Κύριον. Quibus respondent Hebraea ista; excepta voce τὸ Κύριον: quae in Hebraeo non exstat.

לְמַעַן יִרְשׁוּ הַשְּׂאֲרִית אֲדָם

At in Hebraeo leguntur verba haec:

לְמַעַן יִרְשׁוּ אֶת-שְׂאֲרֵתִי אֲדָם

Unde jam perspicitur, interpretem Graecum pro verbo יִרְשׁוּ. legisse יִרְשׁוּ: pro אֶת verò הָ: denique pro אֲדָם אֲדָם. Simile exemplum observavit collega meus, Georgius Pasor, in Nahumo cap. 1. v. 12. ubi Hebraea sic habent,

כֹּה אָמַר יְהוָה אֱמ-שְׁלָמִים וְכֵן רַבִּים

Graeca autem versio sic habet, τάδε λέγει κύριος ἀλάστορων ὑδάτων πολλῶν. Unde apparet, interpretes illos sic legisse,

כֹּה אָמַר יְהוָה מִשְׁלַל מֵיִם רַבִּים

Quae vocantur de nomine meo] Scil. filii Dei: id est, electi: sicut Joh. 12. v. 52. Hebr. Super quas vocatur nomen meum.

13 Quibus attinget arator messorum &c.] Id est, Quibus maxima

maxima

maxima erit nascentium terra, unde homo vitam sustentat, abundantia. Id est, maxima erit copia bonorum spiritualium, quibus fovetur vita spiritualis, nempe gustus sive sensus favoris divini. Allegoria metaphorica. Satorum ] Hebr. Trahentem semen. Nempe è sacco, ut illud projiciat in agrum. Synecdoche generis: item synecdoche integri metonymica, quâ unâ cum effectu destinato intelligitur finis. Stillabunt montes mustum ] Id est, Vineæ in montibus plena erunt uvis. Metonymia effecti hyperbolica. Colles colliquescent ] Scil. ex musto quod fluet ex uvis. Metaphora hyperbolica.

14 Reducam captivam multitudinem &c. ] Hoc est, Electos Israëlitas restituum in integrum. Hoc autem intelligendum est de restitutione spirituali: qua electi eximuntur è potestate Satanae, & adducuntur ad vitam eternam.

OBSERVAT. EX CAP. IX.

EX v. 1. Deus Ecclesiam erudire solet per typos.

1. Docendi modus divinus.

Ex v. 2. 3. & 4. Frustra latitant aut deprecantur, quos Deus neci destinavit.

2. Gubernatio Dei.

Ex v. 5. & 6. notetur testimonium de potentia Dei.

3. Dei potentia.

Ex v. 7. Ingratitudo erga Deum fugienda est.

4. Ingratitudo.

Ex v. 8. Deus publicas clades temperat propter electos.

5. Gubernatio Dei.

Ex v. 9. Quos Deus exilio destinavit, illorum nemo evadet.

6. Gubernatio Dei.


Ex v. 10. Cavenda securitas carnalis & contemptus verbi Dei.

7. Securitas.

Ex v. 11. & seqq. Deus bona spiritualia quæ in veteri testamento promisit, per bona corporalia figuravit. Errant igitur Judæi, qui promissiones illas secundum literam interpretantur. Esse autem hanc promissionem intelligendam de bo-

8. Docendi modus divinus.

nis spiritualibus, patet ex allegatione apostoli Jacobi Actor. 15. v. 14. & seqq.



## ANALYSIS OBADJÆ.

**V**isio Hobadjæ. Sic ait Dominus Jehovi de Edomæa, Rumorem audivimus à Jehova, & legatum ad gentes missum *dicentem*, Surgite, ut insurgamus adversus eam in prælium.

2 Ecce, parvum dispositurus sum te inter gentes: contemptus eris valde.

3 Superbia animi tui decipit te, ô qui habitas in fissuris petræ, *in* altissima habitatione sua; dicens cum animo suo, Quis deiceret me *in* terram?

4 Si exaltares velut aquila, & si inter stellas poneres nidum tuum; inde deicerem te, dictum Jehovæ.

5 Quomodo excisaes? Si fures advenirent tibi, si vastatores nocturni, nonne furarentur quod factis esset ipsis? Si vindemiatores advenirent tibi, nonne relinquerent racemos?

6 Quomodo pervestigantur Hefavi, perquiruntur abdita ejus?

7 Usq; ad terminum deducent te omnes federati tui; decipient te, prævalebunt tibi qui pacem colunt tecum: convivæ tui imponent vulnus loco tuo, cujus *vulneris* nulla erit intelligentia.

8 Nonne die illa, dictum Jehovæ; quum perdidero sapientes ex Edomæa, & intelligentes è monte Hefavi:

9 Tum terrebutur potentes tui, ô Theman; ut excindatur quisq; è monte Hefavi à strage?

10 Propter violentiam in fratrem tuum Jahakobum, operiet te pudor: & excindêris in seculum:

11 Quia eo die stas ex adverso quo die captivas abducunt extranei copias ejus; quumq; alienigenæ ingressi portas ejus, super Jeruschalaima projiciunt sortem, tu quoq; ut unus illorum es.

12 Ne ergo aspicias diem fratris tui, diem alienationis ejus, neque læteris de Jehudæis, quo die pereunt; neq; magnifices os tuum die angustia.

13 Ne ingrediatis portam populi mei die calamitatis eorum, ne aspicias tu quoq; malum ejus die calamitatis ipsius: neque extendant se *manus* in facultates ejus die calamitatis ejus:

14 Neque persistas in diruptione, ad excindendum qui evadunt ex eo: neque prodas superstites ejus die angustia.

15 Nam propinquus *est* dies Jehovæ contra omnes istas gentes: quemadmodum feceris, fiet tibi, retributio tua revertetur in caput tuum.

16 Nam quum biberitis in monte sanctitatis meæ, bibent omnes gentes jugiter: bibent, inquam,



quam, & absorbebunt, eruntque ac si non fuissent:

17 In monte verò Tzizonis erit qui evadet, eritque sanctus; & hæreditario jure possidebunt domus Jahakobi hæreditarias possessiones suas.

18 Eritque domus Jahakobi *velut* ignis, & domus Josephi flamma, domus autem Hesavi in stipulam, ut accensi in hos consumant ipsos; neque erit superites domui Hesavi, quia Jehova eloquitur.

19 Ita hæreditario jure possidebunt Australem regionem cum

monte Hesavi, & locum humilem cum Pelischthæis, hæreditario inquam jure possidebunt cum agro Ephrajimi & cum agro Schomronis: Benjaminisq; cum Gilhade:

20 Et deportatæ copię istæ Jisraëliitarum, quod *fuit* Cenahæorum Tzarphatham usque, & deportati Jeruschalaimani quod est in fine dominatus; *id* hæreditario jure possidebunt cum civitatibus Australibus.

21 Quumq; ascenderint servatores in monte Tzizonis, ad judicandum montem Hesavi, erit Jehovæ regnum.

### ANALYSIS OBADJÆ.

**H**Æc prophetia duabus constat partibus. Primum enim denuntiat Obadjas Edomæis interitum, usq; ad versum 17. Deinde promittit populo Dei liberationem spiritualem electorum ex ipsis, *ψ*. 17. & seqq. Initio ponit titulum, quo prophetiam hanc commendat ab auctore Deo, *ψ*. 1. Idem facit in exordio: quo denuntiatio illa proponitur primum verbo generali, quòd loqui velit de Edomæa: deinde verbis specialibus, quòd Edomæa sit bello invadenda. Hoc bellum declaratur à causis ministris. Eæ fuerunt rex Babylonæ & copię militares illius, *ψ*. 2. Porrò interitus ipse illustratur & amplificatur septem modis: (1) ab eventu, (2) à causis corrumpentibus, (3) à dissimilibus, (4) ab adjuncto, (5) à causis ministris, (6) à causa impulsiva, (7) à comparatis. Eventus istius interitus fuit contemptus, *ψ*. 3. Causæ corrumpentes quæ interitui isti videbantur obstituræ, commemorantur tres:

(1) altitudo habitationis, v. 3. (2) sapientia gubernatorum, v. 8. (3) robur ac fortitudo bellatorum, v. 9. Has causas singulas Dominus removet: primam versu 4. & 5: secundam versu 8: tertiam versu 9. Cæterum primæ causæ remotio amplificatur à comparatis fictis, altioribus scil. locis quàm erat mons Sehir, ac talibus ut habitari ibi non possit: ut sunt vertex petræ, ubi nidum ponit aquila, v. 4. Item cælum stelliferum, ibidem. Dissimilia istius interitus afferuntur duo: furtum & vindemiatio, v. 5. Adjunctum interitui isti adhærens, fuit accuratissima spoliatio, v. 6. Atque hæc de causis corrumpentibus. Causæ ministræ indicantur duplices: federati & domestici, v. 7. Causa impulsiva quæ Deum movit ut Edomæos deleret, fuerunt injuriæ illorum erga Judæos: quæ indicantur primùm vocabulo generali *violentia*, v. 10: deinde commemorantur in specie, numero septem. Prima ibi, *Stas ex adverso &c.* v. 11. Secunda ibi, *Quumq; alienigenæ &c.* ibidem. Tertia ibi, *Ne ergo aspicias &c.* v. 12. & 13. Quarta ibi, *Neq; magnifices &c.* v. 12. Quinta ibi, *Ne ingrediaris &c.* v. 13. Sexta ibi, *Neq; extendant se &c.* ibid. Septima ibi, *Neq; persistas &c.* v. 14. Comparata quibus interitus iste illustratur, afferuntur triplicia: (1) exempla similia, ibi, *Propinquus est dies Jehovæ contra omnes istas gentes*, v. 15. (2) similis modus agendi, ibi, *Quemadmodum feceris &c.* v. eodem. (3) actio similis, vel potiùs passio quæ ex actione ista consequitur, ibi, *Nam quum biberitis &c.* v. 16. Atq; hæc de parte prima.

In parte altera, bona spiritualia & cælestia significan-

gnificantur & figurantur per corporalia atque terrena. Cujusmodi commemorantur tria: (1) reductio in montem Tſijonis, *ψ*.17. (2) possessio regionis Chanaan, *ψ*.17.19. & 20. (3) consumptio Edomæorum, *ψ*.18. & 21.

## SCHOLIA IN OBADJAM.

**V**isio Hobadjæ ] *Id est, prophetia quam Deus revelavit* *ψ*.1. *Obadia. Metonymia adjuncti. De Edomæa ] Hebr. De Edomo. Metonymia duplex: una efficientis, altera adjuncti. Rumorem ] Hebr. Auditionem. Metonymia adjuncti, & synecdoche generis. Missum ] Scil. à Nebucadnetſare, rege Babylonia. Adversus eam ] Scil. Edomæam.*

2 Dispositurus sum ] *Hebr. Dedi. Præteritum pro futuro, propter certitudinem eventus. Te ] Verba Dei ad Edomum: id est, gentem Edomæorum. Eris ] Hebr. Tu.*

3 Animi ] *Hebr. Cordis. Decipit ] Hebr. Decepit. In altissima habitatione sua ] Pro, tua. Mutatio personæ. Hebr. In altitudine habitationis suæ. Hypallage. Cum animo suo ] Hebr. In corde suo. Dejiceret ] Hebr. Descendere faceret. Sic versu sequente.*

5 Quomodo excisa es? ] *Hæc verba in Hebræo sunt trajecta. Videntur autem suo loco relinquenda, & parenthesi includenda: ad significandum affectum quasi condolentis: ad hunc modum: Si fures invasissent te, si vastatores nocturni: (heu quomodo excisa es?) nonne furati essent &c. Vastatores nocturni ] Hebr. Vastatores noctis. Genitivus subjecti. Vastatores enim illi adjungunt se nocti. Quod satis esset ipsis ] Hebr. Sufficientiam suam. Nonne relinquerent &c. ] Hic subintelligenda est apodosis dissimilitudinis, nempe, At Babylonii nihil tibi relinquent.*

6 Quomodo pervestigantur ] *Suppleo, thesauri. Ellipsis nominis relati. Est autem interrogatio admirantis. Hesavi ] Id est, Edomæorum. Metonymia efficientis. Abdita ] Recondita.*

7 Usque ad terminum ] *Scil. regionis tuæ. Deducent ] Hebr. Dimiserunt. Sic deinceps. Federati ] Hebr. Homines federis. Genitivus subjecti. Qui pacem colunt tecum ] Hebr. Homines*

pacis tua. Genitivus subjecti. Sic Psal. 41. v. 10. Convivæ tui] Malim, Qui edunt panem tuum. Omnino videtur hic excidisse vocula <sup>וְ</sup> <sup>אֲנִי</sup>: ex collatione loci modò allegati. Nisi potius est ut <sup>אֲנִי</sup> <sup>וְ</sup> <sup>אֲנִי</sup> repetatur vox <sup>וְ</sup> <sup>אֲנִי</sup>. Imponent] Heb. Ponent. Vultus] Vel, ulcus. Puta disfidium. Metaphora. Loco tuo] Puto vertendum, Sub te. Cujus] Hebr. In quo. Id est, Circa quod. Ut notetur objectum. Man würde sich desselben geschwärs nicht verstehen können. Id est, Nemo intelliget unde ortum sit illud disfidium.

8 Nónne &c.] Nostri hunc versum connectunt cum sequente per enuntiatum relativum temporis: sed malo utrumq; legere per se, ut duæ comminationes distinctè appareant, ad hunc modum: Nónne die illo (dictum Jehovæ) perdam sapientes &c. Tum terrebuntur &c. Hebr. Et perdam: & terrebuntur. Sed prior conjunctio copulativa tantum servit annectendo consequenti enuntiatum: Die illo perdam: Quum erit dies ille, tum perdam. Interrogatio autem habet vim asseverandi: quasi dicat, Omnino perdam: non est quod dubites. Sapientes] Id est, gubernatores reipubl. Metonymia adjuncti, qualis Jerem. 18. vers. 18. Erant autem illi sapientiæ nomine celebres: ut apparet ex Jerem. 49. vers. 7. Ex Edomæa] Hebr. Ex Edomo: ut v. 1. Et intelligentes] Hebr. Et intelligentiam. Hoc potest bifariam exponi: vel per ellipsin (ut faciunt nostri) sic, Intelligentiæ viros: vel per tropum, nempe metonymiam formæ: qui exponendi modus mihi magis placet. nam alter contortior videtur. E monte Hefavi] Nempe è monte Sehir.

9 Potentes] Verto, Robusti. O Theman] Id est, O Edomæi. Metonymia efficientis, & synecdoche speciei. Theman pro posteris Themanis, qui fuit nepos Esavi ex Eliphaso, Genes. 36. vers. 15. Et posteris Themanis pro posteris Esavi universis. Sic Jerem. 49. v. 7. Quisque] Illorum robustorum. A strage] Verto, Per occisionem. Præpositio <sup>וְ</sup> hic notat causam instrumentalem, vel modum agendi.

10 Propter violentiam] Præpositio <sup>וְ</sup> hic notat causam impulsivam, nempe causam procatarteticam quæ Deum movit ad Edomæos pudore operiendos. Violentiam in fratrem tuum] Quam exercuisti erga fratrem tuum. Hebr. Violentiam fratris tui. Genitivus ob-

tivus objecti: qualis Genes. 16. v. 5. Injuria mea: id est, qua ego afficior. In fratrem tuum Jacobum] Id est, In Israëlitas, ortos ex Jacobo, fratre Esavi, ex quo vos Edomæi orti estis. Operiet te pudor] Pudefies gravissimè: nempe quia frustra te tueri conaberis per sapientiam & robur tuum. In seculum] In æternum: ita ut nunquam te recolligas, nunquam recuperes pristinam dignitatem & potentiam.

11 Quia eo die &c.] Verto, Die quo stabas ex adverso, die quo captivum abduxerunt extranei exercitum ejus; quoq; alienigenæ ingressi sunt portas ejus, & super Hierosolymam jecerunt sortem: tu quoq; tanquam unus ex illis eras. Quo stabas ex adverso] Sive, è regione. Scil. Jacobi, fratris tui: ex versu præcedente. Id est, quo intentè observabas, quid malorum ei inferretur ab hostibus. Die quo captivum abduxerunt &c.] Hinc perspicitur, Obadjam prophetasse post captivitatem Judæorum Babylonicam. Extranei] Nempe Chaldæi. Exercitum ejus] Nempe Jacobi: id est, Judæorum. Sic deinceps. Alienigenæ] Idem Chaldæi. Super Hierosolymâ] Id est, super spoliis in ea inventis. Metonymia subjecti. Quidam hoc exponit de Hierosolymæ oppugnatione. Sed hanc expositionem respuit ordo sententiarum: quia proximè præcessit, quòd alienigenæ ingressi sint portas Jacobi. Ergo jam expugnarant urbem. Tu quoq; tanquam unus ex illis eras] Confer Psal. 137. v. 7.

12 Ne ergo aspicias &c.] Hæc dehortatio à maleficiis, habet vim exprobrationis. Dum enim dehortatur Edomæos ne maleficia ista in Judæos exercent, hoc ipso exprobrat eis quòd ea in illos exercuerint. Quanquam videntur tres versus sequentes etiam aliam interpretationem admittere, ut scil. vocula <sup>Ne</sup>, id est, Ne, reddatur per adverbium negandi Non: in qua significatione interdum occurrit: ac proinde his verbis non contineatur hortatio, sed denuntiatio. Cui interpretationi favet initium versus 15. ubi habetur conjunctio rationalis <sup>Nam</sup>, id est, Nam. Quæ sententia si admittitur, tum locus hic ita erit reddendus: Sed non aspicias amplius diem fratris tui. Et sic deinceps. Veruntamen insolens videtur, quòd vocula <sup>Ne</sup> pro <sup>Nam</sup> usurpata, toties iteretur. Ne ergo] Hebr. Et ne. Ne aspicias] Scil. cum voluptate. Synecdoche generis: qualis Psal. 35. v. 21. & Psal. 54. v. 9. Malim, Ne aspicio. Et

*sic deinceps. Diem fratris tui] Quo frater tuus à Deo castigatur. Synecdoche generis: & genitivus subjecti. Diem alienationis ejus] Epexegeſis. Id eſt, quo ipſe alienatur à Deo per deportationem in Babyloniam. Synecdoche generis: & genitivus objecti. Neque] Verto, Néve. Et ſic deinceps. quia in Hebræo eſt Ne prohibentis. At Neq; eſt indicantis: & reſpondet vocula נֶוֶה: De Jehudæis] Hebr. De filiis Jēhuda. Ubi præpoſitio וֹ valet ׀, denotans objectum. Quo die pereunt] Hebr. In die perire eos. Magnifices os tuum] Id eſt, Ne ſuperbè loquitor. Scil. de Jūdæis. Die anguſtiæ] Scil. Jūdæorum.*

13 *Ne aspicias] Scil. cum voluptate: ut verſu præcedente. Malum] Nempe malum moleſtum, puta caſtigationem. Synecdoche generis. Calamitatis ipſius] Scil. Jacobi. Mutatio numeri. Neque extendant ſe manus] Adde, tuæ. Ellipſis nominis relativi.*

14 *Perſiſtas] Verto, ſtes. In diruptione] Verto, In bivio. ubi ſcil. dirumpitur via. Hanc verſionem comprobant verba ſequentia. Ad excindendum] Scil. quatenus indicas Chaldæis, quâ viâ evaſerint Jūdæi. Synecdoche generis. Qui evadunt ex eo] Hebr. Evaſores ejus. Neq; prodas] Scil. Chaldæis perſequentibus. Epexegeſis. Hebr. Neq; tradas.*

15 *Dies Jehovæ] Dies quo Jēhova exercebit judicium. Synecdoche generis. Iſtas] In Hebræo eſt articulus. Intelliguntur autem gentes quæ perſequuta fuerunt Jūdæos. Quemadmodum feceris] Verto, Quemadmodum feciſti. Scil. Jūdæis. Fiet tibi] Nempe ab hoſtibus tuis. Retributio tua] Qua tibi retribuetur.*

16 *Quum biberitis] Verto, Quemadmodum bibiſtis. Scil. vos Jūdæi. Apoſtrophe. Bibiſtis autem: ſcil. poculum iræ meæ. Id eſt, Quemadmodum experti eſtis caſtigationem ex ira mea proſectam. Synecdoche generis metaphorica. Conſer Eſa. 51. v. 17. In monte ſanctitatis meæ] Verto, In monte ſancto meo. Id eſt, in urbe Hieroſolyma. Metonymia ſubjecti. nam per montem ſanctum intelligitur mons Tſijon. Bibent] Supple, ita. Ita bibent: id eſt, ſimilem caſtigationem experientur. Conſer Jerem. 25. v. 15. Abſorbebunt] Vide loco modò allegato, v. 16. & 27. Eruntq; ac ſi non fuiſſent] Id eſt, In nihilum redigentur, delebuntur.*

17 *In monte Tſijonis] In Eccleſia. Metonymia ſubjecti. Qui*

Qui

Qui evadet] *Hebr. Evasio. Metonymia formæ. Eritq;*] Nempe mons Tsijon. Sanctus] *Heb. Sanctitas. Metonymia formæ. Domus Jahakobi] Id est, Posterii Jacobi.*

18 Eritq; domus Jahakobi velut ignis &c.] *Id est, Propter injurias Judæis ab Edomæis illatas delebuntur illi à Domino. Metaphora. Non placet autem supplementum Velut. Nulla enim hîc est ellipsis: sed est tropus metaphora. In stipulam] Pro stipula, tanquam stipula. Ut accensi &c.] Hebr. Et accendentur in istos, & consument ipsos. Domui] Familiæ, posteris. Eloquitur] Verto, Loquutus est hoc.*

19 Ita] *Hebr. Et. Possidebunt] Posterii Jacobi. Australem regionem &c.] Id est, Ecclesia longè latèq; propagabitur. Allegoria metaphorica. Hebr. Austrum. Metonymia subjecti, vel adjuncti, diverso respectu. Cum monte] In editione ultima pro his verbis reposuit Fr. Junius istud, Montem. Diversitas versionum nata fuit ex ambiguitate particule ׀. Sic mox, Pelischthæos: pro, Cum Pelischthæis. Cum agro] Analogia precedentium videtur postulare, ut hîc quoq; vertatur, agrum. Et mox, Benjamin verò (scil. hereditario jure possidebit) Gilhadem.*

20 Deportatæ copix istæ] *Hebr. Deportatio copiarum istarum, sive exercitus istius. Hypallage. Jisraëliitarum] Hebr. Filiorum Jisraëlis. Supple, hereditario jure possidebunt. Deportati Jeruschalaimani] Hebr. Deportatio Hierosolymæ. Metonymia formæ. In fine dominatus] Hebr. ׀: quam vocem Fr. Junius judicat esse compositam ex nomine ׀, id est, finis: & ex verbo ׀, id est, dominatus est. Alii habent pro nomine proprio loci. Et sanè forma vocis hoc præ se fert. Et insolens est, talia composita pro simplicibus usurpari. Mihi non liquet. Australibus] Hebr. Austri.*

21 Quumq; ascenderint &c.] *Verto, Ascendentq; servatores in montem Tsijonis &c. & erit Jehovæ regnum. Servatores] Id est, prædicatores Evangelii: puta Johannes Baptista, Christus, apostoli, & illorum successores. Synecdoche generis. Confer 1. Timoth. 4. vers. 16. In montem Tsijonis] In Ecclesiam. Ad judicandum montem Hefavi] Id est, ad annuntiandum judicium seu damnationem æternam impænitentibus. Synecdoche generis, & metonymia subjecti in verbo judicandi: item metonymia*

subjecti, & synecdoche speciei in vocabulo Mons Esavi. Jehovæ] Christo. Regnum] Nempe regnum spirituale.

## OBSERVAT. EX OBADJÆ.

- I. *Bellum.* **E**X v. 1. Ad bella aliis inferenda incitantur homines à Deo.
2. *Cōtemtus.* Ex v. 2. Contemptus est una ex pœnis Dei.
3. *Munitio- nes.* Ex v. 3. & 4. Cavenda est fiducia in locis munitis.
4. *Spoliatio.* Ex v. 5. & 6. Spoliatio alicujus populi est una ex pœnis Dei.
5. *Perfidia.* Ex v. 7. Perfidia est una ex pœnis Dei.
6. *Sapientia.* Ex v. 8. Fiducia non est ponenda in propria sapientia.
7. *Robur. Fortitudo.* Ex v. 9. Nec in robore ac fortitudine.
8. *Injuria.* Ex vers. 10. 11. 12. 13. & 14. Injuriam erga proximum fugiendam sunt, ac imprimis erga sanguine junctos.
9. *Vindicta divina.* Ex iisdem versib. collatis cum præcedentibus & seqq. Deus injurias populo suo à profanis gentibus illatas vindicare solet. Id quod facit ad piorum consolationem.
10. *Pœna divina.* Ex v. 15. ex verbis, *Quemadmodum feceris &c.* In sumendis pœnis Deus legem talionis observare solet.
11. *Pœna divina.* Ex v. 16. Quum Deus non parcat populo suo, sed eum propter peccata castiget non est quod sibi persuadeant gentes profanæ, se à pœnis divinis immunes fore.
12. *Docendi modus divinus.* Ex v. 17. & seqq. Deus populum veterem de bonis spiritualibus per symbola bonorum corporalium atq; terrenorum erudire solitus fuit.
13. *Evangelii præcones.* Ex v. ultimo. Præcones Evangelii sunt instrumenta

menta




menta quibus Deus utitur ad salutem æternam electis suis conferendam.



## ANALYSIS PROPHE- TÆ JONÆ.

### ARGUMENTUM LIBRI.

**L**ibellus hic totus historicus est, continens historiam Jonæ: narrans nimirum quid ei acciderit, quum à Deo mitteretur in urbem Nineven, ad denuntiandum Ninevitis urbis illius interitum. Narratur autem missio seu vocatio Jonæ duplex: prior duobus capitibus prioribus, posterior duobus posterioribus. Et utraq; declaratur ex eventis.



### CAPUT I.

**Q**uum fuisset verbum Jehovæ, ad Jonam filium Amithai, edicendo,

2 Surge, ad Nineven civitatem maximam, & clama contra eam; ascendisse enim malitiam eorum in conspectum meum:

3 Surrexit Jonas ut fugeret Tarsum à conspectu Jehovæ: quapropter descendens Japhuntem, inventâ navi quæ ibat Tarsum, dedit naulum ejus, descenditque in eam, ut abiret cum nautis Tarsum à conspectu Jehovæ.

4 Jehova autem injecit ventum magnum in mare, fuitque procel-

la magna in mari; adeò ut navem illam cogitarent fractum iri.

5 Quare timentes nautæ inclamaverunt quisque deum suum; projeceruntque instrumenta quæ inerant navi in mare, ut levarent se illis: Jonas autem descenderat ad latera navigii, & jacebat somno sopitus.

6 Sed appropinquans ad eum nauclerus, dixit ei, Quid tibi est somnolente? surge, inclama deum tuum, si fortè suscipiat cogitationem deus ille de nobis, ut non pereamus.

7 Deinde dixerunt alter alteri,

Agite, projiciamus sortes, ut cognoscamus cujus causâ malum hoc est nobis: & quum projecissent sortes, accidit fors Jonæ.

8 Cui dicentibus illis, Indica jam nobis, cujus causâ malum hoc nobis est: quæ est ars tua? & unde venis? quæ est regio tua? deniq; ex quonam populo es?

9 Dixit illis, Hebræus sum; & Jehovam deum cælorum ego revereor, qui fecit mare & aridam.

10 Tunc timentes homines illi timore magno, postquam dixerunt ei, Ecquid fecisti? quum cognovissent homines illi eum à conspectu Jehovæ fugere, quia indicabat ipsis:

11 Dixerunt ei, Quid facturi sumus te, ut conticescat mare ab infestandis nobis? nam mare magis ac magis procellosum erat.

12 Qui dixit eis, Tollite me, & projicite me in mare, ut conticescat mare ab infestandis vobis; nam agnosco propter factum

meum procellam maximã hanc infestare vos.

13 Tunc remigantes homines illi ut reducerent *navem* ad aridã; quum non potuissent; quia mare magis ac magis procellosum infestabat eos;

14 Inclamaverunt Jehovam, dicentes, Obscramus Jehova, ne jam pereamus pro anima viri istius, & ne reponas nobis sanguinem innoxium; nam tu, Jehova, quem admodum vis facis.

15 Deinde tollentes Jonam projecerunt eum in mare; destititque mare ab æstu suo.

16 Quapropter reveriti sunt homines illi reverentia magna Jehovam; & sacrificaverunt sacrificium Jehovæ, voveruntq; vota.

17 Paraverat autem Jehova piscem magnum, qui absorberet Jonam; fuitque Jonas in visceribus illius piscis tribus diebus, & tribus noctibus.

### ANALYSIS CAP. I.

**H**Oc capite incipit narratio vocationis Jonæ prioris. Ea primùm narratur ipsa: deinde ex eventis declaratur. Narrationis ipsius membra sunt duo: descriptio Jonæ à parente, v. 1. & mandatum Domini, cum adjecta ratione, v. 2. Eventa istius vocationis narrantur octodecim.

1. Jonas profectus est Japhuntem, ut inde navi fugeret Tarsum, v. 3.

2. Tempestate commotum fuit mare, versu 4.

3. Vectores extimuerunt, inclamaverunt Deum, feceruntq; jacturam, v. 5.

4. Jonas

4. Jonas interim alto sopore oppressus jacuit, *ψ. eod.*
5. Excitatus fuit à nauclero, monitusq; ut & ipse invocaret Deum, *ψ. 6.*
6. Vectores jecerunt sortes ad cognoscendum reum, *ψ. 7.*
7. Sors cecidit super Jonam, *ψ. eod.*
8. Vectores quæsierunt ex Jona, quisnam esset, quidq; mali fecisset, *ψ. 8.*
9. Jonas utrumq; eis indicavit, *ψ. 9. & 10.*
10. Conturbati fuerunt vectores sermone Jonæ, *ψ. 10.*
11. Quæsierunt ex ipso, quidnam deberent ei facere, *ψ. 11.*
12. Ipse hortatus est eos ut se projicerent in mare, *ψ. 12.*
13. Nautæ conati sunt navem reducere ad littus, *ψ. 13.*
14. Quum id non possent: præmissis precibus ad Jehovam, projecerunt Jonam in mare, *ψ. 14. & 15.*
15. Tunc mare fuit sedatum, *ψ. 15.*
16. Vectores sacrificarunt Jehovæ sacrificium, voveruntq; vota, *ψ. 16.*
17. Jonas absorptus fuit à pisce, *ψ. 17.*
18. Delituit in illo per triduum, versu eodem.

SCHOLIA IN CAP. I.

**Q**Uum fuisset &c.] *Nostri hunc versum connectunt cum tertio per enuntiatum relativum temporis: sed malo illum legere per se, retinens simplicitatem styli prophetici. Nec verò ista connexio satis commoda est: quum enuntiatum versus tertii annexatur per antithesin. Sic igitur verto, Factum fuit verbum*

N

*Jehovæ &c. Surrexit verò Jona &c. Verbum] Id est, mandatum: ut declaratur versu sequente. Synecdoche generis. Ad Jonam filium Amitthai] Qui vixit, & in regno Israël, seu apud decem tribus, prophetavit circa tempora Jeroboami, filii Joasi: ut videre est 2. Reg. 14. v. 25.*

*2. Adi Nineven] Malim, Adi ad Nineven. Sic enim loquitur Cicero. Verbum autem istud non solet regere accusativum loci, sed personæ. Hebr. I (vel, abi) ad Nineven. Civitatem maximam] Verto, Civitatem illam magnam. In Hebræo sunt duo articuli: ut si Græcè dicas, εἰς τὴν πόλιν τὴν μεγάλην. Confer Gen. 10. v. 11. & 12. Et infra cap. 3. v. 4. Clama contra eam] Denuntia ei interitum: infra cap. 4. v. 5. Synecdoche generis. Ascendisse enim &c.] Verto, Ascendit enim malitia eorum. His verbis indicatur causa quæ Deum movit, ut juberet Jonam clamare contra Nineven: non autem verba quæ debeat apud Ninevitas pronuntiare. Nec verò verba ista pronuntiasse legitur, sed alia: ut videre est infra cap. 4. v. 5. Ascendit autem, scil. in celum: quam sedem scriptura Deo tribuit.*

*3. Tarsum] Metropolin Cilicia: quæ fuit patria Pauli Apostoli, Act. 21. v. 39. & cap. 22. v. 3. Hebr. Tharschisch. Quod nomen in scriptura quatuor significat. Primo est nomen proprium viri, qui fuit filius Javanis, nepos Japhethi, Genes. 10. v. 2. & 4. Secundo significat urbem Tarsum, metropolin Cilicia, quam posteri Tharschischi illius possederunt: per metonymiam duplicem, efficientis scilicet, & adjuncti. Et in hac significatione reperitur etiam Ezech. 27. v. 12. Tertio significat mare magnum, qui vulgo Oceanus nominatur: ut Psal. 48. v. 8. Euro perfringis naves Oceani. Per metonymiam adjuncti: quia urbs Tarsus in littore Oceani sita fuit commodissimo loco, ita ut inde per Oceanum in varias regiones navigaretur. Quarto significat gemmam, quam nostri reddiderunt beryllum thalassium: vulgo appellatur *Turkis*: quæ gemma sic nominatur à colore cæruleo, qualis est Oceani: per metaphoram. ut Exod. 28. v. 20. Quartus ordo (scil. gemmarum in sacro pectorali summi sacerdotis) beryllus thalassius. A conspectu Jehovæ] Hebr. A facie Jehovæ. Id est, ex terra Israël: ubi Jehova apud populum suum habitabat. Quapropter] Hebr. Et. Descendens &c.] Hebr. Descendit, & invenit, & dedit. Japhuntem] Opiduna*

Opidum maritimum, postea appellatum Joppe, Actor. 9. vers. 36. Naulum] Hebr. Mercedem. Ejus] Scil. navis. Id est, quæ pro illius usu danda erat. Genitivus objecti. Ut abiret] Hebr. Ad veniendum. Id est, ut veniret. Cum nautis] Hebr. Cum eis. Relativum sine antecedente.

4 Ventum magnum] Hebr. vehementem. Fuitq;] Verto, Et exstitit: vel, Et facta est. Adeo ut navem illam cogitarent fractum iri] Hebr. Et navis illa cogitabat se fore ad frangendum: id est, fore ut frangeretur. nam verbum Hebraicum est vocis passiva. Metonymia subjecti: navis pro nautis seu vectoribus.

5 Quare] Hebr. Et. Timentes in clamaverunt] Hebr. Timuerunt & in clamaverunt. Nautæ] Vectores, omnes qui vehantur ista nave. Hebr. מַלְחָמִים: quæ vox Latine sonat marinos, deducta à nomine מַלַּח, id est, sal: a sale autem mare apud Latinos salum, & apud Græcos αλς nominatur. Imò ipsum nomen salis apud Latinos interdum mari tribuitur: ut apud Virgil. in illo,

———— & spumas salis ære ruebant.

Significat autem vox illa Hebraica in genere omnes eos qui navi per mare vehuntur. In clamaverunt quisque deum suum] Hebr. Clamaverunt quisq; ad deum suum. Deum suum] Quem scil. quisq; colebat: alius hunc, alius illum. Instrumenta] Seu vasa. Quæ inerant navi] Hebr. Quæ erant in navi. Quod tanquam simplicius retinere malim. Ut levarent se illis] Vel, Ut levarent eam (scil. navim) ab illis. Scil. instrumentis. Sed altera expositio videtur genuina propter præpositionem על in voce מַעֲלֵיהֶם. Hebr. Ad levandum à super ipsis. Id est, ut levarent se ab onere illo quod eis incumberebat. Somno sopitus] Hebr. Et alto sopore oppressus erat. A verbo Hebraico נָרַד deducitur nomen תַּרְדֵּמָה, quod nostri reddiderunt soporem altum, Genes. 2. vers. 21. & cap. 15. versu 12.

6 Sed] Hebr. Et. Appropinquans dixit] Hebr. Appropinquavit & dixit. Nauclerus] Hebr. Magister gubernatoris. Nostri, Magister funis. Quod miror. Nam funis in Hebræo non est חֶבֶל hhobél: sed חֶבֶל hhébel. Vocem autem חֶבֶל ipsimet gubernatorem interpretati sunt Ezech. 27. v. 8, 27. 28. & 29. Dicitur est autem gubernator navis חֶבֶל à nomine חֶבֶל, quo significatur funis: quia occupatur circa funes nauticos, seu navales: quatenus im-

perat nautis ut illos vel laxent vel astringant. Si forte suscipiat] *Verto, Fortasse suscipiet. Suscipiat cogitationem] Scilicet benevolam. Synecdoche generis. Verbum תְּשִׁיעַ. Chaldaicum est: ut percipitur ex collatione cum verbo תְּשִׁיעַ, id est, cogitavit: quæ habetur Dan. 6. v. 4. Alioquin in lingua Hebræa verbum תְּשִׁיעַ significat nitidum esse seu nitere. Quæ significatio si hîc adhibeatur, tum vertendum erit, Nitidum se exhibebit nobis. Id est, benevolum. ut sit metaphora. Et sic Latini vultum serenum nominant. De nobis] *Prepositio ה* hîc valet *de*, id est, de: notans objectum.*

7 Deinde] *Hebr. Et. Alter alteri] Hebr. Vir ad proximum suum. Agite] Hebr. Ite. Projiciamus] Malim, faciamus. Ut cognoscamus] Hebr. Et cognoscemus. Cujus causâ] Verto, Propter quem. Scil. ex numero nostro. Est] Suppleo, accidit. Ellipsis verbi relati. Quum projecissent] Verto, Quum jacerent. Hebr. Et jecerunt, & cecidit. Accidit fors Jonæ] Hebr. Cecidit fors super Jonam.*

8 Cui dicentibus &c.] *Hebr. Et dixerunt ad illum &c. & dixit ad eos. Cujus causâ] Iterum verto, Propter quem. Est] Suppleo, accidit. Ars tua] Hebr. Opus tuum. Metonymia objecti. Regio] Patria. Synecdoche generis. Denique] Hebr. Et. Es] Hebr. Tu.*

9 Sum] *Hebr. Ego. Deum cælorum] Malim, Deum cali. Id est, qui solus in calo habitat. Genitivus subjecti. Revercor] Colo. Aridam] Id est, terram. Vide Genes. 1. v. 10.*

10 Tunc] *Hebr. Et. Nostri hunc versum connectunt cum sequente per enuntiatum relativum temporis. Sed hæc connexio nimis contorta est, ut patet ex ipsa versione. Itaq; versum hunc lego per se: & sic verto: Tunc timentes homines illi timore magno, dixerunt ei, Cur hoc fecisti? Nam cognoverant homines illi, eum à conspectu Jehovæ fugere: quia indicaverat eis. V. 11. Præterea dixerunt &c. Cur hoc fecisti?] Id est, Cur à conspectu Jehovæ fugisti? Quasi dicant, Non debuisti hoc facere.*

11 Quid facturi sumus te] *Malim, Quid facere debemus tibi? Conticescat] Id est, tranquillum reddatur. Metaphora. Ab infestandis nobis] Hebr. A contra nos. Magis ac magis procellosum erat] Hebr. Ibat & procellosum erat. Exempla plura  
hujus*

hujus phraseos vide Genes. 8. vers. 3. 5. 7. & cap. 12. v. 6. aliàs 9. & cap. 26. v. 13. Item 1. Sam. 14. v. 20. aliàs 19.

12 Qui] Hebr. Et. Ut conticescat] Verto, Tum conticescet. Hebr. Et conticescet. Ab infestandis vobis] Hebr. A contra vos. Propter factum meum] Verto, Propter me. Interim sensus est, Propter factum illud meum, quod fugi à conspectu Jehovæ. Maximam] Hebr. Magnam. Infestare vos] Hebr. Ferri contra vos.

13 Remigantes] Hebr. Fodiebant. Scil. mare remis: quod Latini dicunt sulcare. Metaphora. Quum non potuissent] Hebr. Et (id est, sed) non potuerunt. Quia mare &c.] Hebr. Quia mare ibat & procellosum reddebatur contra eos.

14 Inclamaverunt Jehovam] Hebr. Clamaverunt ad Jehovam. Dicentes] Hebr. Et dixerunt. Ne pereamus] Ne sinas nos perire. Ne prohibentis. Pro anima] Verto, Propter animam. Reponas] Verto, Imponas. Id est, imputes. Hebr. Ne dato super nos. Quemadmodum vis] Verto, Quemadmodum tibi placet. Hebr. Quemadmodum delectaris.

15 Deinde] Hebr. Et. Destititq;] Heb. Stetitq;. Ab æstu suo] Hebr. A commotione sua: vel, ab ira sua. nam nomen *אש* proprie commotionem seu perturbationem animi, i. e. iram, significat. Metaphora *עצבים*.

16 Quapropter] Hebr. Et. Reveriti sunt reverentiâ magnâ] Verto, Timuerunt timore magno. Puto enim sermonem esse de timore servili; quum sermo sit de hominibus idololatris. Nec huic sententiæ obstat, quòd sacrificaverunt sacrificium Jehovæ: quia ex Jona intellexerant, Jehovam esse authorem illius tempestatis, & quia animadvertabant ab eodem illam esse sedatam. Jehovæ] Dativo casu. Voveruntq;] Repete, Jehovæ.

17 Piscem magnum] Nempe cetum. Matth. 12. versu 40. Qui absorberet] Hebr. Ad absorbendum, sive deglutiendum. In visceribus] Id est, in ventre. Metonymia adjuncti.

OBSERVAT. EX CAP. I.

EX v. 1. & 2. In Ninevitis proponitur exemplum bonitatis & clementiæ Dei: quippe

I.  
Dei boni-  
tas & cle-  
mentia.

N 3

qui non continuò pœnas commeritas eis intulit: sed priùs illas denunciavit per servum suum Jonam, ut hac ratione ad pœnitentiam eos commoveret.

2.  
*Infirmi-  
tas  
sanctorum.*

Ex v. 3. In Jona proponitur exemplum infirmitatis sanctorum: quippe qui mandatum Dei de denunciando Ninevitis interitu urbis exsequi noluit metu pudefactionis, si interitus ille non eveniret: quasi nimirum esset falsus propheta. Confer infrà cap. 4.

3.  
*Guberna-  
tio Dei.*

Ex v. 4. Interdum propter unius alicujus delictum totus cœtus à Deo in periculum conjicitur. Confer exemplum Achani, Jos. 7.

4.  
*Dei cog-  
nitio.*

Ex v. 5. ex verbis, *Inclamaverunt quisq; deum suum.* Homo lumine rationis naturali intelligit esse Deum, & hunc in periculis invocandum esse: sed interim à vero Deo aberrat, quum non institutus est ex verbo Dei. Vide Rom. 1. v. 19. & deinceps.

5.  
*Infirmi-  
tas  
sanctorum.*

Ex eodem versu, ex verbis: *Jonas jacebat somno sopitus.* Aliud hîc exemplum infirmitatis sanctorum proponitur, nempe securitatis carnalis.

6.  
*Reprehen-  
siones.*

Ex v. 6. In nauclero illo proponitur exemplum ingenuæ & justæ reprehensionis: itemque commonefactionis de officio.

7.  
*Sortes.*

Ex v. 7. Sortium usus est licitus, si adhibeantur in negotiis magni momenti: sive ad cognoscendum veritatem; ut hîc, & Jos. 7. v. 14. & deinceps, item 1. Sam. 14. v. 39. & deinceps: sive ad cognoscendum voluntatem Dei; ut quum Josua terram Chanaan sorte distribuit inter duodecim tribus Israël, Jos. 14. & seqq. usque ad 20. Item quum



quum ecclesia Hierosolymitana elegit Mat-  
thiam in apostolum, Actor. i. v. 23. & seqq. Ab-  
utuntur autem sortibus qui eis utuntur ad lusum  
& lucri causâ: cui abufui adjungi solet & alterum  
peccatum, quòd exitum sortium adscribunt For-  
tunæ. hinc enim appellata Olla fortunæ, *der*  
*glückshafen.*

Ex eodem versu, ex verbis, *Accidit fors Jona.* <sup>8.</sup> *Sortes.*  
Sortes gubernantur à Deo: qui per illas verita-  
tem latentem, quum opus est, aperit. Hinc illud  
Salomonis, In gremium conjicitur fors: sed à Je-  
hova est tota ratio ejus, Prov. 16. v. ult.

Ex v. 9. & 10. In Jona proponitur exemplum <sup>9.</sup> *Confessio.*  
ingenuæ confessionis tum fidei seu religionis,  
tum delicti admissi: quod scire aliorum inter-  
est.

Ex v. 11. 13. & 14. In vectoribus, Jonæ sociis, <sup>10.</sup> *Humanitas.*  
proponitur exemplum humanitatis in parcen-  
do, quoad ejus fieri potest, vitæ proximi.

Ex v. 12. In Jona proponitur exemplum cha- <sup>11.</sup> *Charitas.*  
ritatis erga proximum, & patientiæ in subeunda *Patientia.*  
pœna commerita.

Ex v. 15. & 17. In Jona proponitur typus Chri- <sup>12.</sup> *Typus Christi.*  
sti. nam ut illo in mare impetuosum coniecto, *sti.*  
mare conquievit: ita Christo coniecto in mor-  
tem maledictam crucis, conquievit ira Dei erga  
electos, pro quibus ille mortem istam sustinuit.  
Et quemadmodum Jonas in ventre piscis per tri-  
dium detentus & quasi sepultus fuit: ita Chri-  
stus per triduum detentus fuit in sepulchro. Vi-  
de Matth. 12. v. 40.

Ex v. 16. In vectoribus, Jonæ sociis, proponi- <sup>13.</sup> *Pietas.*

tur exemplum pietatis in gratiis agendis Deo pro accepto beneficio.

14.  
Providen-  
tia Dei.

Ex v. 17. ex verbis, *Paraverat autem Jehova piscem. Exemplum providentiæ Dei in gubernandis rebus humanis.*

~~~~~

## CAPUT II.

**O**Ravit autem Jonas Jehovam deum suum; è visceribus illius piscis:

2 Deinde dixit, Inclamavi ex angustia mea Jehovam, & exaudivit me: è ventre sepulcrali vociferatus sum, exaudivisti vocem meam.

3 Nam projeceras me in profundum, in intimam partem marium, & flumen circumdabat me; omnes irrupentes fluctus tui & undæ tuæ super me transibant:

4 Adcò ut ego dicerem, Ejectus sum à conspectu oculorum tuorum; veruntamen pergam inveni in templum sanctitatis tuæ:

5 Circumiverant me aquæ usque ad animam, abyssus circum-

dabat me: alga alligata erat capiti meo.

6 Ad præcisas radices montium descenderam, terrâ vectibus suis obstiturâ mihi in seculum: attamen eduxisti à corruptione vitam meam, Jehova deus mi.

7 Quum obrueretur in me anima mea, Jehovæ recordatus sum; pervenitq; ad te oratio mea, in templum sanctitatis tuæ.

8 Qui observant vanitates mendaces, benignitatem erga se derelinquant:

9 Ego verò cum voce gratiarum actionis sacrificabo tibi; quæ vovi, rependam: omnimoda salus est Jehovæ.

## ANALYSIS CAP. II.

**H**Oc capite narrantur reliqua eventa vocationis prioris Jonæ, numero tria: (1) oratio ejus in ventre ceti, v. 1. (2) narratio illius orationis, versibus seqq. usque ad 8. (3) promissio sacrificii eucharistici, v. 8. & 9. Sed his tribus eventis addendum est quartum, quod narratur versu 1. capituli sequentis: videl. ejectio Jonæ è ventre ceti: quod eventum orationem Jonæ proximè consequutum fuit. Cæterùm narratio orationis seu prece-

precationis Jonæ commemorat res quatuor, sed promiscuè: videlicet (1) periculum in quo fuerat versatus, (2) angustiam ex illo periculo ortam, (3) spem liberationis, (4) liberationem ipsam. Periculum commemoratur versibus 2. 3. 5. & 6. Angustia versibus 2. 4. & 7. Spes v. 4. & 7. Liberatio v. 2. 6. & 7. Porro promissio sacrificii eucharistici continetur v. 9: illustratur autem & amplificatur antithesi, v. 8.

## SCHOLIA IN CAP. I L

**O** Ravit] Precatus est. Jehovam] Hebr. Ad Jehovam, quod in vertendo puto retinendum. E visceribus] E ventre. Metonymia adjuncti. v. l.

2 Deinde] Scil. Posteaquam piscis eum exspuisset: ut percipitur ex ipsis verbis hujus sermonis. Inclamavi Jehovam] Hebr. Clamavi ad Jehovam. Ex angustia mea] Hebr. Ex angustia quæ mihi erat. Exaudivit me] Hebr. Respondit mihi. Metonymia effecti. E ventre sepulchrali] Hebr. E ventre sepulchri. Id est, E ventre ceti, qui venter mihi fuit instar sepulchri. Genitivus rei similis. Exaudivisti] Hebr. Audivisti. Synecdoche generis.

3 Nam] Hebr. Et. In intimam partem] Hebr. In cor. Metaphora. Irrumpentes fluctus] In Hebræo est vox unica, quæ propriè significat confractiones: quia per fluctus mare quasi confringitur. Undæ] Vox Hebræa propriè significat convolutiones. Et ita venti dicuntur volvere mare, quum fluctus excitant.

4 Adeò ut ego dicerem] Hebr. Et ego dixi. E conspectu] Hebr. E regione, seu ex adverso. Pergam] Hebr. Addam. In templum sanctitatis tuæ] Verto, In templum sanctum tuum.

5 Usq; ad animam] Id est, eò usq; ut periculum esset ne anima mea è corpore migratura esset. Alga] Quam scil. devoraverat piscis.

6 Ad præcisas radices] Verto simpliciter, Ad radices. Hebr. Ad præcisa. Terrâ vectibus &c.] Hebr. Terra vectibus suis circa me erat. Attamen] Hebr. Et. Eduxisti] Hebr. Ascendere fecisti.

7 Quum obrueretur] Nempe terroribus. Hebr. Quum obtegeret se. Oratio] Precatio. In templum sanctitatis tuæ] Verto, In templum sanctum tuum.

8 Vanitates mendaces] Id est, idola, seu deos falsos. Hebr. Vanitates mendacii. Genitivus adjuncti. Benignitatem erga se] Id est, sibi exhibitam. Hebr. Benignitatem ipsorum. Genitivus objecti. Derelinquant] Id est, Nullas gratias pro illa agant. Vult dicere, Benignitatem idolorum falsorumve deorum nullam esse.

9 Ego verò] Hebr. Et ego. Gratiarum actionis] Hebr. Confessionis. Synecdoche generis. Omnimoda salus] In Hebraeo est vox unica, sed quæ in fine aucta est syllaba: nempe שׁוּעָתָהּ: pro שׁוּעָהּ: Est Jehovah] Id est, penes Jehovaham.

OBSERV. EXCAP. II.

1. Preces.

Septem primis versibus. Exemplo Jonæ, in periculis constituti, per preces confugere debemus ad opem Dei.

2. Preces.

Ex versu 7. Exemplo ejusdem preces nostræ proficisci debent ex fide promissionum divinarum exauditionis.

3. Preces.


Ex versu 2.6. & 7. Deus preces ex fide profectas exaudit.

4. Preces.

Ex versu 8. Frustra imploratur auxilium idolorum & falsorum deorum.

5. Gratiarū actio.

Ex versu 9. Exemplo Jonæ, è periculis liberati, gratias Deo agere debemus.



CAPUT III.

Quum autem edicente Johva pisci illi, evomisset Jonam in aridam:

2<sup>o</sup> Fuit verbum Jehovahæ ad Jonam iterum, edicendo,

3 Surge, ad Nineven civitatem maximam; & proclama in

eam proclamationē illam quam ego edico tibi.

4 Surgens itaque Jona abiit Nineven secundum verbum Jehovahæ: Nineve autem erat civitas perquam maxima, itinere tridui:

5 Ubi quum cœpisset Jonas ire per

ire per civitatem itinere diei unius; & proclamavisset dicens, Adhuc quadraginta dies, deinde Nineve subvertetur:

6 Crediderunt Ninevitæ Deo: & indicentes jejunium induerunt cilicia omnes à maximo ipsorum usq; ad minimum ipsorum.

7 Quum enim pervenisset hoc verbum ad regem Nineves, surgens è solio suo deposuit paludamentum suum à se: & operiens se cilicio sedit in cinere:

8 Et postquam convocasset populum, edixit Nineves ex sententia regis & procerum ejus, dicendo: Homines & jumenta, ar-

menta, & greges, ne gustato quidquam, ne paleuntor, & aquas ne bibunto:

9 Sed operiunto se ciliciis homines cum jumentis, & inclamanto Deum fortiter: ac revertuntor quisq; à via sua pessima, & ab ipsa violentia quæ inest manibus ipsorum.

10 Quis scit an reversurus sit, & pœniteat Deum: ut reverso eo ab æstu iræ suæ non pereamus?

11 Quare quum vidisset Deus opera eorum, eos reversos esse à via sua pessima; pœnituit Deum ejus mali quo se dixerat affecturum eos, & non affecit.

A N A L Y S I S C A P. I I I.

**H**Oc capite & sequente narratur vocatio Jonæ secunda, v. 1. & 2. Quæ itidem ut prima: illustratur ex eventis, quæ hoc capite narrantur quatuor. (1) Jonas paruit vocationi, v. 4. (2) denunciavit Ninevitis subversionem, v. 5. (3) Ninevitæ egerunt pœnitentiam, versu 6. 7. 8. 9. & 10. (4) Deus subversionem Nineves omisit, vers. 11. Narrationi obedientiæ Jonæ per digressionem additur narratiuncula de urbis Nineves magnitudine, v. 4. Denuntiatio subversionis illustratur è subjecto loco, v. 5. Subversio autem ipsa à specie temporis, ibid. Pœnitentia Ninevitarum declaratur duobus modis: (1) à causa procreante, videl. fide habita denuntiationi, v. 6. (2) ab adjunctis signis: quæ indicantur tria; jejunium, cilicium & cinis, v. 6. & deinceps. Inductio ciliciorum amplificatur à subjectis recipientibus: idq; trifariam. (1) per distributionem, ibi, *A maximo,*

&c. v. 6. (2) à subjecto speciali, nempe rege, v. 7. (3) per aliam distributionem, v. 9. Jejunium amplificatur partim ab adjunctis occupatis, v. 8. partim à speciebus duabus, ibidem. Utrumq; autem illud signum pœnitentiæ declaratur à causa procreante, videl. mandato regis & procerum, v. 8. & 9. Quod mandatum confirmatur ab adjuncta spe exorationis Dei ut parcat, v. 10. Omissio subversionis declaratur duobus modis: (1) à causa procatartica, videl. pœnitentia Ninevitarum, v. 11. (2) à causa antecedente, videl. pœnitentia Dei, ibid.

## SCHOLIA IN CAP. III.

v. 1. **Q**UUM autem &c.] Hunc versum nostri connectunt cum sequente per enuntiatum relativum temporis: sed meo iudicio rectius legitur per se, adjungiturq; capiti precedenti: quia indicat unum ex eventis primæ vocationis Jonæ, & quidem eventum orationis illius, quæ proximè fuit narrata. Sic igitur hunc versum reddo: Ceterum edixerat Jehova pisci illi: qui evomuit &c. Edixerat autem: id est, providentiâ suâ gubernaverat. Metaphora ἀλλοτρίων.

2 Fuit ] Verto, Factum est. Iterum ] Hebr. Secundò. quod tanquam expressius retinere malim. nam vox Iterum latius patet.

3 Adi Nineven ] Vide Schol. cap. 1. v. 2. Maximam ] Hebr. Magnam illam. quod tanquam simplicius & ἐμφατικώτερον malim retinere. In illam ] Vel, Apud illam. Edico tibi ] Hebr. Loquor ad te.

4 Surgens itaq; abivit ] Hebr. Et surrexit & abivit. Verbum ] Id est, mandatum. Synecdoche generis. Perquàm maxima ] Heb. Magna, civitas Dei. Sic alibi dicuntur cedri Dei, Psal. 80. v. 11. Item montes Dei, Psal. 36. v. 7. Item luctationes Dei, Genes. 30. v. 8. Itinere tridui ] Repete, magna.

5 Ubi quum &c. ] Hebr. Et cœpit Jonas ire &c. & proclamavit & dixit &c. & crediderunt &c. Adhuc quadraginta dies ]

die] Scilicet, elabentur. Deinde] Hebr. Et. Id est, Elapsis ab-  
hinc quadraginta diebus, subvertetur Nineve.

6 Crediderunt Deo] Id est, comminationi illi Dei. Synecdo-  
che generis. Hebr. Crediderunt in Deum. Sic Exod. 14. v. ult. Quan-  
quam locus ille etiam aliam expositionem admittere videtur. Ci-  
licia] Hebr. Saccos. Maximo] Hebr. Magno. Minimum] Heb.  
Parvum.

7 Quum enim pervenisset &c.] Hebr. Et tetigit (id est,  
pertigit) &c. & surrexit &c. & operuit &c. & convocavit &c.  
& edixit &c. Hoc verbum] Malim, Hæc res: sive, hoc nego-  
tium: nempe quod Jonas proclamasset, Nineven subversum iri.  
Deposuit] Hebr. Transire fecit. Paludamentum] Nescio an  
vox ista huc conveniat. nam paludamentum apud Romanos dice-  
batur pallium quod induebant imperatores profecturi in bellum.  
At rex Nineves tum degebat in pace. Potius igitur vertissent to-  
gam, ut fecerunt Genes. 25. v. 25. & Jos. 7. v. 21. Item 1. Reg. 19. v. 13.  
& 19. & 2. Reg. 2. v. 8. Mihi magis probatur interpretatio illorum  
qui vocem פָּלְטוֹן reddunt pallium: idq; ex consideratione loci  
1. Reg. 19. vers. 19. ubi dicitur Elias Eliseo injecisse suam addereth.  
Cilicio] Hebr. Sacco.

8 Convocasset] Scilicet per præcones. Hebr. Fecisset clamare. Id  
est, jussisset præcones clamando convocare populum, ad audiendum  
edictum regis. Synecdoche generis. Nineves] Verto, In urbe Ni-  
neve. Ex sententia regis] Id est, Ex sententia sua ipsius. Ante-  
cedens loco pronomini relativi. Ex sententia] Hebr. Ex gustu.  
Metaphora. Sic 1. Sam. 25. v. 33. Job 12. v. 20. Hæc istius vocis signi-  
ficatio passim occurrit in sermone Chaldaico, ubi sententia sive de-  
cretum nominatur פְּעֻלָּה: ut videre est Esdr. 6. vers. 11. & 12.  
Dan. 3. v. 10. & 12. & cap. 6. v. 26. Procerum] Sive magnatum.  
Hebr. Magnorum. Synecdoche generis. Homines &c.] Hebr. Ho-  
mo & jumentum, armentum & grex.

9 Sed] Hebr. Et. Ciliciis] Hebr. Saccis. Homines cum  
jumentis] Hebr. Homo & jumentum. Inclamanto Deum]  
Hebr. Clamanto ad Deum. Fortiter] Vehementer. Heb. Cum ro-  
bore. Pessimâ] Hebr. Malâ. Cum articulo ה. Quæ inest ma-  
nibus] Heb. Quæ est in volis.

10 Quis scit an reversurus sit &c.] Verto, Quis scit? For-

tasse revertetur, & pœnitebit Deum. Vide Schol. Joël 2. v. 14. Sunt verba bene sperantium. Deum autem pœnitere dicitur per ἀνδραποπίαθειαν, quum mutat id quod instituerat.

II Quare quum vidisset &c.] Hebr. Et vidit Deus opera eorum &c. & pœnituit Deum. Enuntiatum copulativum pro relativo temporis vel cause. Opera] Nempe opera quibus testabantur pœnitentiam suam. Synecdoche generis. Eos reversos esse &c.] Epexegetis. Hebr. Quod reversi essent. Viâ] Vivendiratione. Metaphora. Pessimâ] Hebr. Malâ. Cum articulo ך. Pœnituit Deum] Pro, Pœnituit eum. Antecedens loco pronominis relativi. Ejus mali] Nempe subversionis urbis, supra v. 5. Quo se dixerat affecturum eos] Hebr. Quod loquutus fuerat ad faciendum eis. Affecit] Hebr. Fecit.

## OBSERVAT. EX CAP. III.

1. **E**X vers. 2. & 3. Vide observationem primam  
ex cap. I.

2. *Obedientia.* Ex vers. 4. & 5. In Jona proponitur exemplum obedientiæ erga mandata Dei.

3. *Comminationes Dei.* Ex vers. 5. collato cum sequentibus. Comminationes Dei categoricæ interdum intelligendæ sunt conditionaliter, nimirum cum hac exceptione, Nisi illi quibus proponuntur, egerint pœnitentiam: aut alio modo intercesserint, ut videre est in exemplo regis Ezechia, 2. Reg. 20. v. 1. & Esa. 38. v. 1.

4. *Pœnitentia.* Ex vers. 6. 7. 8. 9. & 10. Ad veram ac salutarem pœnitentiam requiruntur hæc tria: (1) dolor ob admissa peccata, versu 6. 7. 8. 9. (2) fides remissionis peccatorum, versu 10. (3) propositum peccata vitandi, vers. 9.

5. *Pœnitentia.* Ex vers. 11. Deus peccatoribus pœnitentibus ignoscit, & pœnas commeritas ab eis avertit.

CAPUT



## CAPUT IV.

Quod quum malè haberet Jonam, pessimè: & accensa esset *ira* ejus:

2. Oravit Jehovā dicens, Quæso Jehova, an non erat hoc verbum meum dum essem adhuc in terra mea? Idcirco antevertetam fugiendo Tarsum: sciebam enim te Deum fortem gratiosum, & misericordem, longanimem, & amplum benignitate, ac poenitentem mali esse.

3. Nunc ergo, Jehova, accipe quæso animam meam à me: nam præstat mori me quàm vivere.

4. Dixit verò Jehova; An factum bene, quòd accensa est *ira* tibi?

5. Nam egressus Jonas è civitate residebat ab Oriente civitatis: ubi fecerat sibi tugurium, ut resideret sub eo in umbra, usquedum videret quid futurum esset civitate.

6. Paraverat enim Jehova Deus ricinum, qui ascenderet supra Jonam, ut esset umbra super caput ejus ereptura eum à malo ipsius; lætabaturq; Jonas de ricino illo

lætitia magna.

7. Deinde paravit Deus vermem ascendente aurorâ, postero mâne; quo lædente ricinum exaruit.

8. Fuit itaq; oriente sole, quum parasset Deus Eorum silentem, ut percuteret sol caput Jonæ adeò ut deficeret animo; expeteretque se ipsum mori, dicens, Præstat mori me quàm vivere.

9. Dixit autem Deus Jonæ, An factum bene quòd accensa est tibi *ira* propter istum ricinum? Qui dixit, Factum bene quòd accensa est mihi *ira* ad mortem usque.

10. Cui dixit Jehova, Tu parcis isti ricino, pro quo non laborasti, & quem non educavisti; qui una nocte exstitit, & una nocte periit:

11. Et ego non parcerem Nineve, civitati maximæ; in qua sunt plures duodecim myriadibus hominum, qui non norunt discrimen inter dexteram suam & sinistram suam, jumentaq; multa?

## ANALYSIS CAP. IV.

Hoc capite narrantur eventa posterioris vocationis Jonæ reliqua, numero quatuordecim.

1. Jonas indignatus fuit ob omissionem subversionis Nineves, v. 1.

2. Exoptavit sibi mortem, v. 2. & 3.

3. Reprehensus hoc nomine fuit à Domino, v. 4.

4. Observavit eventum, quid scil. futurum esset urbi Ninive, *ψ. 5.*

5. Confecit sibi umbraculum ex ricino, versu eodem.

6. Ricinus ille subito natus fuit, *ψ. 6.*

7. Jonas ob illum ricinum vehementer lætatus fuit, *ibid.*

8. Ricinus ille exaruit ex arrosione vermis, versu 7.

9. Dominus immisit Eurum silentem, *ψ. 8.*

10. Jonas defecit animo ex æstu solis, *ibid.*

11. Rursus exoptavit sibi mortem, *ibid.*

12. Rursum reprehensus eo nomine fuit à Domino, *ψ. 9.*

13. Jonas indignationem suam defendit, *ibidem.*

14. Dominus eâ occasione defendit suum factum, videlicet omissionem subversionis Nineves, per ratiocinationem à minori, *ψ. 10.* Item à causa procatartica, videlicet multitudine infantium & jumentorum in urbe Nineve, *ψ. 11.*

### SCHOLIA IN CAP. IV.

*ψ. 1.* **Q**UOD quum &c.] *Hebr. Et malum fuit (h.e. malum visum est) apud Jonam, malum magnum: & exarsit ei nasus. Ellipsis nominis relati.*

2 Oravit Jehovam] *Verto, Oravit (seu, precatus est) ad Jehovam. Dicens] Hebr. Dicendo. Te Deum fortem] Verto simpliciter, Deum. Nulla hîc est ellipsis. Hebr. Quod tu Deus &c. scil. es. Gratosum &c.] Confer Exod. 34. vers. 6. Longanimem] Hebr. Longum naribus. Id est, qui differt iram cujus indicium est in flatu narium. Mali] Hebr. Super malo. Id est, pœna. Synecdoche generis.*

3 Accipe quæso animam meam à me] *Idem dicebat Elias, 1. Reg. 19.*

1. Reg. 19. v. 4. Præstat mori me quàm vivere] Hebr. Bona est mors mea præ vita mea.

4 Quòd accensa est ira] Verto, Quòd exarsit nasus.

5 Nam] Hebr. Et. Tugurium] Umbraculum. Civitate] Vel, De civitate. Præpositio ꝛ hîc notat objectum.

6 Ricinum] Lutherus cucurbitam reddit: Vetus interpres hederam. Ego cum nostris interpretibus ricinum significari puto: idq; tum propter appellationem קיקיון kikajón: tum propter descriptionem ricini, quam ex Dioscoride recitat Matthiolus. Cicò (κικί, inquit,) aut croten, nomen accepit à ricini animalis similitudine. Arbor provenit parvæ ficus altitudine, folio platani, majore, leviore, & nigriore: ramis caudicibusq; cavis, in arundinis morem: semine in uvis asperis, quod corticibus erutum ricinum animal representat. A malo ipsius] A lassitudine ex aestu solis. Synecdoche generis.

7 Deinde] Hebr. Et. Ascendente aurora] Hebr. Quum ascenderet aurora. Quo lædente] Hebr. Et percussit. Scil. vermis ille.

8 Fuit itaque] Verto, Et factum est: vel, accidit. Eurum] Hebr. Ventum Orientalem. Silentem] Id est, tenuissimum: ait Fr. Junius. Vide annotationem illius. Adeò ut deficeret animo] Hebr. Et obtectus fuit. Scil. lassitudine. Synecdoche generis. Seipsum] Hebr. Animam suam. Synecdoche membri: qualis Jud. 16. v. 30. Dicens] Hebr. Et dixit. Præstat &c.] Ut supra v. 3.

9 Quòd accensa &c.] Ut sup. v. 4. Qui] Hebr. Et.

10 Cui] Hebr. Et. Tu parcis] Verto, Tu pepercisses. Scil. si fuisset positum in tua potestate. Hebr. Tu pepercisti. Qui unâ nocte exstitit &c.] Hebr. Qui filius noctis exstitit, & filius noctis periit.

13 Maximæ] Hebr. Illi magnæ. Qui non norunt discrimen &c.] Periphrasis infantium. Jumenta q; multa] Hebr. Et jumentum multum.

OBSERVAT. EX CAP. IV.

EX tribus primis versibus. Item ex ψ. 5. & 9. Imperfectio sanctorum. In Jona rursus proponitur exemplum infirmitatis atque imperfectionis sanctorum: puta,

O

quòd pluris facit suam famam, quàm proximorum salutem: item, quòd agrè fert, Deum Ninevitis resipiscentibus ignoscere & parcere. Item quòd delectatur interitu pœnitentium. Item quòd monitus de injustitia indignationis suæ, nihilominus eam ut justam defendit.

2.  
*Dei attributa.*

Ex v. 2. notetur testimonium de quibusdam attributis Dei.

3.  
*Dei lenitas.*

Ex v. 4. & 9. In hac objurgatione Jonæ proponitur exemplum lenitatis Dei erga fideles servos suos. nam Jonas longè graviolem reprehensionem fuerat meritus.

4.  
*Gubernatio Dei.*

Ex v. 6. 7. & 8. notentur exempla gubernationis divinæ: qua Deus gubernat etiam viles creaturas; ut plantas, vermes, ventos.

5.  
*Dei bonitas, clemētia, misericordia.*

Ex v. 10. & 11. In omissione subversionis Ninevitarum proponitur exemplum bonitatis & clementiæ atq; misericordiæ Dei.




## ANALYSIS PROPHE- TÆ MICHÆÆ.

### ARGUMENTUM LIBRI.

**P**Ropheta Micha (vulgo Michæas) in hoc libro conqueritur de idololatria & injustitia populi Dei universi, nempe tum decem tribuum, tum tribus Judæ: a: que eam ob causam eis comminatur pœnas Dei. Insuper autem consolatur pios promissionibus, tum corporalis redemptionis ex captivitate Babylonica, tum redemptio-

dementionis spiritualis per Christum: ubi etiam indicat locum ubi Christus erat nasciturus.



C A P U T I.

**V**erbum Jehovæ, quod fuit ad Micam Moraschthirei dieb. Jothami, Achazi, Jechizkijæ, regum Jehudæ; quod vidit super Schomrone & Jeruschalaimis.

2 Audite populi, quotquot estis, attende terra & qui eam implet: sitque Dominus Jehovi in vobis testis, Dominus è templo sanctitatis suæ.

3 Nam ecce Jehova proditurus est è loco suo, & descendens calcabit excelsa terræ:

4 Et liquefient ipsi montes sub eo, & ipsæ convalles disfilient; tamquam cera à conspectu ignis, ut aquæ profusæ in declivem locum:

5 Propter defectionem Jahakobi totum istud, & propter peccata domus Jisraëlis. Cujus est defectio Jahakobi? an non Schomronis? & cujus excelsa Jehudæ? an non Jeruschalaimorum?

6 Itaque disponam Schomronem in acervum agrestem, ad plantaria vineatica; & faciam ut diffluant in vallem lapides ejus, & fundamenta ejus retegam.

7 Et omnia sculptilia ejus contudentur, ac omnia donaria ejus comburentur igne, omniaque terricula ejus disponam in vastationem; quia ex mercede meretricia collegit, & dum merces meretricia est, avertuntur.

8 Propterea plangam & ejula-

bo, incedens spoliatus & nudus, edam planctum sicut dracones, & luctum ut pulli ululæ:

9 Quod ægra sit Schomron plagis suis; quod pervenerit usque ad Jehudam, pertigerit usque ad portam populi mei, Jeruschalaima usque.

10 Gathi ne indicetis, omnino ne fleatis: in domo Hophræ pulvere te voluta.

11 Transi habitatrix elegantis loci, nudata pudendis: non exhibit habitatrix loci pecorosi, planctus erit in locis adjacentibus, quæ accipiunt à vobis constitutionem suam.

12 Nam dolebit propter bonum habitatrix asperatum sedium; quum descenderit malum à Jehova in portam Jeruschalaimorum.

13 Junge currum angariis, habitatrix Lacischi; origo peccati ipsa est cum filia Tzizonis, quia in te inventæ sunt defectiones Jisraëlis.

14 Idcirco dato munera cum Moreschetha Gathi: domus Aczibi erunt mendaces regibus Jisraëlis.

15 Adhuc hæredem adducam tibi, o habitatrix Mareschæ, Hadullamum usque perveniet, gloriam Jisraëlis.

16 Glabra te & tonde, propter filios deliciarum tuarum; dilata calvitium tuum, ut aquilæ, quia migrant à te.

## ANALYSIS CAP. I.

**D**Uæ sunt hujus capituli partes principales: titulus libri & prima concio Michææ. Titulus continetur  $\psi$ .1: & indicantur in eo quatuor: (1) author harum concionum, seu efficiens principalis, (2) minister seu causa ministra, (3) tempus quo sunt habitæ, (4) objectum. Concionis exordium constat hortatione ad attentionem, annexo argumento à concionis hujus efficiente principali,  $\psi$ .2. In concione ipsa minatur propheta utrique regno, & decem tribuum & Judææ, interitum: idque propter idololatriam. Interitus primò significatur conjunctim de utroque regno: idque per simile fictum,  $\psi$ .3. & 4. Deinde indicatur separatim: idque primò de regno decem tribuum, à  $\psi$ .6. usque ad 9: deinde de regno Judææ, vers.9. & seqq. Interitus decem tribuum (1) significatur per subversionem Samariæ,  $\psi$ .6. & 7. (2) amplificatur ab effectu, videl. luctu prophætæ,  $\psi$ .8. (3) illustratur à simili, videl. plagis letalibus,  $\psi$ .9. Interitus regni Judææ (1) significatur per occupationem urbis Hierosolymæ, versu 9. (2) amplificatur ex eventu, videl. gaudio Philistæorum,  $\psi$ .10. (3) declaratur per partem, videl. deportationem,  $\psi$ .11. & seqq. Quæ deportatio primò amplificatur ex effectis duobus: omissione deductionis pecorum ad pascua,  $\psi$ .11. & dolore habitatorum locorum asperorum, vers.12. Deinde per partes declaratur & amplificatur: numero sex. Prædicatur enim deportatio (1) Lachisanorum,  $\psi$ .13. (2) Moraschthitarum,  $\psi$ .14. (3) Achsibitarum, ibidem. (4) Maresanorum,  $\psi$ .15.

ψ.15. (5) Adullamitarum, ibidem. (6) Hierosolymitanorum ψ.16. Quorum deportatio amplificatur ex effectu, videl. luctu parentum. Atque hæc de utriusq; regni interitu. Idololatria, interitus illius causa procatartica, indicatur versu 5. & 7. & 13. Declaratur autem à causis efficientibus principalibus, seu authoribus, ψ.5. & 13. Illustratur autem & amplificatur à simili, quatenus comparatur scortationi, ψ.7.

SCHOLIA IN CAP. I.

**F**uit] *Verto, Factum est.* Micam] *Scribo Micham: quia in* ψ.1. *Hebræo est caph raphatum. Vulgo Michaas dicitur. Non est autem hic propheta ille Michaas sive Micha de quo mentio fit 1.Reg.22. & 2.Chron.18. qui impio regi Achabo denuntiavit interitum in bello contra Ramothas Gilhadis suscepto ei eventurum. Nam hic longè post illum prophetavit, ut percipitur ex hoc versu. Moraschthitem] *Id est, oriundum ex oppido Morescheth, de quo mentio fit infra v.14. Fr. Junius. Quod vidit] *Id est, quod in visione audivit. Super Schomrone] *Vulgo Samaria. Id est, De decem tribubus seu regno Israëlis. Synecdoche membri. Jeruschalaimis] *Verto, Hierosolyma. Id est, de tribu seu regno Juda. Synecdoche qualis modo.*****

2 Populi] *Id est, tribus Israëlis. Synecdoche generis. Quotquot estis] *Heb. Omnes ipsi. Terra] *Nempe terra Israëlis. Synecdoche integri. Qui eam implent] *Malim, Quicquid eam implet. Hebr. Plenitudo ejus. Sitq; &c.] *Verto, Nam erit Dominus Jehova contra vos testis. E templo sanctitatis suæ] *Verto, E templo sancto suo. Id est, è celo: ut percipitur ex versu sequente.******

3. E loco suo] *Id est, è celo. Vide Psal. 115. v.3.*

4 Disfilient] *Hebr. Se diffindent. Tanquam cera] *Hoc refertur ad verbum, Liquefient. Ut aqua] *Hoc refertur ad verbum, disfilient. Ita sunt paria paribus relata.***

5 Propter defectionem] *Præpositio ꝓ hîc valet Propter. Defectionem] *Sive transgressionem, sive rebellionem. Id est, idololatriam: ut percipitur è sequentibus. Synecdoche generis. Jaha-**

kobi] *Id est, posterorum Jacobi. Metonymia efficientis. Sic mox, Israhelis. Domus] Familia. Cujus est] Scil. tanquam auctoris. Id est, A quo orta sive profecta est? Et cujus] Suppleo, sunt. Excelsa] Altaria in excelsis. Metonymia subjecti.*

6 Itaque] *Hebr. Et. Disponam] Malim, Redigam. Hebr. Ponam. Agrestem] Hebr. Agri. Intelligit autem acervum lapidum: ut percipitur è sequentibus. Ad plantaria vineatica] Id est, Qui lapides apponi solent ad plantaria vineatica, ad muniendum illa contra incursum ferarum. Vineatica] Hebr. Vineæ: id est, vinearum. In vallem] Hoc dicitur respectu situs Samariæ: sita enim erat in monte. Vide 1. Reg. 16. v. 26.*

7 Donaria] *Quæ scil. contulerunt & ordinarunt ad idololatriam. Synecdoche generis. Confirmatur autem hæc expositio ex collatione præcedentis & sequentis membri. Itaq; non rectè hoc exponi videtur de divitiis Israhelitarum. Significantur enim illæ per mercedem meretriciam, cujus mox fit mentio: at hæc donaria ab illa mercede distinguuntur ut effectum à causa, quippe quòd collecta fuerint ex illa. Terricula] Verto, idola. Hebr. Dolores. Metonymia effecti. Disponam] Malim, Redigam. Hebr. Ponam. Ex mercede meretricia] Id est, Ex divitiis suis quas acceptas fert idolis suis, tanquam mercedem cultus eorum. Vide Ose. 2. v. 5. Metaphora. Hebr. Ex mercede meretricis. Id est, quæ datur meretrici. Genitivus objecti. Et dum &c.] Verto, Ideo ad mercedem meretriciam revertentur. Scil. donaria illa. Id est, redigentur in nihilum: sicut meretrices mercedem suam abliguriunt. Elegans antanaclasis in eadem voce diverso sensu repetita.*

8 Ejulabo] *Sive, ululabo. Incedens] Hebr. Ambulabo. Spoliatus] Scil. veste mea. Id est, exutus. Metaphora regis in h. Nudus] Nempe exutus veste exteriori. Synecdoche integri. Sic Esa 20. v. 2. 1. Sam. 19. v. 24. Edam] Hebr. Faciam. Pulli] Hebr. Filia.*

9 Quòd ægra &c.] *Verto, Quòd letalis sit unaquæq; plagarum ejus. Scil. Samariæ, ex v. 6. Hebr. Quòd egritudine affecta sit plaga ejus. Numero plurali. Syntaxis distributiva. Quòd pervenerit] Scil. unaquæq; plagarum ejus. Jehudam] Tribum Jude. Populi mei] Cujus ego pars sum: nempe tribus Jude.*

10 Gathi ne indicetis] *Id est, Plagas has vestras nolite indicare*



dicare Philistæis: ne scilicet de illis latentur, ac vobis insultent. Sic 2. Sam. 1. versu 20. Synecdoche membri. Omnino] Hebr. Flendo. In domo Hophræ pulvere te voluta] Verto, In pulvere. Hophra fuit civitas sita in tribu Benjaminis, Jos. 18. vers. 23. Est autem in Hebræo elegans paronomasia inter voces הַפְּרָהּ hophrah & הַפְּרָהּ haphar. Quasi Latine dicatur, In Pulverulenta in pulvere te voluta.

11 Transi] Hebr. Transi vobis. Pleonasmus: & synesis. nam verbo numeri singularis intelliguntur hic res plures: nempe habitatores Judææ. Transi autem: scil. in Babyloniam, captiva. Habitatrix elegantis loci] His verbis populus Judææ comparatur mulieri. Elegantis loci] Id est, Judææ, ac imprimis Hierosolymæ. Vide Psal. 46. v. 5. Nudata] Scil. ab hoste victore. Non exhibit] Scil. in agrum cum pecore. Synecdoche generis. Pecorosi] Qui abundat pecore. In locis adjacentibus] Hebr. In loco illius lateris. In hac significatione vox מְרִיבָה reperitur quoque 1. Sam. 20. vers. 41. A vobis] Scil. locis pecorosis. Constitutionem] Rationem virtus.

12 Propter bonum] Scil. amissum. Nempe loca culta & fertilia fratrum, unde ad ipsos quoque fructus aliquis manabat. Asperarum sedium] Verto, Asperorum locorum. Nam in Hebræo subauditur vox מְרִיבָה: quæ genere convenit cum voce מְרִיבָה. Heb. Amarorum. Metaphora. Nam sicut cibus potusve amarus molestus est gustui: sic terra aspera molesta est agricolæ. Malum] Hostes Babylonii. Synecdoche generis.

13 Junge currum angariis] Scil. equis. Id est, compara te ad fugam, ne Babylonii te deprehendant. Metonymia effecti destinati. Angariis] Alii, mulis. Lachischi] Scribo, Lachischi: quia in Hebræo est דַּרְפָּתוּם. Cæterum Lachisch fuit urbs in tribu Judææ: ut videre est Jerem. 34. vers. 7. Origo peccati ipsa est cum filia Tzizonis] Verto, Filia Tzizonis: dativo casu. Sensus est, Habitatores urbis Lachis occasionem præbuerunt Hierosolymitanis ad amplectendum idololatriam institutam à Jerobeamo: quippe quam ipsi primi amplexi sunt: ut significatur verbis sequentibus. Origo] Hebr. Principium. Peccati] Id est, idololatriæ Jeroboamicæ. Synecdoche generis. Ipsa est] Mutatio personæ: pro, Tu es. Filia Tzizonis] Id est, Hierosolyma, sita in monte Tzizonis. Defecti-

ones Jisraëlis] *Id est, idololatria instituta à Jeroboamo primo rege decem tribuum.*

14 Dato munera] *Tu Lachisch dato munera Babylonis ut tibi parcant. Concessio ironica. quasi dicat, Dabis tu quidem munera, sed frustra. Munera] Hebr. Mittenda. In hac significatione vox illa reperitur etiam 1. Reg. 9. vers. 16. Cum Moreschetha Gathi] Id est, (ait Fr. Junius) oppido à Binjaminitis occupato, quod prius ad regnum Gathi pertinebat. Sic interpretamur (addit) ex 1. Chron. 8. v. 13. Aczibi] Scribo, Achsibi. Fuit autem Achsib civitas in tribu Juda, Jos. 15. v. 44. Erunt mendaces regibus Jisraëlis] *Id est, fallent spem regum Juda, qui imperabunt reliquis Israëlis, id est, decem tribuum. Mendaces] Hebr. In mendacium. Estq; hic paronomasia inter voces אֲכִזִּיב & אֲכִזָּב.**

15 Hæredem adducam tibi] *Id est, hostem qui te occupet & velut hereditario jure possideat. Synecdoche generis. Estq; hic rursus paronomasia inter voces מֵרֶשֶׁת & מֵרֶשֶׁתָּהּ. Mareschæ] Fuit civitas in tribu Juda, Jos. 15. v. 44. Hadullamum] Etiam hæc fuit civitas in tribu Juda, Jos. 15. v. 35. Perveniet] *Scil. hæres ille. Gloriam] Verto, Imò usq; ad gloriam. Gloriam Jisraëlis] Id est, Hierosolymam. Periphrasis ex adjuncto.**

16 Glabra te] *Hic alloquitur Hierosolymam: cujus proximè fecerat mentionem. Glabra te] Redde te calvam, induc tibi calvitium. Scil. ad testandum luctum tuum. Synecdoche generis. Propter filios deliciarum tuarum] Verto, Propter filios delicias tuas. Genitivus adjuncti. Ut aquilæ] *Scil. calvitium est. Vel, Ut aquila] Scil. dilatat calvitium suum: dum scil. patitur defluvium plumarum. Migrant] Scil. deportati in Babyloniam. Synecdoche generis.**

## OBSERVAT. EX CAP. I.

1.  
Officium  
priorum.

EX v. 2. Ad officium eorum qui se profitentur cives populi Dei, seu membra Ecclesiæ, pertinet: ut ministros verbi attentè & in timore Dei audiant: sive illi læta, sive tristia proponant.

2.  
Ira Dei.

EX v. 3. & 4. Ira Dei hominib, intolerabilis est.

EX v. 5.

Ex *ψ*.5. Peccata magistratum in exemplum <sup>3.</sup> *Magistra-*  
trahi solent à subditis. Quò magis sollicitè illi <sup>ius.</sup>  
peccata vitare debent.

Ex *ψ*.6. Contra iram Dei nihil juvant munitæ <sup>4.</sup> *Munita ur-*  
urbes. <sup>bes.</sup>

Ex *ψ*.7. Idola & omnia instrumenta idolola- <sup>5.</sup> *Idola.*  
triæ è medio tollenda sunt. Id autem debet fieri  
per magistratum.


Ex *ψ*.8.&9. In propheta Michæa lugente pro- <sup>6.</sup> *Συμπαθεία*  
pter interitum regni Israëlis, proponitur exem-  
plum *συμπαθείας.*

Ex *ψ*.10. In Philistæis proponitur exemplum <sup>7.</sup> *Ἐπιχαίρει-*  
*ἐπιχαίρειας.* <sup>κακία.</sup>

Ex *ψ*.11. Magnum Dei beneficium est, quum <sup>8.</sup>  
licet in pace pecus educere ad pascua. *Pastio pe-*  
*coris.*

Ex *ψ*.11.&12. Humanitatis est ut qui loca ferti- <sup>9.</sup>  
lia & bene culta inhabitant, vicinis suis inhabi- *Communi-*  
tantibus loca aspera, communicent de fructibus *catio bono-*  
suis. *rum.*

Ex *ψ*.13.14.15. & 16. Miserum est, ab hoste in <sup>10.</sup> *Deportatio*  
exilium deportari.



C A P U T II.

**V**Æ cogitantib. iniquitatem,  
& dantibus operam malo in  
cubilibus suis; quod illucescente  
mâne faciant, quum est in pote-  
state manus ipsorum:

2 Qui concupiscunt agros quos  
rapiant, & domos quas adimant:  
opprimentes virum cum domo  
ejus, quemq; cum possessione sua.

3 Idcirco sic ait Jehova, Ecce  
ego cogito contra familiam istam  
malum; unde non amovebitis colla

vestra, neque ambulabitis elatè,  
quum tempus mali erit.

4 Tempore illo proferet de  
vobis parabolam, & lamentabi-  
tur lamentum summum *lamenta-*  
*tator* dicens, Prorsus vastati su-  
mus, portionem populi mei com-  
mutat *Deus*: quomodo adimit  
mihi, & avertendo agros nostros  
partitur?

5 Idcirco, *inquam*, non erit ti-  
bi projiciens funiculum ad for-

tem; in congregatione Jehovæ.

6 Ne stillatis, *inquiunt*, stillent *isti*: non stillant secundum istos, non hæsurum esse *populum* ignominiiis.

7 O quæ diceris domus Jakhobi, An angustatus esset spiritus Jehovæ? an hæ *essent* actiones illius? nonne verba mea profutura essent apud *eum* qui rectè ambulat?

8 Atqui heri populus meus quasi hostis insurgibat, quum adest vestis, togam detrahitis; à transeuntibus securè, quietis à bello.

9 Uxores populi mei expellit, *quamq;* è domo deliciarum suarum; à parvulis ejus aufertis decorem meum in seculum.

10 Surgite & abite, quia non est hæc requies; propter impuritatem perditura est vos, & *quidem* perditione præcisa.

11 Si vir ventosus, & falsus mentiat, *dicens*, Stillabo tibi pro vino aut pro potu inebriante, is stillator est populi hujus.

12 Omnino recipiam te, Jakhob, totum omnino congregabo reliquias Jisraëlis, simul disponam eum ut oves Botzræ; ut grex in medio ovilis sui, perstrepet præ *multitudine* hominum.

13 Ascendit effractor in conspectu eorum, per ruperunt transeuntibus portam qua egrediuntur: transitq; rex eorum ante ipsos, & Jehova in principiis illorum.

## ANALYSIS CAP. II.

**H**OC capite propheta partim conqueritur de peccatis decem tribuum & tribus Judæ: partim minatur eis pœnas Dei: idque promiscuè. Peccata ob quæ illos reprehendit, sunt quatuor: (1) oppressio pauperum, (2) superbia, (3) rebellio contra prophetas Domini, (4) approbatio prophetiarum falsarum. Oppressio pauperum (1) amplificatur ab adjuncto studio, *ψ. 1. & 8.* (2) illustratur ab objectis, *ψ. 3. & 8. & 9.* Superbia significatur ex gestu, videl. elatione colli inter ambulandum, *ψ. 3.* Rebellio contra prophetas Domini (1) declaratur ex modo agendi, nempe verbis (uti vocant) formalibus quibus illos à prophetano deterrere conati sunt: item quibus calumniati sunt illorum prophetiam, *ψ. 6.* (2) ostenditur illius rebellionis tum stultitia, tum iniquitas,

tas,

tas, ψ. 7. Stultitia, quia spiritus Dei non patitur resistentiam: iniquitas, quia verba prophetarum Domini profutura essent agentibus recta. Approbatio prophetiarum falsarum (1) significatur à verbis formalibus, ψ. 6. (2) amplificatur à causa procatartica quæ falsos prophetas ad prophetandum impellebat, ψ. 11. Atq; hæc de peccatis.

Pœnæ denuntiantur eis quatuor: (1) vastatio regionis, (2) ademptio agrorum, (3) deportatio, (4) everfio urbium regiarum. Istitis autem præmittitur comminatio generalis, ψ. 1. & 3. Vastatio regionis amplificatur ab effectu, videl. solenni lamentatione, ψ. 4. Ademptio agrorum (1) amplificatur à causa efficiente principali, ψ. 4. (2) illustratur antithesi pristinae ac prisca partitionis eorum sub Josua factæ per sortem, ψ. 5. Deportatio (1) significatur per hortationem prophetæ ad migrandum, ψ. 10. (2) illustratur simili abactionis ovium, ψ. 12. (3) amplificatur à comparatis: quòd scil. nō plebei tantum deportandi sint, sed ipsi quoq; reges, ψ. 13. (4) amplificatur à causa efficiente principali, ibid.

SCHOLIA IN CAP. II.

**V**Æ] Scil. erit. Id est, calamitates evenient. Metonymia effecti. Cogitantibus] Machinantibus. Synecdoche generis. Dantibus operam malo] Hebr. Operantibus malum. Scil. cogitatione & proposito. Metonymia objecti. ψ. 1.

2 Qui] Hebr. Et. Quos rapiant] Hebr. Et rapiunt. Sic mox, Et adimunt. Hebr. Tollunt. Opprimentes] Hebr. Et oppresserunt. Cum possessione sua] Pro sua verto ejus. Hebr. Et possessionem (sive hereditatem) ejus.

3 Unde non amovebitis colla vestra] Id est, quod non poteritis evitare. Metaphora à bobus qui excutiunt jugum. Elaiè]

Hebr. Cum elatione. Scil. colli. Qui est gestus superborum. Erit] Hebr. Ipsum.

4 Tempore illo] Hebr. Die illo. Synecdoche membri, vel speciei. Proferet] Hebr. Sumet. Scil. in os. Summum] Hebr. Lamentabile. Dicens] Hebr. Dixit. Sed fortasse pro <sup>רמא</sup> legendum <sup>רמא</sup>. Prorsus] Hebr. Vastando. Portionem] Sive agrum. Adimit] Hebr. Amovet. Partitur] Scil. inter hostes.

5 Projiciens funiculum] Ad dimetiendum agros qui distribuuntur inter vos: sicut factum fuit temporibus Josua. Ad sortem] Ut agri sortito vobis dentur.

6 Ne stilleris] Id est, Ne prophetetis. Sunt verba impiorum Israëliitarum ad prophetas Domini. Metaphora, qualis Deut. 32. v. 2. & Ezech. 21. v. 2. Isti] Scil. propheta falsi. Non stillant] Scil. propheta Domini. Secundum istos] Id est, Sicut isti: scil. propheta falsi. Non hæsurum esse populum ignominii] Verto, Non retrocedit ullus eorum ab ignominii. Sive, à contumeliis. Confer Am. 7. v. 10.

7 O quæ diceris domus Jahakobi] Id est, quæ gloriaris te originem trahere à sancto illo patriarcha Jacobo: sed interim non insistis vestigiis illius. An angustatus esset spiritus Jehovæ?] Pro, angustatus verto decurtatus. Sensus videtur esse, An putatis Dei potestatem & potentiam diminutam esse: ita ut non liceat ei vos ob peccata objurgare, nec possit vos ob eadem punire? Hæ] Nempe vestra. Actiones illius] Scil. domus Jacobi. Id est, actiones tales quæ deceant domum Jacobi. Vel, Illius: scil. Jehovæ. Id est, actiones ei placentes. Quo sensu dicit Christus Joh. 6. v. 29. Hoc illud est opus Dei, ut credatis in eum quem ille misit. Priorem expositionem tradit Junius: posterior mihi magis probatur, quia relinquit commodiorem syntaxin. Profutura essent] Verto, Accepta sunt. Hebr. Benefaciunt. Metonymia efficientis. Apud eum qui rectè ambulat] Hebr. Apud eum qui est rectus ambulans.

8 Atqui] Hebr. Et. Heri] Id est, superiori tempore. Synecdoche speciei. Quasi hostis] Heb. In hostem: vel, pro hoste. Quum adest vestis] Verto, Unà cum pallio. Heb. E regione pallii. Securè] Heb. Cum fiducia. Quietis] Verto, Revertentibus. A bello] Hebr. Belli. Genitivus objecti.

9 Uxores] Verto, Mulieres. quia probabile est intelligi viduas:

duas: ut sit synecdoche generis. Neq; uxor rectè refertur ad populum, sed ad virum unum, nempe maritum. E domo deliciarum suarum ] Id est, è domo sibi jucundissima. Decorem meum ] Malim, Ornatum meum. Id est, pulchras vestes quas ego illis donavi.

10 Abite ] Scil. in exilium. Hæc ] Hæc terra ubi nunc habitatis. Requies ] Nempe vestra. Id est, locus quietis vestra. Propter impuritatem ] Seu immundiciem: quam scil. contraxit ex vestris peccatis. Vide Levit. 18. v. 25. & seqq.

11 Ventosus & falsus ] Verto, Qui ambulat cum vento & falsitate: vel, Qui deditus est vento & falsitati. hoc est, Qui profert prophetiam falsam & vento similem, quippe quæ animos audientium non pascit solidâ consolatione. Hebr. Ambulator venti & falsitatis. Stillabo ] Prophetabo: ut supra vers. 6. Aut ] Hebr. Et. Stillator populi hujus ] Propheta acceptus populo huic.

12 Omnino recipiam ] Verto, Omnino colligam. Hebr. Colligendo colligam. Jahakob ] Popule Israëlitice. Totum ] Hanc vocem refero ad membrum præcedens: & verto, Totum te. Omnino congregabo ] Hebr. Congregando congregabo. Jisraëlis ] Populi Israëlitici. Disponam ] Verto, Reddam: vel, efficiam. Hebr. Ponam. Ut oves Botzræ ] Botzra erat civitas Moabitarum: ut videre est Jerem. 48. vers. 24. Moabitæ autem abundabant ovibus: ut videre est 2. Reg. 3. v. 4. Sensus est: Congregabo eos, tanquam gregem ovium, & tradam eos inimicis ipsorum.

13 Ascendit ] Id est, Ascensurus est. Sic deinceps. Præterita pro futuris propter certitudinem eventus. Effractor ] Sive perruptor. Nempe rex Assyriæ, item rex Babylonie. Transeuntes ] Hebr. Et transiverunt. Qua egrediuntur ] Verto, Et egressi sunt per eam. Nempe hostes. Rex eorum ] Nempe decem tribuum quidem rex Hofeas: tribus Judæ autem rex Sedechias. Vide 2. Reg. 17. & 25. In principiis eorum ] Tanquam summus dux. Hebr. In capite eorum.

OBSERVAT. EX CAP. II.

**E**X toto cap. Exemplo prophetæ Michæ mo-  
nentur pastores ecclesiarum, ad officium <sup>I.</sup> Pastores ecclesiarum.

suum pertinere, ut populum curæ suæ commissum ob peccata graffantia acriter reprehendant, & impœnitentibus pœnas Dei denuntient.

2.  
Oppressio  
pauperum.

Ex  $\psi$ . 1. 2. 8. 9. collatis cum  $\psi$ . 4. 5. 10. 12. & 13. Cavenda est oppressio pauperum: quia Deus propter illam populum suum veterem graviter punivit.

3.  
Superbia.


Ex vers. 3. Cavenda superbia, propter causam modò dictam.

4.  
Rebellio.

Ex  $\psi$ . 6. & 7. Cavenda rebellio contra fidos ministros verbi Dei, propter eandem causam.

5.  
Doctrina  
falsa.

Ex  $\psi$ . 6. & 11. Cavenda approbatio doctrinæ falsæ, quam falsi doctores proferunt lucri sui causâ.



### CAPUT III.

**Q**Uapropter dico, Audite jam primores Jahakobi & ductores domus Jisraëlis; an non vestrum est scire ipsum jus?

2 Ofores sunt boni, & amantes mali; rapientes cutem istorum ab eis, & carnem eorum ab ossibus ipsorum:

3 Et quod comedunt caro est populi mei; & cutem eorum ab eis nudant, ac ossa eorū diffringunt: dividuntq; ut quod est in olla, & velut carnem quæ est in lebete.

4 Tunc inclamabunt Jehovā, & non exaudiet eos: sed abscondet faciem suam ab eis tempore illo, quemadmodum malè instituerint actiones suas.

5 Sic ait Jehova contra illos prophetas, qui in errorem inducunt populum meum; qui mordentes suis dentibus proclamant

pacem, & in eum qui non indiderit ori ipsorum, indicunt bellum:

6 Idcirco nox erit vobis à visione, quæ obscuritatem afferet vobis ne divinetis; & occidet sol super istos prophetas, atrabiturq; super eos dies:

7 Ita erubescunt isti videntes, & pudore suffundentur isti divinatores, obvelabuntq; mystacem suum quotquot erunt: quia nulla erit exauditio Dei.

8 Veruntamē ego repletus sum virtute à spiritu Jehovæ, judicioq; & potentia; ad indicandum Jahakobo defectionem ipsius; & Jisraëli peccatum ipsius.

9 Audite jam hoc primores domus Jahakobi, & ductores domus Jisraëlis; qui abominantur jus, & quicquid est rectum pervertunt:

10 Quis-



10 Quisquis ædificat Tzijo-  
nem cædibus, & Jeruschalaima  
iniquitate.

11 Quorum primores munere  
judicant, & quorum sac. rdores  
pretio docent, & quorum prophe-  
tæ pecunia div. nant; interea Jeho-

vâ nituntur, dicendo, An non Je-  
hova in medio nostri est? non su-  
perveniet nobis malum.

12 Idcirco vestrâ causâ Tzijon  
ut ager arabitur; & Jeruschalaima  
in æervos abibunt, & mons i-  
psius domus in excelsa silvosa.

### A N A L Y S I S C A P. I I I.

**H**Oc capite propheta reprehendit primùm  
primores urbis Hierosolymæ, quatuor pri-  
mis versibus: deinde falsos prophetas, v. 5. 6. & 7.  
Postremò tum illos, tum unà cum illis sacerdo-  
tes, versu 8. & seqq. Singulis autem istis repre-  
hensionibus annectit denuntiationem pœna-  
rum Dei.

#### D E P R I M A P A R T E.

In prima reprehensione reprehendit primo-  
res ob tria peccata: (1) ob ignorantiam juris, v. 1.  
(2) ob odium justitiæ, v. 2. (3) ob oppressionem  
subditorum, v. 2. & 3. Quæ oppressio significa-  
tur & amplificatur simili à leone vel lupo discer-  
pente ac devorante pecudem: item simili à co-  
quis indentibus frustra carnis in ollam. Huic re-  
prehensionis subjungit denuntiationem pœnæ,  
nempe alienationis Dei in tempore adverso,  
versu 4.

#### D E S E C U N D A P A R T E.

Falsos prophetas reprehendit partim ob ava-  
ritiam, partim ob falsas prophetias, v. 5. Denun-  
tiat autem eis pœnam duplicem: mærorem, v. 6.  
& 7. & pudefactionem, v. 7. Mærorem tribus  
modis tractat. Primò significat eum simili noctis  
& occasus solis, v. 6. Secundò ex adjuncto gestu,

ψ.7. Tertiò declarat illum à causa procreante, ibidem.

## DE TERTIA PARTE.

Denuò & conjunctim primores ac prophetas reprehensus, præmittit mentionem suæ tum vocationis, tum animositatis: ut ita reprehensionis suæ auctoritatem conciliet. ψ.8. Cæterùm primores hîc reprehendit ob peccata quinque: (1) ob odium justitiæ, ψ.11. (2) ob perversionem ejusdem, ibidem. (3) ob oppressionem subditorum, ψ.10. (4) ob factum in ædificando, ibidem. (5) ob δωροδοκίαν, ψ.11. Sacerdotes verò reprehendit ob avaritiam, ibidem. Prophetas denique tum ob avaritiam, tum ob falsam prophetiam, ibidem. Denuntiat autem istis omnibus everisionem urbis Hierosolymæ: quam significat & amplificat ex eventis tribus: (1) aratione montis Tsjionis, (2) acervo lapidum, (3) sylva in monte illo nascitura, ψ.12.

## SCHOLIA IN CAP. III.

ψ.1. **Q**Uapropter dico] *Verto, Præterea dixi. Hebr. Et dixi. Primores] Hebr. Capita. Metaphora. Jahakobi] Populi Israëlitici. Vestrum] Hebr. Vobis.*

2 *Osores] Verto, Sed osores sunt &c. Pro, Sed osores estis. Boni] Justitiæ. Synecdoche generis. Mali] Injustitiæ. Synecdoche qualis modò. Rapientes cutem &c.] Metaphora à leone vel lupo. Istorum] Subditorum pauperum. Et carnem &c.] Continuat metaphoram.*

3 *Et quod comedunt &c.] Verto, Sunt inquam ii qui comedunt carnem populi mei. Hebr. Et qui comedunt &c. Adhuc continuat metaphoram. Ut quod est in olla &c.] Verto, Velut in ollam, & velut carnem in lebetem. Heb. In medium lebetis.*

4 *Et] Verto, Sed. Et mox pro Sed repono Verùm. Sed] Hebr. Et. Quemadmodum] Verto, Posteaquam.*

5 Mor-

5 Mordentes suis dentibus ] *Id est, Quum datur eis quod edant. Confer supra cap. 2. vers. 11. Synecdoche metonymica duplex: una, quâ unâ cum effectu destinato intelligitur finis: altera, quâ unâ cum adjuncto intelligitur objectum.* Et in eum ] *Verto, In eum autem.* Qui non indiderit ori ipsorum ] *Scil. cibum. Hebr. Qui non dederit super os ipsorum.* Indicunt ] *Heb. Sanctificant.*

6 Nox ] *Id est, calamitas & tristitia. Metaphora. A visione ] Vel, propter visionem. Id est, propter prophetiam vestram falsam.* Quæ ] *Hebr. Et.* Occidet sol super istos ] *Verto, Super istis. Id est, præ mœrore ac perturbatione animi videbitur eis solem occidisse.* Super eos ] *Verto, Super eis.*

7 Ita ] *Hebr. Et.* Videntes ] *Id est, propheta. Vide 1. Sam. 9. v. 9.* Mystacem ] *Vel, Superius mentum. Porrò obvelabant mystacem qui lugebant: ut videre est Levit. 13. versu 45. & Ezech. 24. versu 17.*

8 Virtute ] *Viribus. Mit kraft. A spiritu ] פרוח-רוח. Pro, פרוח-רוח. Jahakobo ] Populo Israëlitico. Sic mox, Israëli.*

9 Primores ] *Hebr. Capita. Qui abominantur ] Pro, Qui abominamini &c.*

10 Quisquis ] *Malim, Quorum quisq.* Cædibus ] *Hebr. Sanguinibus. Metonymia effecti. Item, cædibus: id est, pecuniâ quam per cades adeptus est. Metonymia efficientis. Sic mox, Iniquitate.*

11 Quorum primores &c. ] *Verto, Primores ejus. Et sic deinceps, Sacerdotes ejus: propheta ejus. Scil. urbis Hierosolymæ: cujus proximè præcessit mentio.* Primores ] *Hebr. Capita. Interea ] Hebr. Et. Jehovâ ] Hebr. Super Jehova. Superveniet nobis ] Hebr. Veniet super nos. Malum ] Calamitas. Synecdoche generis.*

12 Vestrâ causâ ] *Propter vos. Hebr. Propter revolutionem vestri. Jeruschalaima in acervos abibunt ] Verto, Hierosolyma in acervos redigetur. Hebr. Acervi erit, vel, fiet. Ipsius domus ] Nempe domus Dei: id est, templi. Silvosa ] Hebr. Silva. Genitivus adjuncti.*

OBSERVAT. EX CAP. III.

EX v. 1. 2. 3. 9. 10. & 11. item ex v. 4. & 12. Pec-<sup>I.</sup> Gubernatores.  
cata ob quæ hoc loco primores Hierosoly-  
tores.

P

mitani reprehenduntur, eisq; pœnæ divinæ denuntiantur, gubernatoribus rerumpubl. cavenda sunt.

2.  
Doctores  
verbi Dei.

Ex y. 5. 6. 7. 11. & 12. Peccata ob quæ hîc reprehenduntur prophetæ Hierosolymitani, pœnæq; divinæ eis denuntiantur, doctoribus verbi Dei cavenda sunt.

3.  
Doctores  
verbi Dei.

Ex y. 8. Exemplo Michæ monemur, sinceros ac fidos doctores verbi Dei repleri virtute & animositate à Spiritu sancto, ut populo curæ ipsorum commisso peccata ejus intrepidè indicent.

~~~~~

## CAPUT IV.

**S**ed erit ultimis temporibus, *S*ubi constitutus fuerit mons domus Jehovæ in vertice aliorum montium, & elatus fuerit supra colles; ut confluant ad eum populi:

2 Eantq; gentes multæ dicentes, Venite ut ascendamus in montem Jehovæ, & in domum dei Jahakobi, ut doceat nos de viis suis, & ambulemus in itineribus ejus: nam Tzijone prodit doctrina, & verbum Jehovæ Jeruschalaimis:

3 Qui judicem aget inter populos multos, & corripiet gentes validas in longinquum usque; ut tundant gladios suos in ligones, & hastas suas in falces, non attollant gens una in alteram gladium; neq; discant amplius bellum;

4 Sed confideant quisque sub vite sua, & sub ficu sua, nemine deterrente: quia os Jehovæ exercituum loquutum est.

5 Nam omnes populi ambu-

lant quisq; in nomine dei sui; nos autem ambulabimus in nomine Jehovæ dei nostri in seculum & in æternum.

6 Tempore illo, dictum Jehovæ, recipiam claudicantem, & depulsam congregabo; & quam malis affecero:

7 Et disponam claudicantem in reliquias, & procul disjectam in gentem validam; regnabitq; Jehova super eos in monte Tzijonis ex hoc tempore usq; in seculum.

8 Et tu turris gregis, clive filia Tzijonis, ad te usque perveniet; & adveniet dominium illud primum, regnum filia Jeruschalaimorum.

9 Nunc quare vociferaris indefinenter? an rex nullus est in te? an consiliarius tuus periit, quod deprehenderit te dolor similis parturientis?

10 Parturi & ede partum, filia Tzijonis, tanquam puerpera; quâ jam egressa

jam egressa ex urbe habitaveris in agro, ac perveneris Babyloniam ulque, ibi liberaberis, ibi vindicabit te Jehova è manu inimicorum tuorum.

11 Nam quamvis jam conveniant contra te gentes multæ, quæ dicant, Contaminetur, & videat in Tzjone oculus noster:

12 Ipsæ ignorant cogitationes

Jehovæ neque intelligunt consilium ejus, eum congregate ipsas velut manipulum in aream.

13 Surge & tritura sicut Tzjone, nam cornu tuum reddam ferreum, & ungulas tuas reddam chalybeas, ut comminas populos multos: & anathemate devovebo Jehovæ quitum eorum, & facultates eorum dominio totius terræ.

A N A L Y S I S C A P. I V.

**H**Oc capite duo agit propheta. Primùm vaticinatur de majestate, amplitudine, & felicitate regni Christi, primis octo versibus: deinde hortatur Judæos ut patienter ferant captivitatem Babyloniam, v. 9. & seqq.

D E P R I M A P A R T E

Majestas regni Christi (1) figuratur simili ficto elationis montis Tzjone supra alios montes, v. 1. (2) significatur à libera regis judicatione, vers. 3. Amplitudo regni Christi significatur per aggregationem aliorum populorum ad populum Judaicum, v. 1. 2. & 3. Quæ aggregatio (1) amplificatur ab adjuncto studio, v. 1. & 2. (2) declaratur à causa finali, ibi, *Ut doceat nos &c.* v. 2. (3) à causa procatartica, ibi, *Nam Tzjone &c.* versu eodem. Felicitas regni Christi tractatur quinque modis. (1) significatur per partes duas: puta pacem, v. 3. & securitatem, v. 4. (2) declaratur à causa procatartica, videl. à studio veræ pietatis: quod illustratur antithesi studii perverfi idololatrarum, v. 5. (3) amplificatur antithesi pristinx miseriæ, v. 6. & 7. (4) amplificatur à duratione, in fine versus septimi. (5) illustratur collatione similibus,

quatenus confertur regnum Christi cum pristino regno Salomonis, *ψ*. 8.

DE SECUNDA PARTE.

Hortatio ad patientiam (1) illustratur commemoratione afflictionum, *ψ*. 9. 10. & 11. (2) confirmatur à promissione tum liberationis, tum vindictæ divinæ de hostibus, *ψ*. 10. 11. 12. & 13. Afflictiones commemorantur quinque: (1) amissio regis, *ψ*. 9. (2) amissio consiliariorum, ibidem. (3) deportatio in Babyloniam, *ψ*. 10. (4) habitatio in agro, ibidem. (5) cædes, *ψ*. 11. Amplificantur autem istæ afflictiones à simili mulieris parturientis, *ψ*. 9. & 10. Liberatio promittitur versu 10. vindicta, *ψ*. 12. & 13. Cæterum vindicta (1) amplificatur antithesi vanæ spei hostium, v. 12. (2) illustratur simili triturationis, *ψ*. 12. & 13. (3) declaratur à causa procreante, videl. gubernatione divina, *ψ*. 13. (4) amplificatur ab eventu, ibi, *Et anathemate devovebo &c.* versu eodem.

SCHOLIA IN CAP. IV.

*ψ*. 1. **S**Ed] *Hebr.* Et. Erit] *Fiet.* Ultimis temporibus] *Hebr.* In extremitate dierum. Ubi constitutus fuerit &c.] *In Hebræo nulla est ellipsis: neq; etiam talis sententiarum connexio aut verborum syntaxis. Itaq; vestigiis textus insistentis, sic verto: Porro ultimis temporibus firmatus erit mons Jebovæ in vertice montium, & elatus erit supra colles: & cõfluent ad eum populi. Ibuntq; gentes &c.* Confer cum hoc textu caput secundum *Esaie.*

2 Dicentes] *Hebr.* Et dicent. Nam Tsjone &c.] *Hic propheta rursus loquitur in sua persona. Itaq; pro prodit reponendum est prodibit. His enim verbis propheta causam indicat quæ motura sit gentes ut sese Judæis aggregent. Doctrina] Hebr. תורה. quæ vox alias plerumq; redditur lex: sed significatio ista huc non quadrat: quia sermo est de Evangelio. Vox autem ista in genere*

mere doctrinam significat. Quare hîc per synecdochen generis de Evangelio usurpatur. Verbum Jehovæ ] Nempe verbum gratiæ: h. e. de gratia Jehovæ erga credentes in Christum.

3 Qui ] Scil. Jehova. Hebr. Et. Judicem aget ] Hebr. Judicabit. Ut tundant ] Hebr. Et tudent. Figuratur autem his verbis dilectio Christiana. Gens una in alteram ] Heb. Gens in gentem.

4 Sed ] Heb. Et. Sub vite &c. ] His verbis figuratur securitatis spiritualis seu pax conscientie. Loquutum est ] Suppleo, istud.

6 Tempore illo ] Hebr. Die illo. Recipiam ] Verto, colligam. Claudicantem ] Vox Hebræa est generis fœminini. Comparat autem hac voce cœtum electorum Judæorum mulieri claudicanti, & mox mulieri depulsæ, propter afflictiones quas perpessuri erant.

7 Disponam ] Hebr. Ponam. Ex hoc tempore ] Hebr. Ex nunc.

8 Turris gregis ] Id est, turris edificata super porta gregis: cujus mentio fit Nebem. 3. v. 1. Clive filiæ Tsjionis ] Id est, Clive urbis Hierosolymæ. De hoc clivo vide 2. Chron. 27. v. 3. Nebem. 3. v. 26. Per duo autem ista loca urbis Hierosolymæ designat urbem totam. Perveniet ] Scil. dominium cujus mox fit mentio. Hoc percipitur ex forma vocis: quæ est generis fœminini, ac proinde convenit cum sequente nomine <sup>הַמְּצֻדָה</sup>. Et adveniet ] Verto, Adveniet inquam. Nam est epanalepsis non quidem ejusdem vocis, veruntamen verbi idem significantis. Dominium illud primarium ] Verto, Dominatus ille prior. Scil. qui fuit sub Salomone: id quod innuunt verba versus quarti de sessione sub vite & ficu. Veruntamen hîc (sicut & illic) sermo est de dominatu spirituali Christi, cujus typus fuit dominatus ille Salomonis. Filia Jeruschalaimorum ] Populi Hierosolymitani: id est, populi Christiani.

9 Quare vociferaris ] Tu mulier claudicans & depulsæ, ex versu 6. Id est, tu popule Judaice. Indefinenter ] Hebr. Vociferando.

10 Ede ] Profer. Filia Tsjionis ] Ecclesia. Quum jam egressa &c. ] Verto: Nam nunc egredieris quidem ex urbe, & habitabis in agro, veniesq; Babyloniam usq; sed ibi liberaberis &c.

11 Nam quamvis &c. ] Verto, Nunc verò congregarunt se

quidem contra te &c. Verum ille ignorant &c. Contamine-  
tur] Scil. Hierosolyma. Nempe à nobis: idq; per effusionem sangui-  
nis. Vide Num. 35. v. 33. Psal. 106. v. 38. Videat] Scil. malum seu  
calamitatem: ut Psal. 54. v. 9.

12 Eum congregare ipsas] Hebr. Quòd congreget ipsas.  
Velut manipulum in arcam] Id est, ut triturentur: hoc est, in-  
terficiantur.

13 Filia Tfijonis] Ecclesia. Cornu tuum reddam fer-  
reum &c.] Id est, potentiam tuam reddam invictam. Metaphora  
ab animalibus cornutis & ungulatis. Reddam] Hebr. Ponam. Sic  
mox iterum. Ferreum] Hebr. Ferrum. Metonymia materiae. Vel,  
cornu ferri: ut sit ellipsis, & genitivus materiae. Idem iudicium de  
voce sequente, chalybeas. Chalybeas] Sive areas. Hebr. Aes.

## OBSERV. EX CAP. IV.

1.  
Regnum  
Christi.

**E**X quatuor primis versibus. Regnum Chri-  
sti describitur hinc trifariam: primùm à sub-  
ditis, deinde à sceptro, postremo ab effectis. Sub-  
diti sunt electi in multis gentibus seu populis,  
versu 2. & 3. Sceptrum est tum prædicatio Evan-  
gelii, vers. 2 in fine: tum prædicatio pœnitentiæ,  
in principio versus tertii. Effecta indicantur duo:  
(1) pax inter credentes, vers. 3. (2) pax conscien-  
tiæ sive securitas spiritualis vers. 4.

2.  
Ecclesia.

Ex versu 6. & seqq. In populo Judaico pro-  
ponitur exemplum gubernationis qua Deus Ec-  
clesiam gubernat: nempe quòd eam castiget per-  
sequutione hostium, ab eadem suo tempore li-  
beret, & hostes puniat.

~~~~~

## CAPUT V.

**N**unc turmatim coito, ô tur-  
maria, obsidionem dispo-  
nens contra nos: virga percutiant  
in maxilla iudicem Jisraëlis.

2 At tu Bethle-chem Ephra-  
thæ, minima ut sis in ducibus Je-  
hudæ, ex te mihi prodibit futurus  
dominator in Jisraële; cujus exor-  
tus in-



tus inde à principio, à diebus seculi sunt.

3 Idcirco exponet quidem eos usque ad tempus quo parturiens pepererit; quum residuum fratrum ejus revertentur cum Israëlitis,

4 Et permanebit ac pascet robore Jehovæ, excellentiâ nominis Jehovæ dei sui: & habitabunt, quum jam magnus erit usque ad fines terræ.

5 Eritq; ille pax: quum venerit Assyrius in terram nostram, & quum calcaverit palatia nostra, constituemus super eum septem pastores, & octo toparchas ex hominibus:

6 Qui pascant terram Assyriorum gladio, & terram Nimrodi in ostiis ejus: eripietq; ab Assyrio, quum veniet in terram nostram, & quum calcabit terminum nostrum.

7 Itaq; erunt reliquiæ Jahakobi inter populos multos, sicut ros à Jehova, & ut tenues pluvie super herbam; quæ non expectat virum, neque præstolatur filios hominis.

8 Erunt etiam reliquiæ Jahakobi in gentibus, inter populos multos, velut leo inter bestias silvæ, ut juvenis leo inter greges ovium; qui si qua transit, & calcat & rapit nemine eripiente.

9 Elata erit manus tua supra hostes tuos, & omnes inimici tui excidentur.

10 Nam erit die illo, dictum Jehovæ, quum excidero equos tuos in medio tui, & perdidero currus tuos:

11 Excindensq; civitates terræ tuæ, destruxero omnes munitiones tuas;

12 Et excidero præstigias è manu tua, adeò ut planetarii non sint tibi,

13 Excideroq; sculptilia tua, & statuas tuas è medio tui, ut non incurves te amplius honorem habens operi manuum tuarum,

14 Et evellero lucos tuos è medio tui; ut perdam adversarios tuos.

15 Faciamque ira & excandescencia vindictam contra gentes; quæ non auscultaverint.

A N A L Y S I S C A P. V.

**H**Oc capite Michæas duo agit. Primùm denuntiat Hierosolymitanis occupationem urbis ab hostibus, scil. Babyloniis, v. 1. Deinde vaticinatur de Christo & regno illius, v. 2. & seqq.

DE PRIMA PARTE.

Occupatio urbis (1) amplificatur à causa corumpente, videl. resistentia civium, ibi, *Nunc turmatim coito.* (2) declaratur à modo agendi, ibi, *Obsidionem disponet.* (3) amplificatur ab eventu, ibi, *Virgâ percutient &c.*

## DE SECUNDA PARTE.

Vaticinii de Christo & regno illius, membra sunt decem. Indicat enim

1. Ubi Christus sit nasciturus,  $\psi$ . 2.
2. Quòd Christus reliquias Israëlitarum sit collecturus,  $\psi$ . 3.
3. Quòd gubernaturus eos sit potenter,  $\psi$ . 4.
4. Quòd pacem inter eos procuraturus sit, versu 5.
5. Quòd per prædicationem Evangelii conversurus sit electos ex gentibus,  $\psi$ . 5. 6. & 7.
6. Quòd conscientias rebellium per prædicationem Evangelii convicturus sit,  $\psi$ . 8.
7. Quòd deleturus sit populi sui hostes,  $\psi$ . 9. & 15.
8. Quòd Israëlitis ademturus sit fiduciam in rebus terrenis,  $\psi$ . 10. & 11.
9. Item artes illicitas,  $\psi$ . 12.
10. Denique instrumenta idololatriæ, versu 13. & 14.

Ex his locus nativitatis Christi (1) amplificatur à causa corrumpente, quæ videbatur obstitura quò minùs ibi nasceretur Christus: nempe loci illius ignobilitas. (2) à nascituri præstantia: quæ significatur partim per dominatum, partim per apparitiones jam olim patribus factas. Collectio Israëlitarum illustratur antithesi antegressurarum afflictionum. Potens gubernatio Christi amplificatur copiâ verborum. Pacis procuratio indicatur uno verbo. Conversio gentium significatur per exemplum speciale Assyriorum & Babyloniorum,  $\psi$ . 5. & 6. Illustratur

stratur autem simili duplici, ψ. 7. Convictio rebellium significatur item simili, ψ. 8. Deletio hostium amplificatur à causis impulsivis: tum antecedente, irâ scil. & vindictâ Dei: tum procatartica, inobedienciâ scil. illorum: vel (secundum aliam versionem) à comparatione minorum, ψ. 15.

## SCHOLIA IN CAP. V.

**T**Urmaria] *Id est, tu popule Hierosolymitane: qui turmatim cois ut resistas hosti te obsessuro.* Hebr. *Filia turmae.* Obsidionem disponens] *Verto, Attamen obsidionem ponet contra nos. Nempe hostis Babylonius.* Percutiant] *Verto, Percutient. Scil. Babylonii victores.* Judicem Jisraëlis] *Regem Judæ. Vel, gubernatores reip. Judaicæ.*

ψ. I.

2 Attu] *Verto, Ad te verò quod attinet. Nominativus absolute positus.* Beth-lechem Ephrathæ] *Id est, sita in tribu Judæ, ut declaratur per verba sequentia, & Matth. 2. vers. 6. Nomen hoc adepta (ut videtur) ab uxore Calebi, cujus mentio fit 1. Chron. 2. v. 19. Collegæ meo, Georgio Pasori, sic dicta videtur à fertilitate. הַרְבֵּהְ עֵינִים enim est fructificare. Sic autem discernitur hæc Bethlehem ab altera, quæ sita fuit in tribu Sebulon, Jos. 19. v. 15. Minima ut sis] *Hebr. Parva ad essendum.* In ducibus] *Verto, In millibus. Nam tribus distributæ erant in millia: ut videre est 1. Sam. 10. v. 19. & Jud. 6. vers. 15. Dux Hebraicè non est מְדַבֵּר, sed מְדַבֵּרִים. Ex te] Verto, Tamen ex te. Futurus] *Hebr. Is qui est ad essendum.* Exortus] *Verto, egressiones. Nempe egressiones à Deo patre ad sanctos patres, Adamum, Noachum, Abrahamum, Isaacum, Jacobum: quibus apparuit, seseq. familiari sermone patefecit. Hanc expositionem confirmant verba sequentia. A principio] Scilicet mundi. Seculi] *Id est, mundi.****

3 Exponet] *Verto, tradet. Scil. hostibus Babylonis. Eos] Judæos. Quo parturiens pepererit] Nempe filia Tsijonis: id est, populus Judaicus. Vide sup. cap. 4. v. 9. & 10. Quum] Verto, Attamen. Hebr. Et. Jisraëlitis] *Hebr. Filiis Israëlis.**

4 Permanebit] *Hebr. Stabit. Id est, stabilem dominatum habebit: nempe dominator ille in Israële, v. 2. Pascet] Gubernabit*

P 5

Israëlem. Metaphora. Robore Jehovæ] Potentiâ divinâ, quam communem habet cum Deo patre. Excellentia] Pro, Et excellentia. Asyndeton. Habitabunt] Nempe subditi ejus.

5 Ille] Dominator ille, Christus. Pax] Id est, author pacis inter populum Israëliticum, & alios populos: ut declarat Paulus Ephes. 2. v. 13. & seqq. Assyrius] Hebr. Assur. Septem pastores] Mediocrem numerum ministrorum Evangelii. Synecdoche speciei in voce Septem: & metaphora in voce Pastores. Octo toparchas] Numerum satis magnum presbyterorum seu gubernatorum disciplinae Christianae. Tropi quales modò. Toparchas ex hominibus] Hebr. Perfusos hominum.

6 Qui pascant] Hebr. Et pascent. Id est, gubernabunt. Scil. illi septem pastores, & illi octo toparchæ. Terram Assyriorum] Ipsos Assyrios. Gladio] Id est, verbo Dei. Metaphora. Terram Nimrodi] Id est, Babylonios & incolas terræ Sinear. Vide Genes. 10. versu 6. Ostiis] Id est, terminis: ut Esa. 3. versu 26. Eripietq;] Scil. nos.

7 Itaque] Heb. Et. Jahakobi] Israëlitarum. Inter populos] Hebr. In intimo populorum. Sicut ros à Jehova] Id est, recreabunt pavidas conscientias prædicatione Evangelii de gratia Dei per Christum. Idem est sensus verborum proximè sequentium. Quæ] Scil. herba. Non expectat virum] Ut scil. ab eo irrigetur. Significatur, electos à solo Deo irrigationem cordium suorum expectare: quippe qui solus dat incrementum, 1. Corinth. 3. versu 6. & 7. Neque præstolatur &c.] Eadem sententia repetitur aliis verbis.

8 Erunt etiam] Hebr. Et erunt. Velut leo &c.] Id est, per prædicationem verbi Dei incutient impiis terrorem & convincent conscientias ipsorum. Vide 2. Cor. 10. v. 3. & deinceps.

9 Manus tua] O Jacob: ex v. 8.

10 Nam] Hebr. Et. Erit] Ab hoc verbo pendent illa v. 13. Ut non incurves &c. Sed talis syntaxis nimis contorta est: nec respondet verbis Hebraicis: in quibus est appositio Hebraeis usitata, qua verbo <sup>וַיִּהְיֶה</sup>, id est, Et fiet: subjicitur narratio eventuum specialium, idq; interdum sine interveniente conjunctione copulativa, interdum cum illa, ut hîc: ubi ad verbum sic habetur, Et fiet in die illo, (dictum Jehovæ) & excindam &c. Et sic deinceps per  
quatuor

quatuor versus. Commodissimè sic reddetur hic locus: Et fiet die illo (dictum Jehovæ) Quum excidero equos tuos &c. tum non incurvabis te amplius &c.

13 Honorem habens] Hoc supplementum non est necessarium: quia continetur ipsâ phrasi. Quid enim est incurvare se alicui: nisi, Incurvare se in honorem alicujus? Operi manuum tuarum] Idolis tuis. Synecdoche generis, & periphrasis à causa efficiente.

14 Et evellero &c.] Verto, Evellam quoq; lucos tuos è medio tui, perdamq; civitates tuas.

15 Faciamq;] Verto, Postea faciam. Quæ non auscultaverint] Scil. prædicationi Evangelii. Sed verti potest, Qualis non fuerit audita. Scil. vindicta. Hebr. Quam non audiverint.

## OBSERVAT. EX CAP. V.


EX v. 1. Quum Deus urbem aliquam hosti occupandam tradere constituit, frustra resistunt cives. 1. Gubernatio Dei.

Ex v. 2. notetur pars argumenti quo demonstratur, Jesum illum Nazarenum, Mariæ virginis filium, esse Christum: quia scilicet natus est in eo loco ubi Christum nasci oportuit. Itaque Judæi hodie frustra expectant Messiam: quia urbs illa ubi nasci debuit Christus, jam pridem diruta est. Nec valet eorum effugium, quo memini Rabinum quendam apud me utum: posse scil. urbem illam instaurari. Etenim propheta loquitur de illa Bethlehema quæ tum stabat. 2. Jesum esse Christum.

Ex eodem versu probari potest deitas Christi: quia de eo affirmatur, quòd jam olim apparuerit sanctis patribus. 3. Christi deitas.

Ex v. 3. & seqq. notetur descriptio regni Christi, sive actiones ejus regis: ut sunt collectio electorum Israëlitarum, gubernatio potens, procu- 4. Christi actiones regis.

ratio pacis, conversio electorum, convictio rebellium, sanctificatio electorum, & deletio hostium Ecclesiæ.



## CAPUT VI.

**A**udite jam quod Jehova edicit; Surge, contende cum istis montibus, & audiant isti colles vocem tuam.

2 Audite montes contentionem Jehovæ, & robustissima fundamenta terræ: nam contentio Jehovæ *est* cum populo suo, & cum Jisraële disceptaturus est.

3 Popule mi, quid feci tibi? & quo fatigavi te? testificare contra me.

4 Quum educens te è terra Ægypti, è domo servorum redemissem te; & præmissem tibi Moschen, Aharonem, & Mirjamum:

5 Popule mi, recordare jam, quid consilii iniverit Balak rex Moabitarum, & quid responderit ei Bilham filius Behoris; ut agnoscens justè facta Jehovæ à Schittimis Gilgalem usque, *dicas,*

6 Quanam re *instructus* veniam ante Jehovā, incurvabo me *honorem habens* Deo excelso? veniamne ante eum cum holocaustis? cum vitulis anniculis?

7 An accepta haberet Jehova millia arietum? myriadas torrentium olei? an darem primogenitum meum *pro* defectione mea? fructum ventris mei *pro* peccato animæ meæ?

8 Indicavit tibi, *ô* homo, quid *sit* bonum. Ecquid Jehova requisivit abs te, nisi ut exerceas jus, &

ames benignitatem, & modestè ambules cum deo tuo?

9 Vox Jehovæ ipsi civitati prædicat, (nam quod res, est videt nomen tuum) audite virgam, & quis accersat istud.

10 Adhuc sitne cuiquā domus improbi? thesauri improbitatis? & epha minutum detestabile?

11 An purum haberem *quemquam* cum lancibus improbitatis, & inditis loculo ponderibus dolosis?

12 Cujus *civitatis* divites pleni sunt violentia, & habitatores loquuntur falsum; quorum lingua dolosa *est* in ore ipsorum?

13 Quin imò ego agritudine afficiam percutiendo te; desolando propter peccata tua.

14 Tu comedes, sed non saturaberis, & depressio tua *erit* in medio tui: & amovebis, sed non liberabis; quod autem liberaveris, gladio tradam.

15 Tu seres, sed non metes; tu calcabis olivas, sed non unges te oleo; & mustum, sed non bibes vinum.

16 Etenim assiduè observat statuta Homri, & totū opus domus Achabi, ambulatisque in consiliis eorum: ut dedam te desolationi &

habitatores ipsius sibi lo, itaq; opprobrium populi mei portetis.

ANALY-

## ANALYSIS CAP. VI.

**H**Oc capite tria agit Dominus per prophetam. Primùm exprobrat populo Hierosolymitano ingratitude, quinque primis versibus. Deinde rejicit eorum sacrificia, & è contrario postulat beneficentiam & timorem ipsius, v. 6. 7. & 8. Postremò minatur eis pœnas propter peccata.

## DE PRIMA PARTE.

Exprobrationi præmittitur exordium, quo continetur contestatio montium & collium, v. 1. & 2. Sunt autem membra exprobrationis duo: (1) protestatio de sua (Domini) innocentia, v. 3. (2) commemoratio beneficiorum, versu 4. & 5. Commemorantur autem beneficia quatuor: (1) eductio è servitute Ægyptiaca, v. 4. (2) gubernatio in itinere per Mosen, Aharonem & Mirjamum, ibidem. (3) defensio contra conatum malignum Balaki, v. 5. (4) Victoriæ de inimicis: puta Madjanitis, Sichone & Ogo, ibid.

## DE SECUNDA PARTE.

Rejectio sacrificiorum constat dialogismo: ubi populus interrogat prophetam, quomodo favorem Domini conciliare sibi debeat, & promittit sacrificia, vers. 6. & 7. Propheta autem respondet: & primùm sacrificia rejicit, v. 7: deinde postulat beneficentiam & timorem Dei, v. 8.

## DE TERTIA PARTE.

Comminationi pœnarum præmittitur exordium, continens propositionem generalem: ubi indicatur pœnarum illarum author. Peccata autem propter quæ pœnæ denuntiantur, indican-

tur tria: (1) injustitia in contractibus, ac nominatim in falsatione mensurarum ac ponderum, v. 10. & 11. (2) mendacia, v. 12. (3) idololatria: quæ significatur per exempla duo similia, v. 16. Pœnæ indicantur quatuor: (1) desolatio regionis, v. 13. & 16. (2) fames, v. 14. (3) cædes uxorum ac liberorum, ibidem. (4) spoliatio victualium, v. 15. quæ amplificatur antithesi laboris circa illa suscepti, & spei de eisdem conceptæ.

## SCHOLIA IN CAP. VI.

v. 2.

**R**Obustissima] *Hebr. Robusta illa. Jisraële] Populo Israëlitico.*

3 Fatigavi te] *Molestus tibi fui. Synecdoche speciei. Testificare] Hebr. Responde. Synecdoche generis.*

4 Quum educens te &c.] *Hunc versum nostri connectunt cum sequente per enuntiatum relativum temporis: sed hæc connectio videtur mihi contortior: ac proinde versum hunc lego per se, & sic reddo: Certè eduxi te ex terra Ægypti, & è domo servorum redemi te: misiq; ante te Mosen, Aharonem & Mirjamum. Certè] Hebr. ʔ. In qua significatione hæc vocula etiam alibi reperitur: ut videre est Deut. 4. v. 22. Et in libro Jobi crebriò: ut cap. 8. v. 6. cap. 19. v. 28. cap. 31. v. 34 cap. 36. v. 18. Eduxi] Hebr. Ascendere feci. E domo servorum] *Ubi pressus fuisti durâ servitute. Misi] Tanquam duces. Mirjamum] Sororem illorum, quæ & ipsa prædita fuit dono prophetandi. Vide Exod 15. v. 20. & deinceps: Num. 12. v. 2.**

5 Quid consilii iniverit] *Scil. contra te. Nempe ut redderet te maledictum seu execrabilem Deo. Vide Num. 23. Hebr. Quid consuluerit. Ut agnoscens &c.] Contorta mihi videtur hæc interpretatio propter supplementum verbi, dicas. Sic autem vertendum judico: Recordare quid evenerit tibi inde à Schittimis Gilgalem usq; ut agnoscas (sive agnosceres) justè facta Jehova. Justè facta] *Nempe victorias de inimicis tuis: puta Madianitis, Sichone rege Chesbbonis, & Ogo rege Baschanis. Num. 31. Deut. 2. & 3. Hebr. Justitias. Metonymia formæ. Sic Judic. 5. v. 11.**

6 Quâ-



6 Quânam re &c.] Hic introducitur populus loquens, & ad precedentem prophetæ sermonem respondens. Veniam ante Jehovam] Verto, Obviam ibo Jehovæ. Id est, studebo mihi conciliare favorem ejus. Sic mox iterum. In hac significatione phrasis Hebraica occurrit & alibi: ut videre est Deut. 23. v. 4. Nehem. 13. v. 2. Honorem habens] Supplementum non necessarium. Excelso] Hebr. Excelsitatis, sive altitudinis. Genitivus adjuncti. Anniculis] Hebr. Filiis anni.

7 Accepta] Grata. Ingenem. An accepta haberet &c.] Hoc dicit propheta in sua persona: & interrogatio vim habet negandi. An darem] Hic rursus loquitur populus. Verto autem, An dabo. Fructum ventris] Filium. Periphrasis. Ventris] Seminis genitalis quod è vasis seminalibus in imo ventre contentis profluxit. Metonymia subjecti gemina.

8 Indicavit tibi] Hic rursus loquitur propheta. Indicavit tibi: scil. Jehovæ. Bonum] Rectum, justum. Synecdoche generis. Requisivit] Verto, requirit. Ut exerceas] Hebr. Facere. Sic deinceps. Modestè ambules] Malim, Demissè ambules. Hebr. Demissè facere ambulando.

9 Ipsi civitati prædicat] Verto, Civitatem inclamat. Nempe Hierosolymam. Id est, habitatores illius. Nam] Heb. Et. Quod res est] Quod in civitate agitur. Hebr. Essentiam. Videt nomen tuum] Vides tu, ô Jehovæ. Apostrophe. Et metonymia adjuncti. Virgam] Id est, prophetiam de virga. Metonymia objecti. Per virgam autem intelligitur afflictio qua Hierosolymitani erant affligendi. Metaphora. Potest etiam reddi baculus. Accersat] Hebr. Desponsat. Metaphora. Istud] Malum istud quod modo per virgam fuit significatum. Pronomen Hebraicum est generis fœminini: sed capitur hic absolutè ex more lingue. Nam ut referatur ad ipsam vocem <sup>וַיִּקַּח</sup>, id est, virga: non patitur Grammatica: quia vox illa est generis masculini.

10 Sítne cuiquam &c.] Verto, Súnne in domo improbi, thesauri improbitatis? Vocem <sup>וְיִשְׁכַּח</sup> apparet positam esse pro voce <sup>וְיִשְׁכַּח</sup>: quæ usurpatur pro verbo substantivo; idq; tam in plurali quàm singulari numero. Similem metaplasum vide 2. Sam. 14. vers. 19. Minutum] Hebr. Maciei. Id est, macrum. Genitivus adjuncti: & metaphora.

11 Purum haberem] *Hebr. Purificarem.* Et inditis loculo &c.] *Verto, Et cum loculo ponderum dolosorum. Hebr. Lapidum doli. Genitivus adjuncti: & metonymia materiae.*

12 Cujus civitatis &c.] *Ego versum hunc connecto cum sequente per enuntiatum relativum causae, & sic interpretor: Quoniam igitur divites illius pleni sunt violentiâ, & habitatores ejus loquuntur falsum: linguâq; eorum dolosa est in ore ipsorum: etiam ego &c.* Quoniam] *Hebr. ִּשְׁמַרְתִּי.* In qua significatione vox ista alibi quoq; reperitur, ut *Jerem. 32. vers. 19.* & alibi passim. Illius] *Nempe civitatis Hierosolymæ, ex v. 9.*

13 Percutiendo te] *O popule. Nam pronomem affixum est generis masculini.*

14 Medio] *Hebr. Intimo.* Amovebis] *Scil. uxores & liberos: ut percipitur è sequentibus.* Sed] *Hebr. Et.* Liberabis] *Scil. ab hoste. Hebr. Evadere facies. Sic mox iterum.*

15 Sed] *Hebr. Et. Sic deinceps.* Olivas] *Hebr. Oleam. Metonymia efficientis. Vel, Olivam. Synecdoche membri.* Mustum] *Id est, uvas. Metonymia effecti.*

16 Etenim] *Hebr. Et.* Assiduè observat] *Suppleo, Unusquisq;.* Homri] *De hoc vide 1. Reg. 16. v. 25. vel 27.* Totum opus] *Vel, Omne opus. Id est, omnia opera.* Achabi] *De hoc vide 1. Reg. 16. v. 30. & deinceps.* Ipsius] *Nempe civitatis Hierosolymæ.* Itaque] *Hebr. Et.* Opprobrium populi mei] *Id est, pœnam quam commeruistis opprobrio afficiendo populum meum: id est, pios in medio vestri. Metonymia efficientis: & genitivus objecti: & synecdoche integri.*

## OBSERVAT. EX CAP. VI.

1.  
*Officium  
fidelium.*

EX v. 1. & 2. Ad officium fidelium pertinet, ut increpationes pastorum suorum, ex verbo Dei depromptas, patienter audiant, easq; tanquam æquas & justas amplectantur.

2.  
*Cultus Dei.*

EX v. 3. In Deo nulla culpa residet, cur homines qui se populum ejus profitentur, colere ipsum negligant.

EX v. 4.

Ex v. 4. & 5. Beneficiorum Dei consideratio <sup>3.</sup> *Beneficia Dei.*  
excitare nos debet ad ipsum studiosè ex ipsius  
præscripto colendum.

Ex v. 6. 7. & 8. Verus Deicultus non consistit <sup>4.</sup> *Cultus Dei.*  
in operibus externis, quantumvis splendidis: sed  
in filiali reverentia erga ipsum, & sincera dilecti-  
one proximi beneficiâq; erga illum.

Ex v. 9. Quum pastores ecclesiarum populo <sup>5.</sup> *Officium auditorum verbi Dei.*  
ex verbo Dei denuntiant pœnas: statuere debet  
populus, Deum ipsum sua voce pœnas illas de-  
nuntiare.

Ex eodem versu. Deus omnia videt quæ in <sup>6.</sup> *Omniscientia Dei.*  
civitatibus geruntur. Quare nemo peccet spe  
latendi.

Ex eodem versu. Deus est is qui virgas accer- <sup>7.</sup> *Castigationes divinas.*  
fit ad castigandum populum suum.

Ex v. 10. & seqq. Injustitia in contractibus, <sup>8.</sup> *Injustitia. Mendacia. Idololatria*  
mendacia, & idololatria, cavenda sunt: quia Deus  
propter ista peccata pœnas populo Israëlitico  
denuntiavit, atq; etiam intulit.

C A P U T V I I.

**H**Ei mihi, quum sim tanquam  
interceptis æstivis fructibus,  
tamquam *interceptis* racemis vin-  
demix, nullus est botrus ad com-  
edendum, præcocem fructum de-  
siderat anima mea.

2 Periit benignus è terra hac,  
& rectus in hominibus his nullus  
est: quotquot sunt, ad cædes insi-  
diantur, quisq; fratrem suum ve-  
nantur plagis.

3 Ut malefaciant ambæ ma-  
nus strenuè, princeps poscit, & ju-

dex pro retributione: & qui ma-  
gnus est, eloquitur ærumnam de-  
sideratissimam sibi esse, quam  
contorquent.

4 Optimus istorum similis est  
spinæ, rectissimus præ spineto est:  
dies speculatorum tuorum, anim-  
adversio tua advēnit, nunc erit  
perplexitas istorum:

5 Ne creditote amico, ne con-  
fiditote duci: ab ea quæ cubat in  
sinu tuo observa fores oris tui.

6 Nam filius turpitudine affi-

Q

cit patrem, ~~filia~~ insurgit in matrem suam, nurus in socrum suam; inimici cujusq; *sunt* domestici ipsius.

7 Quapropter ego Jehovam versus specularbor, præstolabor deum salutis meæ, exaudiet me deus meus.

8 Ne lætator, inimica mea, de me; quum cecidero, surgā: quum sedero in tenebris, Jehova illucescet mihi.

9 Indignationem Jehovæ feram, quia peccavi in eum; usque dum contendat contentionem meam, & exerceat jus meum, producens me in lucem ut fruatur justitia ejus.

10 Nam respiciens inimicam meam, operies eā pudore, dicentem mihi, Ubi est Jehova deus tuus? oculi mei videbunt illam, nunc futura est conculcationi ut lutum platearum.

11 Quo die ædificaturus est macerias tuas, eo die in longinquum abibit decretum:

12 Die *inquam* illo, quum ad te venturus est inde ab Assyria usque ad civitates munitas; & inde à civitatib. munitis usq; ad flumen, & ad mare unum ab altero, & à monte uno ad alterum:

13 Postquam fuerit hæc terra desolationi propter habitatores

ipsius; propter fructum actionum ipsorum:

14 Pasce populum tuum cum pedo tuo, gregem possessionis tuæ habitantem solitariè, in silva, in medio arborum: depascant Baschanem & Gilhadem, ut diebus præscis:

15 Ut diebus quib. egressus es è terra Ægypti, faciam ut videat ille mirabilia.

16 Videntes gentes erubescunt præ tota potentia illorum, imponent manum ori, aures illarum obsurdescent:

17 Lingent pulverē ut anguis, ut serpentes terrestres, commovebuntur è claustris suis: ad Jehovam deum nostrum pavidi accurrent, & timebunt à te.

18 *Quis est Deus* fortis par tibi? condonans iniquitatē, & præteriens defectiōnem reliquiis possessionis suæ; non retinens in æternum iram suam, eò quòd delectetur benignitate?

19 Conversus miserebitur nostri, subiget iniquitates nostras: imò projecturus es in profundissimum maris omnia peccata istorum.

20 Præstabis fidē *datam* Jakob, benignitatem *datam* Abrahamo; quam juraveras majoribus nostris à diebus præscis.

### ANALYSIS CAP. VII.

**C**apitis hujus tres sunt principales partes. In prima conqueritur propheta de paucitate piorum in populo Judaico, & de injustitia impiorum. In secunda cœtus piorum se ipse consolatur à spe liberationis divinæ, *ψ. 7.* &c. In tertia prophe-

propheta consolatur pios promissione instaurationis, ψ. 11. & seqq.

## DE PRIMA PARTE.

Paucitas piorum (1) significatur simili, versu 1. (2) verbis propriis, versu 2. Injustitia impiorum declaratur per partes sex. Eæ sunt: (1) insidiæ ad cædes, illustrata simili, vers. 2. (2) *δωροδοκεία*, vers. 3. (3) abusus potentiae ad opprimendum tenues, ibidem: illustratur simili, ψ. 4. (4) perfidia amicorum etiam intimorum, ψ. 5. (5) contemptus parentum & eorum qui sunt loco parentum, versu 6. (6) inimicitia domesticorum, ibid. Cæterum versu 4. inferitur comminatio.

## DE SECUNDA PARTE.

Spem suam profitentur pii (1) in genere, ψ. 7. (2) in specie, ψ. 8. Ubi liberatio sperata amplificatur antithesi prægressuræ afflictionis; & tum afflictio, tum liberatio illustratur simili duplici. Adhæc afflictio illa declaratur è causis impulsivis quæ Deum ad illam immittendam moverunt: tum antecedente, indignatione Dei: tum pro-catarcticâ, peccatis populi, ψ. 9. Liberatio autem (1) illustratur ibid. simili duplici: (2) declaratur à causa impulsiva antecedente. (3) amplificatur ab eventis tribus, ψ. 10: videl. (1) hostium pudefactione: ubi antithesis præsentis eorum petulantiae: (2) voluptate populi Dei ex aspectu vindictæ: (3) hostium deletionem, quæ significatur per simile.

## DE TERTIA PARTE.

Instauratio illa Ecclesiæ tractatur octo modis. (1) significatur simili, ψ. 11. (2) amplificatur ab ad-

Q. 2

junctâ amplitudine per aggregationem electo-  
rum ex gentibus, *ψ*. 11. & 12. Quæ aggregatio il-  
lustratur & amplificatur distributione vocando-  
rum atq; aggregandorum è subjectis locis. (3) ipsa  
instauratione illustratur antithesi antegressuræ va-  
stationis terræ Israëlis, *ψ*. 13. (4) illustratur simili-  
tudinis, *ψ*. 14. (5) amplificatur ab exemplo simili,  
*ψ*. 15. (6) amplificatur ex eventu, videl. conver-  
sione electorum ex gentibus: quæ significatur  
per partes quinque: puta (1) agnitionem pecca-  
torum, ibi, *Erubescant*, *ψ*. 16. (2) confessionem  
peccatorum, ibi, *Imponent manum ori*, ibid. (3) me-  
tum iræ Dei, ibi, *Aures illarum obsurdescent*, ibidem.  
Item ibi, *Pavidi*, *ψ*. 17. Hic metus illustratur simi-  
li, *ψ*. 17. in principio. (4) fidem in Christum, ibi,  
*Ad Jehovaham deum nostrum accurrent*, *ψ*. 17. (5) reve-  
rentiam erga Ecclesiam: sub qua continetur ob-  
edientia erga disciplinam ecclesiasticam, ac pro-  
inde studium bonorum operum. Atque hæc de  
eventu. (7) declaratur instauratione illa ex causa  
impulsiva antecedente, videlicet misericordia  
Dei in condonandis peccatis, *ψ*. 18. & 19. (8) con-  
firmatur à testimonio juramenti Dei, *ψ*. 20.

## SCHOLIA IN CAP. VII.

- ψ*. 1. **Q**UUM SIM &c.] *Verto, Quòd sum tanquam iter faciens*  
post collectiones fructuum æstivorum, tanquam iter fa-  
ciens post racemationes vindemiæ. Nullus est botrus quem com-  
edam: nullus fructus præcox quem concupiscit anima mea. Sen-  
sus est, Nemo est in populo Judaico, cujus operibus delectari possim.  
*Allegoria metaphorica.* Fructuum æstivorum] *Hebr. Æstatis.*  
*Metonymia subjecti, vel efficientis: diverso respectu. Sic Am. 8.*  
*v. 1. Quem comedam] Hebr. Ad comedendum.*  
2 Perit benignus &c.] *Epexegetis. Hac] In Hebræo est ar-  
ticulus.*

*ticulus. Sic mox iterum. Quotquot sunt ] Hebr. Cuncti ipsi. Cædes ] Hebr. Sanguines. Metonymia objecti, vel effecti: diverso respectu. Plagis ] Seuretibibus. Hebr. reti.*

3 *Strenue ] Hebr. Benefaciendo. Poscit ] Scil. munus. Pro retributione ] Suppleo, judicat. Ellipsis verbi relati. Magnus ] Potens, autoritate præditus. Eloquitur &c. ] Verto, Is loquitur ærumnam quam expetit, eandemq; contorquent. Hebr. Loquens ærumnam animæ suæ est, & contorquent eam. Anima pro appetitu per metonymiam efficientis. Et ærumna animæ, id est, quam quis expetit: genitivus adjuncti occupati. Contorquent ] Firmam efficiunt. Metaphora à restionibus qui funes contorquent.*

4 *Optimus ] Hebr. Bonus. Similis spinæ ] Hebr. Sicut spina. Rectissimus ] Hebr. Rectus. Præ spineto est ] Verto, Spinosior est spineto. Hebr. Spinofus est præ spineto. Ellipsis nominis conjugati. Dies speculatorum tuorum ] Id est, quem tibi denuntiarunt speculatores tui: hoc est, propheta tui. Vide Ezech. 3. v. 17. Genitivus adjuncti occupati. Animadversio tua ] Appositiō, & epexegetis. Sic autem verto, Visitatio inquam tui. Nempe qua visitaberis à Deo irato. Istorum ] Nempe impiorum istorum de quibus hæctenus conquestus est.*

5 *Ne creditote amico ] Hebr. In amico: ita ut fiducia notetur quæ in aliquo ponitur: sicut & verba sequentia per epexegetin declarant. Et in hac significatione verbum credendi usurpasse videtur Virgilius, quum scripsit:*

*O formose puer, nimium ne crede colori.*

*Duci ] Hebr. In duce. Quæ ratione loquendi Latini quoq; utuntur. Ducis autem vocabulo hic metaphoricè intelligitur is qui aliquem juvat consilio: ut Psal. 55. v. 14. Ab ea quæ cubat in sinu tuo ] Id est, ab uxore tua. Periphrasis adhibita ad amplificandum. Non debuit autem præpositio In scribi ut supplementum: quia nulla est in Hebræo ellipsis, sed phrasis quæ sic sonat ac si dicas, A cubante (scil. muliere) sinus tui: seu, à cubatrice sinus tui. Observa ] Malim, Custodi. Custodi fores oris tui: id est, Cave ne quid arcani apud illam effutias. Synecdoche generis. Fores ] Hebr. Ostia. Id est, labia. Metonymia subjecti, & metaphora.*

6 *Turpitudine afficit ] Malim, Vilipendit. Verbum Hebraicum in Kál significat Cadere seu decidere: & videtur propriè dici*

de foliis marcidis ac flaccidis quæ facile propter levitatem & rari-  
tatem de arboribus decidunt. Domestici] Hebr. Homines do-  
mūs.

7 Quapropter ego] *Verto*, Ego autem. Loquitur hic cœ-  
tus piorum. Deum salutis meæ] *Qui salutem meam efficit. Ge-  
nitivus effecti.*

8 Inimica mea] *Multitudo impiorum. Illucescet mihi]*  
*Verto*, Lux mihi erit.

9 Contendat contentionem meam] *Seu, disceptet litem*  
*meam. Id est, agat causam meam. Exerceat]* Hebr. *Faciat.* Pro-  
ducens] Hebr. *Producat.* Ut fruatur justitia ejus] Hebr. *Videbo*  
*in justitia ejus.*

10 Nam] Hebr. *Et.* Respiciens] *Malim, aspiciens. Hebr.*  
*Videbis & operies.* Dicentem] *Quæ dicit.* Videbunt illam]  
*Verto, Videbunt in illa malum. ut Psal. 54. v. 9.*

11 Quodie &c.] *Hæc loquitur propheta ad cœtum piorum.*  
*Quo die ædificaturus est]* Hebr. *Die ædificandi.* Macerias  
tuas] *Comparat cœtum piorum tugurio. Confer Am. 9. vers. 11.*  
*Decretum]* *Sive statutum. Id est, doctrina Evangelii. Synecdoche*  
*generis.*

12 Die inquam illo] *Verto*, Die illo etiam ad te usq; ventu-  
rum est illud, qui habitas inde ab Assyria usq; ad munitiorem, &  
inde à munitiorem usq; ad fluvium, & ad mare unum ab altero, &  
ad montem unum ab altero. Venturum est illud] *Nempe de-  
cretum seu statutum illud cujus proximè facta est mentio. Decla-  
ratur enim hoc versu quod dictum est in fine precedentis, decre-  
tum illud in longinquum abiturum. Qui habitas]* *Ellipsis ver-  
bi relati. Usque ad]* *Ex consequentia sententiarum apparet, vo-  
cem* ׀ׁׂ׃ *irrepisse pro voce* ׀ׁׂ׃, *sequente scil. makkaph. Mu-  
nitionem]* *Id est, Ægyptum. Synecdoche generis. Fluvium]*  
*Scil. Euphratem. Synecdoche qualis modo. Ad mare unum ab*  
*altero &c.] Hebr. Ad mare à mari, & ad montem à monte.*

13 Postquam fuerit] *Bene expressâ sententiâ. Hebr. Et fiet.*  
*Hæc]* *In Hebræo est articulus. Propter fructum &c.] Epexe-  
gesis. Fructum]* *Id est, pœnam. Metaphora. Actionum]* *scil.*  
*malorum. Synecdoche generis.*

14 Pasce] *Verto*, Pasce igitur. Sunt verba prophetae ad Chri-  
stum. Co-



stum. Coheret autem hîc versus cum versu 11. & 12. ubi propheta narravit futuram propagationem Evangelii ex Judæa in regiones gentium ad omnes mundi plagas. *Pasce*] Id est, guberna. *Populum tuum*] Electos Israëlitas. *Pedo tuo*] Hebr. *Virgâ tuâ*. Synecdoche generis. Id est, verbo tuo. *Metaphora*. *Gregem*] Vox Hebræa *קָרָן* usitatè significat gregem ovium. Et ita electi ovibus à Christo comparantur. *Possessionis*] Sive hereditatis. *Habitantem*] Hebr. *Habitantes*. Scil. oves. *Syntaxis* refertur ad sensum. *Habitantem solitariè*] Hebr. *Habitatores solitudinis*. *Genitivus adjuncti*. *Baschanem*] Montem pascuosum. *Gilhadem*] Regionem pascuosam. *Priscis*] Hebr. *Seculi*.

15 *Ut diebus*] Hîc respondet Christus ad petitionem prophete. *Quibus egressus es*] Tu popule Israëlitice. *Ille*] Grex meus: *cujus facta mentio versu precedente*.

16 *Gentes*] Hostes Ecclesiæ. *Præ*] Verto, Propter. Hebr. *כִּי*. *Potentia*] Quæ se exferet in prædicatione Evangelii. Vide 2. Corinth. 10. v. 45. 6. *Imponent manum ori*] Non poterunt contradicere doctrinæ Evangelii. Hebr. *Ponent manum super os*. *Obsurdescent*] Obturabunt aures ex impatientia audiendi verbum Dei.

17 *Terrestres*] Hebr. *Terræ*. ut Deut. 32. v. 24. *Pavidi accurrent*] Hebr. *Pavebunt*. ut Ose. 3. v. 5.

18 *Deus fortis*] Verto simpliciter, Deus. *Defectionem*] Sive transgressionem. *Possessionis*] Verto, hereditatis. *Per hereditatem autem Dei intelligitur populus ejus*, propterea quòd eum charum habet.

19 *Conversus miserebitur*] Hebr. *Revertetur, miserebitur*. *Imò*] Hebr. *Et*. *Profundissimum*] Hebr. *Profundi:ates*.

20 *Præstabis*] Hebr. *Dabis*. *Fidem*] Hebr. *Veritatem*. *Datam*] Supplementum hoc non videtur hîc necessarium, in sequente autem membro etiam ineptum. *Juraveras*] Verto, juravisti. *Majoribus*] Hebr. *Patribus*. *Priscis*] Hebr. *Antiquitatis*.

## OBSERVAT. EX CAP. VII.

EX v. 1. & 2. Non est quòd tanquam renova <sup>1.</sup> Ecclesiæ. offendamur, quum videmus paucos esse

Q. 4

pios in eo cœtu in quo degimus. nam idem Ecclesiæ status fuit temporibus prophetæ Michæ. Confer Psal. 12. v. 2.

2. *Pii.* Ex v. 1. Pii Deo grati atq; accepti sunt: sicut viatori fructus æstivi & botri.

3. *Injustitia.* Ex v. 3. 4. 5. & 6. Omnis injustitia fugienda est: tum quòd pii eâ offenduntur, tum quòd injustos pœna Dei manet.

4. *Ecclesia.* Ex iisdem versibus. Quum videmus omne genus injustitiæ in Ecclesia regnare, non est quòd tanquam re novâ offendamur: nam idem fuit Ecclesiæ status temporibus Michæ.

5. *Persecutio.* Ex v. 7. 8. 9. & 10. Contra persecutionem & insultationem hostium Ecclesiæ, consolari nos debemus spe liberationis divinæ, & vindictæ de hostibus.

6. *Ecclesia.* Ex v. 11. & seqq. usque ad finem. Instauratio quam hîc Ecclesiæ veteri promisit Deus, ab eodem est præstita, & adhuc quotidie præstatur. Hinc patet propheticæ scripturæ veritas.



## ANALYSIS PROPHE- TÆ NAHUMI.

### CAPUT I.

**P**rophetia onerosa Nineves, liber visionis Nahumi Elkoschæi. hostes suos, & asservat iram in inimicos suos.

2. *Deus* fortis zelotes & ultor est Jehova, ultor est Jehova & exsurgens; ultor est Jehova in turbine & procella est, & nubes pulvis

3. Jehova longanimis est, & magnus virtute, sed ullo pacto non absolvit; Jehovæ via cum turbine & procella est, & nubes pulvis

pulvis pedum ejus est.

4 Increpans mare arefacit ipsum, & omnia flumina exsiccat; languescit Baschan & Carmel, etiam flos Libani languescit.

5 Montes commoventur ab eo, & colles sese dissolvunt; conflagratq; terra à conspectu ejus, & orbis habitabilis cum omnibus habitantibus in eo.

6 Coram indignatione ejus quis subsistat? & quis consistat in æstu iræ ejus? *quum* excandescencia ejus funditur velut ignis, ipsæ rupes evertuntur ab eo.

7 Bonus est Jehova, robori est tempore angustiarum: & agnoscit recipientes se ad ipsum.

8 Itaque inundatione pervadente, affecturus est consumptione locum illius: & inimicos ejus persequentur tenebræ.

9 Quid cogitaretis adversus Jehovam? consumptione affecturus est; non surget bis angustia.

10 Nam æquè ac spinæ perplexi, & tanquam si mero obruti

essent, inebriati; consumuntur, velut stipula arida planè.

11 Ex te prodiit; cogitans contra Jehovam malum; consultor nequam.

12 Sic ait Jehova, Si pacem coluissent, ita etiam ampli fuissent; aut fuissent ita tonsi ut transivisset: ut affligeram te, non afflicturus fuisssem te ampliùs.

13 Nunc verò fracturus sum lorum istius, ne incumbat tibi; & vincula tua dirumpam.

14 Præcipit enim Jehova contra te, *ô Ninevita*, non feretur de nomine tuo ampliùs: è domo deorum tuorum excindam sculptile & fusile, disponam sepulcrum tuum, postquam vilueris.

15 Ecce super his montibus pedes evangelizantis, promulgantis pacem, *dicentis*, Celebra Jehuda festa tua, repende vota tua: nam non perget ampliùs transire in te nequam, totus excisus est.

## CAPUT II.

**A**scendit dissipator contra faciem tuam, *Nineve*, custodi munitionem: speculari viam, confirma lumbos, fortifica vires valde.

2 Nam reversus est Jehova cum excellentia Jahakobi, ut *qui sit* excellentia Jisraëlis: quia evacuarunt eos depopulatores, & palmites eorum corruerunt.

3 Clypeus potentium ejus rubricatus, bellatores coccinati, cum igne *tædarum erunt* currus quo die instruet *prælium*; quum abie-

tes agitabuntur horridè.

4 Per vicos insanient currus, allident sese per plateas; species earum tamquam *tædarum erit*, tanquam fulgura percurrunt.

5 Recensebit magnificos suos, *sed* corruent in ambulatione illorum; festinabunt ad murum illius, quasi paratus fuisset protector.

6 Portæ fluminum aperientur; & ipsum templum dissolvetur:

7 Et statione positâ deportabitur *Nineve*, deducetur: cum ancillis suis comitantibus. voce simili

Q 5

columbarum, quæ tympana pulsant ex animo suo.

8 *Fuit* quidem Nineve velut piscina aquarum, ex quo tempore est; sed ipsos fugientes, *dicens*, Consistite, consistite, nullus avertet.

9 Diripite argentum, diripite aurum; & infinitum apparatus istum, gloriam ex omnibus instrumentis desiderabilibus.

10 Vacuitas, & quidē vacuissima & exinanita erit: & animus liquefactus, ac collisio genuum, ac dolor in omnib. lumbis, & facies eorum omnium contrahent nigrorem, *dicentium*,

11 Ubi est lustrum leonum, & quod pascuum erat juvenum leonum? quò ibat leo, quò leunculus, catulus leonis, nemine deterente?

12 Leo *inquam* rapiens quantum sufficiebat catulis suis, & strangulans leunculis suis; qui implebat rapina cavernas suas, & lustra sua rapto?

13 Ecce me contra te, dictum Jehovæ exercituū, ut comburam in fenum currus ejus, & juvenes leones tuos consumat gladius; ita excindam è terra rapinam tuam, neq; audietur ampliùs vox nuntiorum tuorum.

### CAPUT III.

**V**Æ civitati sanguinatæ; *qua* tota est mendacio & lacera-to plena, non amover rapinam.

2 Sonus flagelli, & sonus commotionis rotæ, & equi plaudentis, currusq; salientis *futurus est*.

3 Eques inducens & flamman-tem gladium, & coruscantem hastã, & multitudinem confessorum, & ingentem numerum cadaverum; deniq; infinita corpora, *adeò ut* impingatur in corpora illorum:

4 Propter amplitudinem scortationum scorti, pollentis gratia, magistræ præstigiaram; quæ venundabat gentes scortationibus suis, & familias præstigiis suis.

5 Ecce me contra te, dictum Jehovæ exercituum, & retegam fimbrias tuas *replicans* in faciem tuam: ut ostendam gentibus nuditatem tuam, & regnis ignominiam tuam:

6 Et projiciens in te res dete-

standas, turpitudine afficiam te, disponamq; te ut speculum.

7 Eritq; ut quisque videntium te aberret à te, ac dicat, Vastata est Nineve, quis condoleat ei? unde quærerem consolatores tibi?

8 An meliùs esset tibi quàm No nutriciæ, sitæ inter rivos, aquis circumdatæ; cui præmunitio est mare, à mari est murus ejus?

9 Æthiopia robori erat, & Ægyptus, infinitaq; gentes: Putæi, & Libyes erant auxilio tibi:

10 Etiã hæc deportationi *fuit*, abivit in captivitatem, etiam parvuli ejus illisi sunt in capite omnium vicorum: & super honoratos ejus projecerunt sortem, denique omnes magnates ejus vincti fuerunt compedibus.

11 Tu quoq; inebriaberis, eris latitans; tu quoq; desiderabis robur propter inimicum.

12 Omnes munitiones tuæ *similes*

*miles ficubus cum primitivis fructibus; si moveantur, illicò cadent in os comedentis.*

13 Ecce populus tuus, *ut* fœminæ, in medio tui *erit*: inimicis tuis omnino aperientur portæ terræ tuæ; absumet ignis vectes tuos.

14 Aquas obsidionis hauri tibi, firma munitiones tuas: ingredi in lutum, & calca argillam, refice fornacem laterariam:

15 Ibi consumet te ignis, excindet te gladius, comedet te ut melolontha: numerosum effice te ut melolontha, numerosam effice te ut locusta.

16 Multiplicasti negotiatores tuos præ stellis cæli; *ut* melolontha irruit & avolat, *avolabunt*:

17 Diademati tui similes locustæ, & imperatores tui ut praecuris foraminum; quæ castra metantur per sepes tempore frigoris, *sed* sole exorto errant, ita ut non dignoscatur locus ullius earum ubi fuerint.

18 Dormitabunt pastores tui, ô rex Assyriæ, jacebunt magnifici tui; abundabunt populus tuus super istos montes nemine congregante.

19 Nulla *est* contractio fracturæ tuæ, ægra *est* plaga tua: quicumque audient rumorem tuum complodent manu super te, nam quem non pervasit afflictio tua jugiter?

A N A L Y S I S C A P. I. II. ET III.

**H**Oc libello propheta Nahum denuntiat interitum urbi Ninevæ: idque ad solatium Israëlitarum, qui à Ninevitis fuerant oppressi. Præfigitur titulus, *ψ*. 1. Quo indicatur summa hujus prophetiæ, & author, & minister. Cæterùm denuntiatio interitus illius primùm confirmatur: deinde interitus ipse tum declaratur, tum illustratur, tum amplificatur. Confirmatio continetur ipso exordio hujus prophetiæ, à versu 2. usq; ad 8. Petita est autem à Dei denuntiantis tum voluntate, tum potentia. Deus & vult & potest perdere Nineven: ergo perdet. Vult: (1) quia ultor est, *ψ*. 2. (2) quia justus est, *ψ*. 3. (3) quia beneficus est erga oppressos qui confugiunt ad opem ipsius, *ψ*. 7. Potest: (1) quia excitat tempestates, *ψ*. 3. (2) quia exsiccat mare & fluvios, *ψ*. 4. (3) quia arefacit montium gramen & germina, ibidem.

(4) quia nec res inanimæ, nec homines, sustinere possunt iram ejus, *ψ*. 5. & 6. Atque hæc de denuntiationis confirmatione. Jam interitus ipse declaratur tribus modis: videlicet à causis procatarcticis, à causis ministris, & à modo agendi. Causæ procatarcticæ quæ Deum ad interitum Ninevitis immittendum moverunt, sunt illorum peccata: quorum indicantur quinque: (1) fraudes, (2) superbia, (3) oppressio populi Israëlitici, (4) idololatria, (5) rapinæ. Fraudes significantur simili spinarum, cap. 1. *ψ*. 10. & simili blanditiarum meretriciarum, item simili præstigiatarum, cap. 3. *ψ*. 4. Superbia significatur simili ebrietatis, cap. 1. *ψ*. 10. Oppressio populi Israëlitici primùm significatur verbis generalibus, cap. 1. *ψ*. 11. deinde amplificatur, versu 12: idque quinque modis. (1) à causa procatarctica quæ Deum movit ut illam permitteret, ibi, *Si pacem coluissent*: vel, secundùm aliam versionem, *Si integri fuissent*. (2) antithesi perseverantiæ in pristino statu, ibi, *Ita etiam ampli fuissent*. (3) antithesi castigatiōis tolerabilioris, ibi, *Aut fuissent ita tonsi ut transivisset*. (4) exemplo simili, ibi, *Ut afflixeram te*. (5) antithesi liberationis ab illa oppressione, quam eis promittit: significatam simili duplici, confectionis jugi, & disruptionis vinculorum, *ψ*. 13. Atque hæc de oppressione. Idololatria indicatur cap. 1. *ψ*. 14. ibi, *E domo deorum tuorum &c*. Rapinæ indicantur cap. 2. *ψ*. 11. 12. & 13. illustratæ simili rapinæ leonum. Item cap. 3. *ψ*. 1. & *ψ*. 19. per verbum afflictionis. Atq; hæc de causis procatarcticis interitus Nineves. Causæ ministræ indicantur

indicantur cap. 2. *ψ*. 1. ibi, *Ascendit dissipator*. quo vocabulo intelliguntur Medi & Scythæ: qui ibidem *ψ*. 3. describuntur à vestitu, & armis. Jam ad modum agendi quod attinet, is per varias actiones tum hostium oppugnantium, tum ipsorum Ninevitarum oppugnationem non sustinentium significatur: ut videre est cap. 2. *ψ*. 1. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. & 13. Item cap. 3. *ψ*. 2. 3. 11. 13. 15. 16. 17. & 18. Et sic interitus Nineves declaratur. Illustratur autem duobus modis: (1) similibus variis, (2) exemplo simili. Comparatur enim interitus ille (1) inundationi, cap. 1. *ψ*. 8. (2) tenebris, ibid. (3) destructioni lustri leonum, cap. 2. *ψ*. 11. (4) refectioni pudendi honestæ matronæ, cap. 3. *ψ*. 5. (5) speculo, *ψ*. 6. (6) ebrietati, *ψ*. 11. (7) decussioni ficuum maturarum, *ψ*. 12. (8) comestioni melolontharum, *ψ*. 15. (9) avolationi melolontharum & aliarum locustarum, *ψ*. 16. & 17. (10) letali fracturæ seu vulneri, *ψ*. 19. Atque hæc sunt similia quibus interitus Nineves illustratur. Jam exemplum simile quo idem interitus illustratur, est everfio urbis Alexandria, quæ in textu appellatur No, cap. 3. *ψ*. 8. Hæc everfio amplificatur duobus modis: (1) à causis corrumpentibus, (2) ab eventis. Causæ corrumpentes quæ videbantur everfionem hanc posse avertere, indicantur tres: videl. (1) multitudo inhabitantium: ubi nominatur *ימא* id est, populosa: quod nostri reddiderunt, *nutricia*, *ψ*. 8. (2) situs intra mare, ibid. (3) populi focii & auxiliares, *ψ*. 9. Eventa indicantur quatuor, *ψ*. 10. (1) ibi, *Etiam hæc deportationi fuit*. (2) ibi, *Etiam parvuli ejus illisi sunt*. (3) ibi, *Et super honoratos ejus projecerunt sortem*. (4) ibi, *Deniq; omnes*

*magnates ejus vincti fuerunt compedibus.* Atque sic interitus Nineves illustratur. Amplificatur autem duobus modis: (1) à causis corrumpentibus, (2) ab eventis. Causæ corrumpentes quæ videbantur interitum hunc posse avertere, fuerunt variæ actiones Ninevitarum ad illum averendum adhibitæ: quæ indicantur cap. i. vers. 9. ibi, *Quid cogitaretis &c.* Item cap. 2. versu 1. ibi, *Custodi munitionem &c.* Et  $\psi$ . 5. ibi, *Recensebit magnificos suos.* Et  $\psi$ . 8. ibi, *Fuit quidem Nineve velut piscina aquarum.* Item cap. 3.  $\psi$ . 12. ibi, *Omnes munitiones tuæ.* Et  $\psi$ . 13. ibi, *Vectes tuos.* Et  $\psi$ . 14. ibi, *Aquas obsidionis hauri &c.* Et  $\psi$ . 15. ibi, *Numerosum effice te &c.* Et  $\psi$ . 16. ibi, *Multiplicasti negotiatores tuos.* Et  $\psi$ . 17. ibi, *Diademati tui similes locustæ &c.* Et  $\psi$ . 18. ibi, *Abundabunt populus tuus.* Eventa istius interitus indicantur quatuor: (1) contemptus Ninevitarum, cap. i.  $\psi$ . 14. & cap. 3.  $\psi$ . 6. (2) instauratio cultus divini apud Israëlitas, cap. i. vers. 15. (3) insultatio spectatorum, cap. 2.  $\psi$ . 11. & cap. 3.  $\psi$ . 7. & 19. (4) ignominia, cap. 3.  $\psi$ . 5.

## SCHOLIA IN CAP. I.

 $\psi$ . i.

**P**rophetia onerosa] *Hebr. Onus. Id est, prophetia de onere: h. e. molestiis & calamitatibus. Metonymia objecti, & metaphora. Onus Nineves] Id est, quo premetur Nineve. Genitivus subjecti. Liber visionis &c.] Epexegetis. Visionis] Id est, prophetia: hoc est, quo continetur prophetia. Metonymia adjuncti: & genitivus item adjuncti. Elkoschæi] Oriundi ex pago Elkosch, sito in tribu Simeonis, teste Hieronymo.*

2 *Deus fortis] Verto simpliciter, Deus. Excandescens] Heb. Dominus excandescentie.*

3 *Longanimis] Hebr. Longus naribus. Virtute] Viribus. Ullo pacto non absolvit] Hebr. Innocentando non innocentat: id est, nequaquam pro innocente habet innocentemve pronuntiat.*

Scil. no-



*Scil. nocentem. Sic Exod. 34. v. 7. Hoc est, non dimittit impunem. Metonymia efficientis. Jehovæ via &c.] Hebr. Jehova cum turbine & cum procella via ejus est. Nominativus absolutè positus.*

4 Increpans &c.] *Hebr. Increpat mare & arefacit ipsum. Etiam flos] Hebr. Et flos. Languescit] Scil. sensu iræ Jehovæ.*

5 Sese dissolvunt] *Hebr. Liquefcunt. Metaphora à cera. Conflagrat] Verto, Aufertur.*

6 In æstu iræ ejus] *Vel, in exarsione nasi ejus. Quum excandescencia] Verto simpliciter, Excandescencia ejus &c.*

7 Robori] *Verto, Pro munitione. Tempore] Hebr. In die. Agnoscit] Curat, protegit. Metonymia efficientis: qualis Psal. 1. v. 6. Recipientes se ad ipsum] Vel, Confidentes in ipso.*

8 Itaque] *Hebr. Et. Inundatione pervadente] Quum hostilis exercitus pervadet Assyriam. Metaphora, & synecdoche generis. Affecturus est consumptione] Hebr. Consumptionem factururus est. Metonymia formæ. Illius] Civitatis Nineves. Quod in Hebræo percipitur ex forma pronominis affixi: quod est generis fœminini. Inimicos] Nempe Assyrios. Ejus] Jehovæ. Tenebræ] Calamitates, miseria. Metaphora.*

9 Quid cogitaretis] *Vos Assyrii. Consumptione affecturus est] Id est, Consumet vos. Hebr. Consumptionem factururus est. Non surget bis angustia] Id est, delebit vos unâ vice, faciet πανολεθειν.*

10 Nam &c.] *Verto, Nam æquè ac spinæ perplexi sunt: & sicut mero obrui solent, mero obruti sunt: idcirco consumuntur &c. Æquè ac spinæ] Hebr. Usq; ad spinas. Perplexi sunt] Id est, callidi ac dolosi. Mero obruti] Id est, superbi. Elegans antanaclassis in eâdem voce repetita in diversâ significatione. Consumuntur] Hebr. Comesti sunt. Planè] Hebr. Plenè.*

11 Ex te] *Nineve. Nequam] Hebr. Nequitia. Genitivus adjuncti.*

12 Si pacem coluissent] *Scil. Israëlitæ. Sed malim, si integri fuissent. Aut] Hebr. Et. Fuissent tonsi] Id est, spoliati: non autem ad extremam miseriam redacti. Metaphora. Ut transivisset] Scil. hostis. Ut afflixeram te] Scil. per Phulem regem Assyriæ, 2. Reg. 15. vers. 19. Alloquitur autem populum Israëliticum*

tanquam mulierem: qua metaphora scriptura passim utitur. Amplius] Scil. per Tiglathpileserem, Salmanassarem, Sanheribum & Esarhaddonem.

13 Lorum] Verto, jugum. Id est, servitutum. Metaphora. Istius] Regis Assyria: quo scil. iste te premit. Genitivus adjuncti. Ne incumbat tibi] Hebr. A super te. Vincula tua] Quibus tu es vincus. Id est, servitutum. Metaphora.

14 Præcepit enim] Verto, Præcepit autem. Hebr. Et præcepit. Nempe hostibus. Non feretur] Scil. rex aliquis. Deorum tuorum] Verto, Dei tui. Nempe Jovis Beli. Sic nomen Elohim passim de uno aliquo idolo usurpatur. Disponam] Verto, Reddam eam sepulchrum tuum. Hebr. Ponam &c. Vilueris] Amisso scil. regno.

15 Perget] Hebr. Addet. In te] Sive, per te. Nequam] Hebr. Vir nequitia. Totus excisus est] Vel, Cuncti excisi sunt. Nempe cuncti nequam.

## SCHOLIA IN CAP. II.

ŷ. I. **D**ispipator] Scil. Medi & Scytha. Custodi &c.] Ironia. 2 Reverfus est &c.] Verto, Avertit Jehova elationem Jacobi, sicut elationem Israël. Avertit] Nempe per pœnam cujus mox fit mentio. Jacobi] Id est, tribus Juda. Israël] Id est, decem tribuum. Evacuarent] Spoliarunt. Depopulatores] Hebr. Evacuatores. Nempe Assyrii.

3 Clypeus] Id est, clypei. Potentium ejus] Sive robustorum ejus. Nempe dissipatoris illius, cujus facta mentio versu 1. Bellatores] Hebr. Viri belli. Genitivus objecti. Cum igne] Puto scriptum esse pro 2: ac proinde verto, Velut ignis. Currus] In Hebræo habetur numerus singularis, sed collectivè. Quum] Verto, Et. Abietes] Id est, lanceæ abiegna. Metonymia materia. Agitabuntur] Hebr. Agitatae sunt.

4 Infanient] Magno cum impetu & celeritate ferentur. Metaphora. Species] Hebr. Aspectus. Metonymia adjuncti.

5 Recensebit] Verto, Recordabitur magnificorum suorum. Scil. rex Assyria. Id est, fiduciam ponet in illis. Synecdoche generis. Corruent] Magnifici illi. In ambulatione illorum] Verto, In ambulationibus suis. Ad murum illius] Nempe urbis Niveves.

neves.

neves. Quasi paratus esset] *Vel, Et paratus erit. Protector]*  
*Nempe muri.*

6 Portæ fluminum] *Quæ sitæ sunt ad flumina, nempe ad flumen Tigrim & rivos illius. Templum] Scil. Jovis Beli. Dissolvetur] Heb. Liquefcet. Metaphora  $\alpha\lambda\alpha\chi\epsilon\sigma\iota\kappa\acute{\eta}$ .*

7 Et statione &c.] *Verto, Consistere jubebitur unusquisque, migrare jubebitur illa, progredi jubebitur: & ancillæ illius deducent eam cum voce columbarum, pro tympano pulsantes cor suum. Consistere jubebitur] Scil. ab hoste. Sic deinceps. Unusquisque] Scil. Assyriorum, qui conabitur aufugere. Illa] Scil. Nineve. Id est, incola illius. Metonymia subjecti. Cæterum pronomen illa continetur ipsa forma verbi, quod est generis fœminini. Progredi] Hebr. Ascendere. Cum voce columbarum] Id est, cum singultu. Cor suum] Non autem tympanum, ut aliàs.*

8 Fuit velut piscina aquarum] *Id est, aliunde in eam illati sunt homines bello capti. Ex quo tempore est] Hebr. A diebus quibus est. Sed] Heb. Et. Ipsos fugientes] Verto, Ipsi fugient: quumq; dicetur, Consistite, consistite, nullus avertet eos. Fugient] Scil. Ninevite. Dicetur] A Medis & Scythis.*

9 Diripite] *Vos Medi & Scythæ. Et infinitum &c.] Verto, Nam nullus est finis apparatus isti, gloriæ isti, ex omnibus vasis desiderabilibus. Hebr. Desiderii. Genitivus adjuncti.*

10 Vacuitas &c.] *Verto, Vacuabitur, imò evacuabitur & exinanietur: (Scil. Nineve) & corda liquefient, collisioq; erit genuum &c. Corda liquefient] Heb. Cor liquefactum erit. Dicentium] Hoc supplementum potest abesse: possunt enim verba sequentia tribui vel ipsi Deo, vel prophætæ.*

11 Ubi est] *Verto, Ubi nunc est. Lustrum leonum &c.] Descriptio urbis Nineves. Leonum] Regis Nineves & principum ejus. Juvenum leonum] Filiorum regis. Quò leunculus &c.] Verto, Ubi vetulus leo agebat, & catulus leonis.*

12 Leunculis] *Verto, Leænis.*

13 Ecce me] *Verto, Ecce ego contra te veniam. Contra te] O Nineve. Currus ejus] Urbis Nineves. Mutatio personæ. Consumat] Hebr. Comedat. Ita] Hebr. Et. Nunciorum tuorum] Quos tu mittere solita fuisti ad exteros reges ad bellum illis denuntiandum. Vide 2. Reg. 18. v. 17. & deinceps.*

R

## SCHOLIA IN CAP. III.

¶.i. **S**anguinariæ] *Hebr. Sanguinum. Genitivus objecti. Intelligit autem Nineven.*

2 Flagelli] *Scil. in manu hostis.*

3 Eques] *Nempe in exercitu hostili. Inducens] Verto, Attollet. Hebr. Ascendere faciens erit. Et flammantem] Nota, conjunctionem copulativam apponi membro primo. Flammantem gladium &c.] Hebr. Flammam gladii: & fulgorem haste. Hypallage. Et multitudinem] Verto, Et erit multitudo &c. Confossorum] *Scil. Ninevitarum. Hebr. Confossi: genitivo casu, collectivè. Ingens numerus] Hebr. Gravitas. Metonymia adjuncti. Cadaverum] Hebr. Cadaveris. Collectivè. Denique] Hebr. Et. Infinita corpora] Hebr. Nullus erit finis corpori ejus. Scil. Nineves. Iterum singularis collectivè positus. Adeò ut impingatur] Hebr. Impingent in corpus illorum: vel, Corruent ad corpus illorum.**

4 Propter amplitudinem] *Verto, Hæc fient propter &c. Scortationum] Id est, actuum idololatricorum & blanditiarum in emendo. Scorti] Populi Nineviticæ. Pollentis] Hebr. Bona. Gratiâ] Gratiioso sermone.*

5 Ecce me] *Ut vers. ult. cap. præced. Fimbrias tuas] Fimbrias tunicæ tuæ. Comparat Nineven mulieri. Nuditatem tuam] Pudendum tuum.*

6 Turpitudine afficiam] *Verto, Contemptam reddam. Disponam] Reddam. Hebr. Ponam. Ut speculum] In quo contemplentur homines judicium meum.*

7 Eritq;] *Verto, Et fiet. Aberret] Verto, evagetur.*

8 An melius esset tibi &c.] *Hebr. An benefaceres præ No. No] Id est, Alexandria. Nutriciæ] Verto, Populosa. Hebr. Multitudinis. Genitivus adjuncti. Sic Esa. 9. vers. 1. dicitur Galilæa gentium: id est, populosa. Scriptum est autem יִמְנָה pro יִמְנָה: sicut litteræ יִמְנָה inter se permutabiles sunt. Similia exempla vide Jer. 46. vers. 25. & cap. 52. vers. 15. Sitæ] Hebr. Sediti, sive habitanti. Aquis circumdata] Hebr. Aquæ in circuitu ei erant. Præmunio] Vulgo nominant antemurale. Est] Reponendum, erat.*

9 Æthiopia] *Malim, Æthiopes. Hebr. Cusch. Id est, posteri Cuschi.*

Cuschi. Vide Genes. 10. vers. 6. Robori] Hebr. Robur ejus eram. Ægyptus] Malim, Ægyptii. Hebr. Mitsrajim. Id est, posteri Mitsrajimi. Vide loco modo allegato. Infinitæque gentes] Hebr. Et nullus erat finis. Scil. talium gentium seu populorum, sociorum urbis Alexandria. Putæi] Hebr. Put. Id est, posteri Puti. Vide ibidem. Auxilio tibi] Hebr. In auxilio tuo. Apostrophe ad urbem No sive Alexandriam.

10 Etiam hæc] Verto, Nihilominus etiam hæc. Deportationi] Hebr. In migrationem. Capite] Introitu. Metaphora. Projecerunt] Malim, jecerunt. Projecerunt sortem] Quum scil. dividerentur inter milites. Deniq;] Hebr. Et. Magnates] Hebr. Magni.

11 Tu quoque] Verto, Ita tu quoq;. Scil. Nineve. Id est, Ninevite. Inebriaberis] Repleberis perturbatione animi. Metaphora. Desiderabis] Hebr. Quæres. quod puto in vertendo retinendum. Robur] Verto, munitionem. Propter inimicum] Ad illum scil. arcendum.

12 Similes] Addo, sunt. Si moveantur] Sive concutiantur. Scil. ficus illa. Illicò] Hebr. Et. Cadent] Nempe primitivi illi fructus, seu præcoces ficus.

13 Ut foeminae] Sive, Ut mulieres. Similis mulieribus: id est, timidus. Omnino] Hebr. Aperiendo. Terræ] Urbium in terra tua sitarum. Metonymia subjecti. Absumet] Hebr. Comedit.

14 Hauri tibi] Hortatio ironica. Sic Esa. 8. v. 9. & 10. Aquas obsidionis] Quas bibas tempore obsidionis.

15 Consumet] Hebr. Comedet. Melolontha] Vide Joël 1. vers. 4. Numerosum effice te] Tu Ninevite. Hebr. Gravem effice te. Metonymia qualis supra vers. 3. Numerosam effice te] Scil. tu Nineve.

17 Diademati tui] Id est, principes qui diademata gestant. Hebr. Coronati. Similes locustæ] Verto, similes sunt locustis. Hebr. Sunt ut locusta. Scil. multitudine. Imperatores] Seu duces, capitanei. Ut prasocuris foraminum] De voce prasocuris vide Am. 7. v. 1. Hic autem verto, Ut locusta grandes. Heb. Ut locusta locustarum. Nam vox לְבַיִת in accentu distinguente scripta est pro בְּבַיִת. Cujus permutationis exempla plura occurrunt Esa. 19. v. 9. Jerem. 22. v. 14. Zach. 14. v. 5. Castra metantur] Id est,

*magnâ copiâ subsidunt. Per sepes] Malim, Ad sepes. Tempore frigoris] Tempore nocturno. Hebr. Die frigoris. Sole exorto] Hebr. Quum sol fuerit ortus. Errant] Verto, Avolant. Hebr. Evagantur. Sed verbum Hebraeum est numeri singularis. Ullius earum] Hebr. Illius.*

18 *Dormitabunt] Securi erunt. Hebr. Dormitarunt. Pastores] Gubernatores reip. Jacebunt] Verto, dormient. Id quod vox Hebraea propriè significat. Abundabunt] Verto, Diffundent se.*

19 *Ægra] Letalis. Rumorem] Hebr. Auditionem. Metonymia adjuncti. Quem non pervasit] Hebr. Ad quem non transivit.*

## OBSERVATIONES.

*Urbes munita.*

**E**X tota hac prophetia. Exemplo everfionis Nineves monemur, contra Deum iratum nihil juvare urbes munitas.

## OBSERVAT. EX CAP. I.

1. *Dei descriptio.*

**E**X v. 2. 3. 4. 5. 6. & 7. notetur descriptio Dei à variis attributis & operibus.

2. *Fraudes. Superbia.*

Ex v. 10. Cavendæ fraudes & superbia.

3. *Castigationes divine.*

Ex v. 12. Deus castigationes suas moderatur pro quantitate delictorum.

4. *Idololatria.*

Ex v. 14. Cavenda idololatria.

5. *Pax.*

Ex v. 15. Magnum Dei beneficium est, in pace exercere posse verum Dei cultum.

## OBSERV. EX CAP. II.

1. *Gubernatio Dei.*

**E**X v. 1. & 2. Posteaquam Deus castigavit populum suum per hostes illius: tum illos punit propter exercitam tyrannidem.

2. *Rapina. Sævitia.*

Ex v. 11. 12. & 13. Cavendæ rapinæ & sævitia.

## OBSERVAT. EX CAP. III.

1. *Sævitia, mendacia, rapina.*

**E**X versu 1. Cavenda sævitia, mendacia, & rapinæ.

Ex v. 4.

Ex v. 4. Cavendæ fraudes in vendendo.

Fraudes.

Ex v. 8. 9. & 10. Exemplo everfionis Alexandriæ monemur, contra Deum iratum nihil juvare munitas ac potentes urbes.


3.  
Urbes munitæ.



# ANALYSIS PROPHE- TÆ HABAKUK.

## ARGUMENTUM LIBRI.

**H**Oc libello prophetat Habakuk tum de oppreffione Judæorum per Chaldæos: tum de interitu ipforum Chaldæorum.



## CAPUT I.



**N**EROSA prophetia, quam vidit Chabakuk propheta.

2 Quousq; Jehova, quum vociferatus fuero, non exaudies? quum clamavero ad te violentiam, non servabis?

3 Quare facis ut videam iniquitatem, & intuear molestiam, vastitatemque ac violentiam è regione mei? & quare est litem & jurgium qui efferat?

4 Idcirco intermittitur lex, & non procedit unquam jus: quia improbus circumfidet justum; idcirco prodit jus perverfium.

5 Respice in gentibus, & intuemini, admiratione abrepti admiramini: nam opus operor diebus vestris, quod non credituri estis quum narrabitur.

6 Nam ecce ego excitaturus sum Chaldæos, gentem a terribissimam, & festinam; ambulaturam per latitudines terræ ad possidendum habitacula non sua jure hæreditario:

7 Formidabilem & terribilem illam, abs qua judicium istius & deportatio istius prodeant.

8 Nam leviores erunt pardis equi ejus, & acutiores lupis vesperinis, abundabuntq; equites ejus: & equites ejus è longinquo venientes involabunt, ut aquila celex ad escam:

9 Illa tota ad violentiam veniet, haustu faciei ipforum Orientem versus *spectante*: ut colligat tanquam arenam captivam turbam.

10 Et ipse rex regibus illudet,

R 3

& dominatores risui *erunt* ei; ipse omnem munitionem deridebit, & coacervato pulvere capiet eam.

11 Tunc remeante spiritu ubi transiverit, reatum obibit; *predicans* hanc vim suam dei sui *esse*.

12 Nonne tu ab æterno *es*? Jehova Deus meus *est*, sanctus meus, non moriemur: Jehova ad iudicium disponis eum, & o rupes ad corripendum fundas eum.

13 Purior *es* oculis quã ut aspicias malum, & intueri molestiam non potes: quare intuereris perfidos? surdam ageres, dum absor-

bet improbus justiore se?

14 Et faceres homines velut pisces maris? ut reptile cui non *est* dominator?

15 Quotquot sunt hamo educit, congregat illos plagis suis, & recipit eos reti jaculo suo; idcirco lætatur & exultat.

16 Idcirco sacrificat plagis suis, & suffitum facit reti jaculo suo; quia per hæc pinguis *est* portio ejus, & cibus ejus opimus.

17 An propter hoc educet plagas suas, & jugiter occidendo gentes non utetur clementia?

### ANALYSIS CAP. I.

**H**Oc capite propheta Judæis denuntiat oppressionem per Chaldæos. Sunt autem capitæ partes tres. Primum enim propheta apud Dominum conqueritur de populi Judaici injustitia: & hac ratione indicat causam procatarticam oppressionis ipsorum: quæ scilicet Deum movit ut eos ita opprimi curaret, quatuor primis versibus. Deinde Dominus ad querelam prophetæ respondet, denuntiando Judæis punitiorem per Chaldæos, à v. 5. usque ad 12. Postremò propheta Dominum orat ut vindictam exercere velit in Chaldæos, v. 12. & seqq. Cæterum v. 1. præmittitur titulus: quo indicantur tria: (1) prophetiæ hujus argumentum, ibi, *Onus*. (2) author, ibi, *Quod vidit*. (3) minister, ibi, *Chabakkuk*.

#### DE PRIMA PARTE.

Injustitia Judæorum amplificatur copiã verborum idem significantium. Appellatur enim (1) violentia, v. 2. & 3. (2) iniquitas, v. 3. (3) molestia, ibid. (4) vastitas, ibid. (5) lis & jurgium, ibid. (6) inter-



(6) intermissio legis, *ψ*. 4. (7) intermissio juris, *ibid*. (8) circumfessio iusti, *ibid*. (9) jus perversum, *ibidem*.

## DE SECUNDA PARTE.

Denuntiatio punitionis fit primùm verbis generalibus, *ψ*. 5: deinde in specie, *ψ*. 6. & deinceps. In denuntiatione generali punitio Judæorum amplificatur ab adjuncta gravitate: quæ significatur ex effectis duobus, nempe admiratione audientium, & incredulitate. In denuntiatione speciali indicantur ministri punitionis illius. Qui describuntur partim ex adjunctis: partim ex factis: atque ita modus punitionis indicatur. Adjuncta indicantur quinque: (1) sævitia, *ψ*. 6. & 7. (2) celeritas, *ψ*. 6. (3) terribilitas, *ψ*. 7. (4) superbia, *ibid*. (5) equi, *ψ*. 8. Facta narrantur tum militum, tum regis. Militum facta narrantur quatuor: (1) occupatio civitatum Judææ, *ψ*. 6. (2) adventus hostilis, *ψ*. 8. (3) rapinæ, *ψ*. 9. (4) deportatio Judæorum, *ibidem*. Regis facta narrantur sex: (1) irrisio regum & principum, *vers*. 10. (2) irrisio munitionum, *ibidem*. (3) collectio pulveris ad vallum, *ibidem*. (4) occupatio urbis Hierosolymæ, *ibid*. (5) reditus in Chaldæam, *ψ*. 11. (6) reatus contractio ex falsa opinione & prædicatione de causa victoriæ, *ibidem*.

## DE TERTIA PARTE.

Oratio prophetæ ad Dominum tria principalia membra continet: (1) professionem spei de populo Dei conservando, *ψ*. 12. (2) confessionem justitiæ Dei in illo puniendo, *ibidem*. (3) petitionem vindictæ de Chaldæis, *ψ*. 13. & seqq. Petitio-

nis illius rationes afferuntur tres: prima à sanctitate Dei, *ψ. 13. ibi, Purior es &c.* Secunda à perfidia Chaldæorum, versu eod. ibi, *Quare intuereris perfidiam.* Tertia à sævitia eorundem, versu eod. ibi, *Dum absorbet &c.* Hæc sævitia illustratur & amplificatur duobus modis: (1) simili piscationis, *ψ. 14. & seqq.* (2) ab effectis duobus: (1) lætitia regis Babylonix, *ψ. 15. ibi, Idcirco letatur.* (2) admiratione suæ prudentiæ & potentiæ, *ψ. 16.*

## SCHOLIA IN CAP. I.

*ψ. 1.* **P**ROphetia &c.] *Hebr. Onus quod. Ut Nabum 1. v. 1. Vidit] In visione audivit à Domino,*

2 *Quum vociferatus fuero &c.] Hebr. Vociferabor, & non exaudies: clamabo ad te, & non servabis. Violentiam] Verto, De violentia: vel, Ob violentiam. Quæ scil. potentiores Hierosolymitani opprimunt tenues.*

3 *Molestiam] Qua potentiores afficiunt tenues.*

4 *Procedit] Malim, Exit: vel, prodit. Komt heraus. Unquam] Hebr. In æternum. Circumsidet] Circumdat, cingit. Prodit] Sive exit. Idem verbum quod paulo antè. Unde miror, illic aliter esse redditum.*

5 *Respicite &c.] Hic loquitur Dominus, & respondet propheta ad querelam ejus. Admiratione abrepti] Hebr. Admiratione abripimini. Operor] Id est, operaturus sum.*

6 *Gentem acerbissimam] Hebr. Gentem illam amaram, Id est, sevam seu crudelem. Metaphora. Festinam] Hebr. Acceleratam. Id est, quæ sese celeriter movet in proficiscendo. Ad possidendum] Cum hoc verbo coherent ista, Jure hæreditatio. In Hebræo est vox unica. Non sua] Hebr. Quæ non sunt ei.*

7 *Formidabilem &c.] Verto, Formidabilis & terribilis est: (scil. gens illa) ex ipsâmet jus ejus & elatio ejus prodit. Id est, elatione sua efficit ut pro jure haberi oporteat quæcumq; sententia ab ipsa prodierit. *Εν δὲ τῷ ὄνοματι.**

8 *Nam leviores &c.] Hæc verba coherent cum membro priore*

priore versus precedentis. Declaratur enim hic illius gentis formidabilitas. Nam] Hebr. Et. Leviores erunt pardis] Id est, velociores. Metonymia efficientis, Hebr. Leves erunt præ pardis. Sic mox, Acuti erunt præ lupis. Acutiores] Sive acutioribus dentibus: sive acutiore visu. Lupis vespertinis] Hebr. Lupis vespera: qui tempore vespertino insidiantur ovibus. Genitivus subjecti. Abundabunt] Vel, Diffundent se. Venientes] Hebr. Venient. Involabunt] Hebr. Volabunt. Id est, celerrimè proficiscentur. Metaph. hyperbolica.

9 <sup>11a</sup>] Gens. Ad violentiam] Scil. exercendam. Haustu &c.] Verto, Quicquid hauserit facies eorum, Eurum versus dirigetur. Id est, Quicquid aspexerint quod rapere poterunt, id destinabitur ab eis deportandum in Babyloniam sive Chaldaam, quæ Judææ sita est Orientem versus. Hebr. Haustus faciei eorum. Metonymia adjuncti, & metaphora. Ut colligat] Vel, Et colliget.

10 Et ipse rex] Scil. gentis illius: nempe Nebucadnet sar. Et si autem pronomen Hebraicum נָבֻכַדְנֶצַּר referri potest ad totam illam gentem quæ hætenus est descripta: quum nomen נָבֻכַדְנֶצַּר sit generis masculini: tamen supplementum hoc genuinum videtur ex ipsis sententiis hujus loci. Regibus illudet] Nempe regibus populi Judaici. Ut regi Tsidkijæ, 2. Reg. 25. v. 10. Risui] Hebr. Risus. Metonymia formæ. Coacervato &c.] Hebr. Coacervabit pulverem & capiet eam.

11 Tunc] Quum ceperit Hierosolymam. Remeante spiritu] Id est, mutatâ sententiâ. Hebr. Mutavit spiritum. Id est, mutabit animum seu propositum suum: ut scil. non pergat illâ expeditione alias quoq; gentes invadere. Ubi transiverit, reatum obibit] Hebr. Et transibit, & reatum obibit. Transibit: id est, redibit in Chaldaam. Dei sui esse] A deo suo (puta Belo) suppeditatum sibi esse.

12 Ab æterno] Hebr. Ab antiquitate. Disponis] Constituisti. Hebr. Posuisti. Ad iudicium] Ut iudicium tuum exsequatur in nobis. Eum] Scil. regem Babylonie. O rupes] In quo confidimus tanquam in rupe. Metaphora. Ad corripiendum] Id est, castigandum. Scil. nos. Fundas] Hebr. Fundasti.

13 Purior es &c.] Verto, Purus es oculis, adeò ut non possis videre malum. Hebr. A videndo malum. Malum] Quo nos affi-

cient Chaldaei. Sic mox, molestiam. Surdum ageres ] *Verto*, taceres: id est, omitteres vindictam. Justiorem se ] *Hebr.* *Justum præ se.*

14 Faceres homines velut pisces maris ] *Id est, sineres homines capi à rege Babylonia: ut declarat versus sequens.*

15 Quotquot sunt ] *Scil. homines.* Hamo educit ] *Capit potentiâ suâ.* Educit ] *Tanquam è mari. Hebr. Ascendere facit.* Plagis ] *Hebr. Reti suo. Sic vers. seq.* Recipit ] *Verto, colligit.*

16 Plagis suis ] *Hebr. Reti suo. Id est, prudentiæ ac pietati sue.*

17 Educet plagas suas ] *Verto, faciet rete suum. Hebr. Evacuabit seu exinaniet rete suum. Metonymia effecti. nam quum piscator rete jacit, manum suam illo evacuat. Et jugiter occidendo &c.] Epexege sis.*

## OBSERVAT. EX CAP. I.

1.  
*Preces.*

**E**X  $\psi$ .2. Preces piorum, quum pro rebus corporalibus orant, non semper exaudiuntur: ita scil. ut continuò eis detur quod petunt.

2.  
*Injustitia.*

Ex  $\psi$ .2.3. & 4. Quum videmus hodie dominari injustitiam, non est quod tanquam re nova offendamur: quia temporibus Habakuki idem reip. status in populo Dei fuit.

3.  
*Injustitia.*

Ex  $\psi$ .5. & seqq. usq; ad 12. In populo Judaico proponitur exemplum punitæ à Deo injustitiæ.

4.  
*Bellum.*

Ex vers.6. Deus estis qui populos excitat ad bella gerenda.

5.  
*Idololatra.*

Ex  $\psi$ .11. Idololatræ, quum victoriam adepti sunt, illam idolis suis acceptam ferunt.

6.  
*Dei æternitas.*

Ex vers.12. notetur testimonium de æternitate Dei.

7.  
*Fedus Dei.*

Ex eodem versu ex verbis *Jehova deus meus est.* In necessitatibus pii consolari se debent recollectione federis quod Deus cum ipsis pepigit.

Ex eod.

Ex eod. versu, ex verbis, *Jehova ad judicium disponis &c.* Quum pii ab impiis affliguntur, agnoscere debent justitiam Dei in illa sui castigatione.

Castigationes divinae.

Ex versu 13. Sanctitas Dei non patitur ut homines perfidos & crudeles semper impunitos dimittat.

9. Poena divina.

Ex versu 16. Reges impii, quum eis succedunt rapinae & subjugationes gentium: successum illum adscribunt suae prudentiae ac potentiae.

10. Reges impii.

## CAPUT II.

**I**N custodia mea stanti & confidenti mihi in munitione; ac speculanti ad videndum quid eloqueretur mihi, & quid responsurus essem post correptionem meam.

2 Respondit mihi Jehova dicens, Scribe visionem, & quidem perspicue in istis tabulis; ut percurrat lecturus eam.

3 Nam adhuc visio ad constitutum tempus *resecta est*, quam effabitur suo termino, neq; faller: si cunctabitur, exspecta eam, nam omnino eventura est, ac non tardabit.

4 Ecce ebullat in quo non est rectus animus ipsius: justus autem ex fide sua vivet.

5 Quin etiam cum vino perfidiosus sit, vir arrogans, neq; maneat in habitaculo; cum dilatat velut sepulcrum animum suum, fitque velut mors quae non facuratur, & recipiat ad se omnes gentes, congregetq; ad se omnes populos:

6 An non isti omnes de eo parabolam prolaturi essent, & interpretationem *cum* aenigmatis de eo? & dicturus ille, Vae multiplicanti non sua (quousq; tandem?) & numerosè aggreganti penes se densissimum lucum?

7 An non repente consurgent qui mordeant te, & expergiscuntur divexaturi te; & eris continenti conculcationi eis?

8 Quia tu spoliasti gentes multas, spoliaturae sunt te omnes reliquae populorum; propter caedes humanas & violentiam terrae, urbem, & omnes habitantes in ea.

9 Vae dedito quaestui malo pro domo sua; ut disponat in excelso nidum suum quo cripiatur è potestate mali.

10 Consilium inivisti pudendum domui tuae; scindendi populos multos, & peccasti *contra* te ipsum:

11 Nam lapis è pariete exclamat, & nodus è ligno testificatur istud.

12 Væ ædificanti civitatem  
cædibus; & stabilienti urbem ini-  
quitate.

13 An non ecce à Jehova exer-  
cituum *est*; ut laborent populi pro  
igne, & nationes pro inanitate fa-  
tigentur?

14 Nam impletur terra, co-  
gnoscendo gloriam Jehovæ; ut a-  
quæ operiunt alveum maris.

15 Væ potum præbenti proxi-  
mo suo, adhibenti utrem tuum, &  
etiam inebrianti; ut intuearis nu-  
ditatem eorum.

16 Saturaris ignominia præ glo-  
ria; bibe tu quoq; & retege præpu-  
tium: divertet ad te poculum dex-  
teræ Jehovæ, & vomitus igno-  
miniosus ad gloriam tuam.

17 Nam violentiâ Libani ope-  
riet te, & vastitas bestiarum terre-  
faciens eas; propter cædes huma-  
nas & violentiam terræ, urbem, &  
omnes habitantes in ea.

18 Quid profuerit sculptile, quòd  
sculpsit illud formator illius, fu-  
sile & doctor falsi; quòd confidat  
formator figmenti sui ipsi, facien-  
do idola muta?

19 Væ *illi* qui dicit ligno, Ex-  
pergiscere; evigila, lapidi silenti:  
ipse docet; ecce ipsum: contine ut  
*quidem* auro aut argento, sed o-  
mnino spiritus nullus *est* in me-  
dio ejus.

20 Jehova verò in templo san-  
ctitatis suæ *est*; sile à conspectu e-  
jus, ò universa terra.

## ANALYSIS CAP. II.

**H**Oc capite continetur prophetia de interi-  
tu Chaldæorum. Hæc prophetia illustra-  
tur quatuor modis. Primùm enim indicatur ejus  
occafio, quatenus narrat propheta, se cum cura  
exspectasse responsum Domini ad orationem  
suam, qua vindictam illius de Chaldæis petiverat,  
v. 1. Deinde indicat modum quo prophetia hæc  
populo debuit proponi, quatenus narrat man-  
datum Domini de illa scribenda in tabulis, atque  
ita publicè ad legendum proponenda, versu 2.  
Tum indicat illius certitudinem: amplificatam  
antithesi dilationis, & corollario de impletione  
ejus patienter exspectanda, v. 2. Postremò indi-  
cat ejusdem effectum in credentibus, videlicet  
solatium: amplificatum antithesi destitutionis  
solatii incredulorum, v. 4. Atque sic illustratur  
hæc prophetia. Ipse autem Chaldæorum interi-  
tus par-

tus partim denuntiatur, partim declaratur. Denuntiatur partim in genere, partim in specie. In genere denuntiatur per voculam dolentis *Va*: versibus 6.9.12.15. & 19. In specie denuntiatur versibus 7.8.13. & 16: idque per membra sex. Ea sunt: (1) invasio hostilis, *ψ*.7. (2) divexatio, *ibid*. (3) conculcatio, *ibid*. (4) spoliatio, *ψ*.8. (5) combustio ædificiorum, *ψ*.13. (6) ignominia, *ψ*.16. Atque sic interitus denuntiatur. Declaratur autem duobus modis: è causis procatarteticis & ex eventu. Causæ procatarticæ quæ Deum ad interitum illum Chaldæis immittendum moverunt, fuerunt illorum peccata: quorum hîc enumerantur septem: (1) superbia regis, *ψ*.5. (2) avaritia & rapinæ, *vers*.5.6.8. & 9. (3) cædes, *vers* 8.10.11.12. & 17. (4) Violentia, *v*.8.16. & 17. (5) ebrietas, *v*.15. (6) Sodomiticus concubitus, *ibidem*. (7) idololatria, *ψ*.18. & 19. Cæterùm idololatriæ narratio continet membra quatuor. Primùm enim propheta idola contemnit ob vanitatem, *ψ*.18. Deinde irridet idololatras ob stultitiam, *ψ*.19. Tum opponit idolis deum verum, *ψ*.20. Postremò opponit idololatriæ reverentiam veri dei, *ibidem*. Atque hæ fuerunt interitus Chaldæorum causæ procatarticæ. Eventus ejusdem fuit gloriæ Dei patefactio, *versu* 14. quæ illustratur & amplificatur simili.

## SCHLOIA IN CAP. II.

**I**N custodia mea stanti &c.] *Hebr.* In custodia mea stabam, *ψ*.<sup>b</sup>  
 & consistebam in munitione: & speculabar &c. Et respondit  
 &c. In munitione] *Id est, in specula. Synecdoche generis. Ad*  
*videndum] Ut viderem. Quid eloqueretur mihi] Verto,*  
*Quid loquuturus esset mecum. Scil. Jehova. Responsurus] Vel,*

testificaturus. Scil. apud populum. Id est, quid testificari deberem. Post correptionem meam] Quam pronuntiaveram apud populum cap. precedente, à v. 2. usq. ad 12.

2 Dicens] Hebr. Et dixit. Visionem] Id est, prophetiam: nempe sequentem de interitu Babyloniorum. Metonymia adjuncti. Perspicue] Hebr. Declarando, vel explanando. In istis tabulis] Videtur simpliciter vertendum, In tabulis. Percurrat] Celeriter perlegere possit.

3 Visio] Id est, prophetia hæc. Metonymia adjuncti. Et, prophetia hæc: i. e. res quam hæc prophetia denuntiat. Altera metonymia adjuncti. Quam effabitur] Verto, Quam efflaturus est. Scil. Jehova. Id est, effusus cum ira. Fallet] Hebr. Mentietur. Quod equidem in vertendo retinerem. Si cunctabitur] Scil. Jehova in præstanda prophetia hæc. Eam] Verto, Eum. Scil. Jehovam cunctantem. Et mox, Nam omnino venturus est. Sic verto ex collatione verborum Pauli Hebr. 10. vers. 37. Verba tamen alteram quoq. expositionem admittunt: & res eodem redit. Omnino] Hebr. Veniendo.

4 Ebullat] Id est, inflatur opinione propria sapientia, ac proinde spe sua fallitur. Hebr. Ebullatio est in eo. Animus] Hebr. Anima. Justus autem] Homo pius ac sincerus. Opponitur enim ei cujus animus non est rectus. Hebr. Et justus. Ex fide sua] Sive, Per fidem suam. Qua scil. credit promissionibus Dei, ac proinde in Deo confidit. Vivet] Solatium percipiet in hac vita, & postea fruetur vita æterna.

5 Vino] Id est, ebrietate. Metonymia efficientis. Et, ebrietate: id est, successu rerum. Metaphora. Vir arrogans] Rex Babylonia. In habitaculo] Scil. suo. Animum] Hebr. Animam. Recipiat] Colligat.

6 Prolaturi] Verto, In os sumturi. Ille] Verto, Unusquisq. illorum. Non sua] Hebr. Quæ non sunt ei. Numerose aggreganti] Hebr. Aggravanti. Continenti conculcationi] Hebr. In conculcationes.

8 Propter cædes humanas] Scil. à te perpetratas. Hebr. Propter sanguines hominis, sive hominum. Violentiam terræ] Id est, quam exercuisti in terra. Genitivus subjecti. Urbem] Scil. Babylonem. Repete, Spoliaturæ sunt.

9 De.



9 Dedito quæstui malo ] *Hebr. Quæstuofo quæstus mali.*  
 Disponat ] *Verto simpliciter, ponat. Potestate ] Hebr. Vola.*

10 Consilium inivisti pudendum ] *Hebr. Consulisti pudorem.* Domui tuæ ] *Verto, Pro domo tua. Scindendi &c.]*  
*Verto,, Dissecando populos multos, peccas contra te ipsum. Hebr.*  
*Contra animam tuam.*

11 Lapis ] *Id est, lapides.*

12 Cædibus ] *Hebr. Sanguinibus.*

13 Est ] *Vel, fit. Laborent ] Exstruendo domos & urbes. Pro igne ] Ita ut domos illas maneant ignis quo consumantur. Pro inanitate ] Id est, frustra: ita ut quod effecerunt, evanescat.*

14 Impletur ] *Verto, Implebitur. Gloriam ] Quam ostendet in perdendis Chaldeis. Alveum maris ] Hebr. Super mare. Nuditatem ] Id est, pudenda. Hebr. Nuditates. Ut intuearis nuditatem eorum ] Et libidine incitatus cum eis concumbas. Synecdoche membri metonymica: quâ unâ cum destinato, intelligitur finis.*

16 Saturaris ignominia ] *Quâ scil. afficis alios. Præ gloria ] Verto, Propter gloriam. Id est, quòd ita gloriosus ac potens es. Bibe ] Scil. poculum calamitatis infusum à Jehova. Retege præputium ] Ignominia exponitor. nam præputium apud populum Dei erat probrosum. Poculum dexteræ Jehovæ ] Quod Jehova dextera sua tibi præbiturus est.*

17 Violentia Libani ] *Quam exercuisti in Libano: id est, in populo Judaico habitante ad Libanum. Metonymia subjecti. Hoc est, Calamitas illa quam violentiâ illâ commeritus es. Metonymia efficientis. Vastitas bestiarum ] Scil. Libani. Id est, Judæorum: quos Chaldæi tanquam bestias venatisunt. Terrefaciens ] Verto, Quæ terrefecit. Propter cædes ] Epexegetis. Cædes humanas ] Hebr. Sanguines hominum. Violentiam terræ ] Ut supra v.8. Urbem ] Repete, Operiet violentia Libani &c.*

18 Figmenti sui ] *Idoli quod finxit seu formavit. Ipsi ] Malim, In ipso. Hebr. Super ipso.*

19 Ligno ] *Idolo ligneo Metonymia materia. Ipse ] Nēpe ipse lapis. Docet ] Nēpe se nō esse deum. Poteſt etiã sic verti, Ipſumne doceret? (Nēpe ipſum lignū: docerētne aliquid veri?) Ecce ipſum continetur &c. Continetur ] Hebr. Comprehenſum eſt. Eyn*

gefaßt. Aut] *Hebr. Et. Sed] Hebr. Et. Omnino spiritus nullus est] Hebr. Ullus spiritus non est.*

20 Jehova verò] *Hebr. Et Jehova. In templo sanctitatis suæ] Verto, In templo sancto suo. A conspectu ejus] Hebr. A facie ejus.*

## OBSERVAT. EX CAP. II.

1.  
*Pastores  
Ecclesia.*

EX  $\psi$ . 1. Exemplo prophetæ Habakuk pastores ecclesiarum, quum incidit eis dubitatio de parte aliqua officii sui, inquirere illam debent in verbo Dei scripto: sicut Habakuk, tanquam propheta, expectavit revelationem per verbum pronuntiatum.

2.  
*Pastores  
Ecclesia.*

EX  $\psi$ . 2. Ad officium pastorum Ecclesiæ pertinet, ut verbum Dei Ecclesiæ clarè & perspicuè proponant.

3.  
*Ecclesia.*

EX  $\psi$ . 3. Vindicatio Ecclesiæ à persecutoribus certò eventura est: quia Deus illam Ecclesiæ promisit. Itaque certò ac patienter à piis expectanda est. Vide *Hebr. 10.  $\psi$ . 36. & seqq.* Item *Apocalypsin* passim.

4.  
*Fides.*

EX  $\psi$ . 4. notetur testimonium de effectu fidei: nempe fidei qua credimus promissionibus divinis, & inter has inprimis promissioni gratiæ de remissione peccatorum propter satisfactionem Christi. Is effectus est vita: nempe vita æterna: & quidem tum initium illius quod percipimus in hac vita, quod positum est in sensu favoris Dei ex remissione peccatorum: tum plenitudo atque perfectio quæ nos manet post hanc vitam in cælo.

5.  
*Hypocritæ.*

EX eodem versu. Hypocritæ, id est, qui Deum non colunt sincerè, opinione propriæ prudentiæ tur-


tur-

tiæ turgescunt & inflantur: sed tandem in consiliis suis evanescunt, & spe sua frustrantur.

Ex v. 5. & seqq. In Chaldæis proponitur exemplum punitæ à Deo superbiæ, avaritiæ atque rapinarum, cædium, violentiæ, ebrietatis, Sodomitici concubitus, & idololatriæ. Quare peccata ista sunt vitanda.

Ex v. 18. & 19. notetur testimonium de vanitate idolorum, & de stultitia idololatrarum.

Ex v. 20. Solus verus deus (qui est Jehova in cælo habitans) humili reverentia à cunctis hominibus colendus est.



C A P U T III.

**O** Ratio Chabakkuki prophetæ: secundum odas mixtas.

1 O Jehova, audiens pronunciatum tuum timeo; Jehova opus tuum interea temporis conserva, interea temporis notum fac: in commotione *iræ* misereri recordare.

3 Deo à meridie veniente, & sancto è monte Paranis summè; operuit cælum decor ejus, & lux ejus implevit terram:

4 Et splendor tamquam lucis affuit; cornua *q* ad latus ipsius ei; ubi abscondio erat roboris ejus.

5 Anteivit ipsum pestis, & præcessit anthrax ad pedes ejus.

6 Ubi autem constitit, mensus est terrã; vidit, & disturbavit gentes, & dissipati sunt *quorum erant* montes æterni, incurvati sunt *quorum erant* colles perpetui: cujus fuerant ambulationes perpetuæ.

7 Locum vanitatis vidi esse ten-

toria Æthiopiæ; commota sunt aulaa terræ Midjanis.

8 An contra flumina accensa fuit, Jehova? an contra flumina ira tua? an contra mare furor tuus? quum insideres equis tuis, curribus tuis salutaribus?

9 Nudus alveus factus est arcu tuo, juramentis tribuum, sermone maximè: flumina diffidisti terræ.

10 Te videntes contremuerunt montes, inundatio aquarum transivit; edens abyssus vocem suam *in* altum latera sua extulit.

11 Sol, luna stetit *in* habitatione: ad lucem sagittæ tuæ itarunt, ad splendorem coruscans hasta tua.

12 Indignatione progressurus in terram, ira trituraturus gentes,

13 Processisti ad salutem populi tui, ad salutem cum uncto tuo; fregisti caput è domo improbi,

6.

*Pæna divina.*

7.

*Idololatra.*

8.

*Culi Dei.*

usque ad collum nudando fundamentum maximè.

14 Perforasti virgis illius caput pagorum ejus, *quum* procellam excitarent ad dispergendum me; *quum* exsultatio eorum *esset* ac si comesturi fuissent pauperem *latentem* in abscondito.

15 Iter fecisti ad mare equis tuis, ad acervum aquarum multarum.

16 Audivi; commotus est venter meus, ad vocem palpitant labia mea, invadit putredo ossa mea, denique commoveor in loco meo: *audiens* quiescendum esse mihi in die angustiarum, quum a-

scendit contra populum *hostis* turmatim populaturus eum.

17 Quamvis ficus non effloresceret, & nullus *esset* proventus in vitibus, mentiretur opus olivæ, & agrorum nullus ederet cibum; absunderet *hostis* ab ovili gregem, & nullum *esset* armentum in bubilibus:

18 Ego tamen in Jehova exsultabo, gestiã in deo salutis meæ.

19 Jehovi Dominus robor meum *est*, qui disponit pedes meos tamquam cervarum, & super excelsa mea facit ut incedam: magistro symphonie fidium mearum.

### ANALYSIS CAP. III.

**H**Oc capite continetur oratio seu precatio Habakuki, qua Deum orat ut populum suum in captivitate Babylonica conservare velit. Hæc oratio partim declaratur, partim confirmatur, partim amplificatur. Declaratur partim ex occasione, ibi, *O Jehova, audivi sermonem tuum*, *ψ. 1.* partim à causa impulsiva antecedente, ibi, *Extremi: ψ. eodem.* Confirmatio petita est à pari, videlicet ab exemplis similibus; quæ narrantur tria: (1) deductio populi Israëliti per desertum, adhibitis symbolis præsentia magnificis, *ψ. 3. 4. & 5.* (2) internecio gentium Chananæarum ut regionem eorum obtinerent Israëlita, *ψ. 6. 7. 9. 11. 12. 13. & 14.* (3) deductio per mare rubrum, *ψ. 8. 9. 10. & 15.* Amplificatur autem hæc oratio tribus modis: (1) narratione sui metus concepti ex prophetia de excidio Hierosolymæ: qui metus illustratur à causa finali, cujus causâ Deus illum Habakuko immiserat, *ψ. 16.* (2) narratione miseri status re-

tus regionis Judaicæ, quum excisa fuerit Hierosolyma, v. 17. (3) professione suæ spei, v. 18. & 19.

## SCHOLIA IN CAP. III.

**O** Ratio] *Id est, precatio.* Odas mixtas] *Hebr. Errationes: ut Psal. 7. v. 1.* ψ. i.

2. Audiens &c.] *Verto, Quum audivi sermonem tuum, extimui.* *Hebr. Audivi & extimui.* Sermonem tuum] *Scil. de excidio Hierosolymæ per Chaldaeos: supra cap. 1. v. 5. & seqq. Hebr. Auditionem tuam. Metonymia adjuncti.* Opustuum] *Conservationem populi tui. Synecdoche generis.* Interea temporis] *Dum scil. populus tuus premetur à Babyloniis. Hebr. In intimo annorum. Nempe annorum illorum septuaginta quibus populus tuus commorabitur in Babylonia.* Conserva] *Hebr. Vivifica. Metaphora נאלאזנסין.* Notum fac] *Scil. opus illud tuum populo tuo.*

3. Deo à meridie veniente &c.] *Hic introducitur loquens populus Israëliticus, ut percipitur ex versu 7. & 14.* Deo &c.] *Hebr. Deus à meridie veniebat, & sanctus è monte Paranis. selah. Vide Deut. 33. v. 2.* Decor ejus] *Sive, majestas ejus. Hebr. כבוד: qua vox de majestate Salomonis dicitur 1. Chron. 29. vers. 25. & Matth. 6. vers. 29. redditur δόξα, id est, gloria, herrlichkeit.* Lux] *Verto, laus. Et interpretor ex analogia membri præcedentis de laudabili specie, per metonymiam effecti. Fisi enim verbum ללך in hiphil lucere significat: tamen nomen ללך pro luce nusquam reperias. Et fieri potest ut hic per mendum pro laus irrepsit lux.*

4. Tanquam lucis] *Verto, Tanquam solis. In qua significatione nomen כבוד reperitur etiam Job 31. v. 26. Metonymia adjuncti.* Affuit] *Hebr. Fuit. Scil. ei.* Cornua] *Scil. duo. nam vox Hebraica est numeri dualis.* Ad latus ipsius] *Hebr. A manu ipsius. Sensus videtur esse, Ad utrumq; latus: sicut nimirum cornua disposita sunt in animali cornuto ad utrumq; latus capitis.* Vocula autem כף, id est, manus, pro latere etiam alibi reperitur: ut videre est Nehem. 3. vers. 2. & deinceps crebrò. In qua significatione est metonymia adjuncti. nam utraq; hominis manus ad utrumq; ejus latus sita est.

5. Anteivit ipsum pestis] *Id est, perdidit gentes contra quas*

duxit populum suum. Puta Amoraos, Sihonem & Ogum. Hebr. Ante eum iuit pestis. Et præcessit &c.] Eadem sententia repetitur aliis verbis.

6 Ubi autem &c.] Hebr. Stetit, & mensus est terram. Terram] Scil. Chanaan. Gentes] Scil. Chananeas. Quorum erant montes æterni &c.] Periphrasis Chananeorum. Æterni] Hebr. Æternitatis. Genitivus adjuncti. Id est, qui inde à condito mundo suis locis fixi perstiterunt. Perpetui] Hebr. Seculi. Genitivus qualis modo. Cujus] Pro, Quorum. Mutatio numeri. Perpetuæ] Hebr. Seculi: ut modo.

7 Locum vanitatis vidi esse &c.] Verto, Subjecta vanitatis vidi tentoria &c. Hebr. Sub vanitate. Æthiopicæ] Verto, Cuschænis: & refero ad historiam quæ narratur Jud. 3. v. 10. Commota sunt aula terra Midjanis] Hoc refero ad historiam quæ narratur Jud. 7. v. 21. & seqq.

8 An contra flumina accensa fuit &c.] Verto, An contra flumina exarserat Jehova? I. e. Quæ Jehova divideret mare rubrum ad transitum præbendum populo Israëlítico, videri poterat iratus esse aquis illis. Equis tuis] Columna nubis & ignis. Curribus] Eadem sententia repetitur aliis verbis. Salutaribus] Scil. populo Israëlítico. Hebr. Salutis. Genitivus effecti.

9 Nudus &c.] Verto, Nudatione pharetræ evigilabat arcus tuus, secundum juramenta tribubus facta in sermone, scilicet flumina diffidisti ad terram usque. Evigilabat arcus tuus] Quum prosterneret Chananeos.

10 Te videntes &c.] Hebr. Viderunt te, indoluerunt. Edens] Hebr. Dedit. Abyssus] Scil. maris rubri. Latera sua] Cumulos aquarum. Hebr. Manus suas: ut sup. v. 4.

11 Sol, luna stetit] Vide Jos. 10. v. 12. In habitatione] Scil. sua. Id est, in celo. Ad lucem] Id est, ad fulgur. Sagittæ tuæ] Id est, lapides grandinis: Jos. 10. v. 11. Ad splendorem &c.] Eadem sententia repetitur aliis verbis. Coruscans hasta] Verto, Coruscantes haste: nempe illi ipsi lapides grandinis. Hebr. Fulgor haste Hypallage.

12 Indignatione &c.] Verto, Cum indignatione incedebas per terram, cum ira triturabas gentes.

13 Cum

13 Cum uncto tuo ] Davide : cujus victoria narrantur  
2.Sam.5. & 8. & 10. Maxime ] Hebr. Selah.

14 Illius ] Uncti tui.

15 Iter fecisti ad mare ] Verro, incessisti (Hebr. calcavisti)  
per mare. Scilicet rubrum. Equis tuis ] Columna nubis & ignis.  
Ad ] Suppleo, Per.

16 Audivi ] Verro, Quum audivi, commotus est &c. Hebr. Au-  
divi & commotus est. Quum audivi: scilicet prophetiam de excidio  
Hierosolymæ. Ad vocem ] Ad prophetiam illam. Palpitant ]  
Verro, Palpitaverunt. Sic deinceps. Audiens &c. ] Verro, Hæc au-  
tem mihi acciderunt ut quiescam in die angustia. Ascendit ]  
Verro, ascendet. Turmatim populaturus ] Hebr. Et turmatim  
populetur.

17 Quamvis &c. ] Vel, Nam ficus non florebit. Et sic dein-  
ceps.

18 In Jehova ] Verro, Ob Jehovam. Sic mox, Ob deum. Deo  
salutis meæ ] Qui salutem mihi efficit. Genitivus effecti.


19 Jehovi ] Verro, Jehova. Robur meum ] Is qui mihi sup-  
peditat robur. Metonymia effecti. Disponit ] Reddit, efficit. Heb.  
Ponit. Tanquam cervarum ] Ita celeres. Fidium mearum ]  
Hebr. In pulsatilibus meis: ut Psal. 4. v. 1.

OBSERVAT. EX CAP. III.

EX v. 2. Exemplo prophetæ Habakuki pa-  
stores ecclesiarum orare debent pro salute  
cætus ipsis commissi.

Ex v. 3. & sequentibus usq; ad 16. Considera-  
tione exemplorum liberationis divinæ, quam  
jam olim præstitit populo suo, confirmare debe-  
mus spem nostram conservationis Ecclesiæ.


Ex v. 16. 17. & 18. Etsi pii terrentur, quum vi-  
dent Deum ipsos castigare velle per hostes: ta-  
men se iterum erigunt spe protectionis divinæ.



# ANALYSIS PROPHE- TÆ TSEPHANJÆ.

## ARGUMENTUM LIBRI.

**I**N hoc libello propheta Tsephanjas primùm denuntiat civibus Hierosolymitanis, totique tribui Judæ, calamitates eis eventuras per Chaldæos, propter ipsorum idololatriam & injustitiam, cap. 1. Deinde hortatur eos ad pœnitentiam: simulque prophetat de excidio populorum exterorum quorundam, cap. 2. Tum conqueritur de ipsorum impœnitentia, cap. 3. usque ad v. 8. Postremò hortatur pios ad patientiam: consolaturq; eos promissionibus Evangelicis, à v. 8. cap. 3. ad finem usque.



## CAPUT I.

**V**erbum Jehovæ quod fuit ad Tzephanjam filium Cuschi, filii Gedaljæ, filii Amarjæ, filii Chizkijæ: temporibus Joschijæ, filii Amonis, regis Jehudæ.

2 Omnino recepturus sum omnia à superficie hujus terræ, dictum Jehovæ.

3 Recepturus sum homines & jumenta, recepturus sum aves cæli, & pisces maris, & ruinas cum ipsi improbis: deniq; excindam homine à superficie hujus terræ, dictum Jehovæ.

4 Extendens enim manum

meam super Jehudam, & super omnes habitatores Jeruschalaimorum; excindam è loco hoc residuum Bahalis, & nomen atratorum cum ipsis sacerdotibus:

5 Et qui incurvant se super terra honorem habentes exercitui cælorum; etiam qui incurvantes se jurant per Jehovam, & jurant per Melecum suum:

6 Tum qui retro aguntur à sequendo Jehovam; tū qui non querunt Jehovam, neque requirunt ipsum.

7 Sile à conspectu Domini Jehovi, propinqua enim est dies Jehovæ,



hova, nam apparavit Jehova ma-  
ctanda animalia, præparavit invi-  
tatos suos.

8 Erit autem die mactationis  
Jehove, ut animadvertam in ipsos  
principes, & in filios regis, & in  
omnes qui induuntur indumen-  
to alienigenarum:

9 Et animadvertam in omnem  
qui insilit in limen die illa; qui im-  
plent domum dominorum suo-  
rum violentia & dolo:

10 Eritque die illa, dictum Je-  
hova, vox clamoris à porta pisci-  
um, & ejulatus à parte secunda; &  
confractio magna ab ipsis colli-  
bus.

11 Ejulate habitatores cavi:  
nam succidetur totus populus  
mercaturam faciens, excinden-  
tur omnes argentarii.

12 Eritque tempore illo, scru-  
tante me Jeruschalaima lucernis;  
ut animadvertam in istos homi-  
nes qui concreti sunt cum faci-  
bus suis, dicentes cum animo suo,  
Non benefacit Jehova, neq; ma-  
lefacit.

13 Erunt enim facultates eo-  
rum direptioni, & domus eorum

desolationi: edificant quidem do-  
mos, sed non inhabitabunt; plan-  
tantq; vineas, sed non bibent vi-  
num earum.

14 Propinqua est dies Jehovæ  
maxima, propinqua & festina val-  
de; sonus diei Jehovæ, amarè cla-  
maturò ibi robusto:

15 Dies furoris, dies illa; dies  
angustiae & oppressionis, dies va-  
stutatis & quidem vastissimæ, dies  
tenebrarum & obscuritatis, dies  
nubis & caliginis:

16 Dies buccinae & clangoris;  
contra civitates munitas, & con-  
tra angulos altissimos.

17 Qua angustis afficiam ho-  
mines, ut ambulent tamquam cæ-  
ci, quia Jehovæ peccaverunt: & ef-  
funderetur sanguis eorum velut  
pulvis, & caro eorum velut ster-  
cora.

18 Neq; argentum eorum, ne-  
que aurum eorum poterit eripere  
eos die furoris Jehovæ, quum igne  
zeli ipsius consumetur tota hæc  
terra: nam consummationem uti-  
que acceleratam confecturus est  
cum omnibus habitatoribus hu-  
jus terræ.

A N A L Y S I S C A P. I.

**H**Oc caput constat duabus partibus, titulo  
libri & prima parte prophetiæ. In titulo in-  
dicantur tria: prophetiæ hujus author, minister,  
& tempus. Prima hac parte prophetiæ denuntiat  
propheta Judæis, ac in primis Hierosolymitanis,  
calamitates quas Deus eis propter ipsorum pec-  
cata immissurus erat per Chaldæos. Calamitates  
illæ denuntiantur primùm in genere, v. 2: dein-  
de in specie, v. 3. & seqq. Indicantur autem cala-

mitates quinque: (1) fames, (2) internecio, (3) spoliatio, (4) anxietas, (5) demolitio munitio-  
 Fames significatur ex causa procreante, videl. ablatione animalium ad cibum aptorum, *ψ*. 3. Internecio tractatur quinque modis. (1) significatur verbo *exscindendi*, *ψ*. 3. 4. & 11. (2) illustratur simili mactationis animalium ad convivium, *ψ*. 7. & 8. (3) significatur ex effectis, clamore scil. & ejulatu, *ψ*. 10. 11. & 14. (4) amplificatur similibus, puta effusione pulveris & conculcatione stercoreis, *ψ*. 17. (5) significatur vocabulo consummationis, *ψ*. 18. Anxietas significatur per similia, *ψ*. 15. & 17. Spoliatio amplificatur enumeratione objectorum, id est, rerum spoliandarum: ut facultatum, domorum, vinearum, *ψ*. 13. Demolitio munitio-  
 num illustratur ab effecto destinato, puta clangore buccinæ, *ψ*. 16. Cæterum amplificantur istæ calamitates duobus modis: (1) à specie temporis, *ψ*. 7. & 14. (2) à causis corrumpentibus duabus: occultatione tum sui ipsius tum facultatum suarum, & exhibitione argenti atque auri. Quarum illa significatur ex adjuncta scrutatione, *ψ*. 12: ista autem expressè indicatur *ψ*. 18. Atque hæc de calamitatibus. Peccata (quæ fuerunt calamitatum illarum causæ procatartica) commemorantur quinque: (1) idololatria, (2) luxus in vestitu, sive fastus, (3) rapinæ, (4) dolus, (5) securitas carnalis. Idololatria (1) declaratur per species, *ψ*. 4. & 5: (2) amplificatur à contrario, *ψ*. 6. Luxus in vestitu significatur his verbis, *Qui induuntur indumento alienigenarum*, *ψ*. 8. Rapinæ declarantur ex modo agendi, *ψ*. 9. Dolus indicatur uno verbo, ibidem.

dem. Securitas carnalis significatur (1) simili, ibi, *Qui concreti sunt cum facibus suis:* (2) ex effectu, videlicet impia cogitatione de Deo, ibi, *Dicentes cum animo suo &c.*

SCHOLIA IN CAP. I.

**F**uit] *Verto, factum est.* Temporibus] *Hebr. Diebus.* V.I.

2 Omnino recepturus sum] *Hebr. Colligendo colligam. Id est, auferam.* Omnia] *Hoc deinceps declarabitur per partes.* Hujus] *In Hebræo est articulus.* Terræ] *Hebr. Humi.*

3 Recepturus sum] *Hebr. Colligam. Id est, auferam.* Homines & jumenta] *Hebr. Hominem & jumentum.* Aves] *Hebr. Avem. Sed vox est collectiva.* Cæli] *Aëris. Synecdoche generis.* Ruinas] *Verto, scandala. Nempe residuum Bahalis, ut declaratur versu 4. Hebr. Impactiones. Metonymia effecti.* Deniq;] *Hebr. Et. Homines] Hebr. Hominem.*

4 Extendens enim] *Hebr. Et extendam &c. & exscindam.* Residuum] *Quod non potuit expurgare fosias. Vide 2. Reg. 23.* Bahalis] *Instrumentorum cultus Bahalis. Atratorum] Ministrorum Bahalis atris vestibis indutorum. Vide 2. Reg. 23. v. 5. Sacerdotibus] Nempe Domini.*

5 Et] *Repete, Exscindam.* Super tecta] *Verto, Super tectis.* Honorem habentes] *Hoc supplementum non est necessarium.* Exercitui cælorum] *Malim, cali: nempe mediani. Id est, stellis.* Melecum] *Scribo, Melechum: quia in Hebræo est מלך raphatum. Aliàs nominatur Moloch. Significat regem.*

6 A sequendo Jehova] *Hebr. A post Jehovaham.*

7 Dies Jehovæ] *Id est, dies vindictæ Jehovahæ. Synecdoche generis.* Mactanda animalia] *Hebr. Mactationem. Id est, curabit mactari Judeos.* Præparavit] *Hebr. Sanctificavit.* Invitados suos] *Chaldeos.*

8 Erit] *Verto, Fiet.* Animadvertam] *Hebr. Visitem.* Alienigenarum] *Hebr. Alienigenæ: numero singulari. Sive, alieni populi.*

9 Animadvertam] *Hebr. Visitabo.* Qui insilit in limen] *Qui vi irrumpit in domum alterius ad auferendum pignus.* Die] *illa] Hæc verba pendent à verbo, Animadvertam.* Violentiã

& dolo] Facultatibus per violentiam & dolum acquisitis. Metonymia efficientis.

10 Vox clamoris] Scil. incolarum urbis Hierosolymæ: ut sequentia ostendunt. Clamoris autem, scil. orituri ex persecutione hostili Chaldeorum. A porta piscium &c.] Id est, Ab omni parte urbis. Commemorantur autem hic tres partes, quæ erant præcipuæ. Synecdoche membri. Ejulatus] Sive ululatus. A parte secunda] Quæ nominatur civitas mediana, 2. Reg. 20. v. 4. Confractio] Id est, vociferatio: quum guttur quasi frangitur inter vociferandum. Synecdoche generis.

11 Ejulate] Sive, ululate. Cavi] Vici profundi, in quo habitabant mercatores; ut sequentia verba ostendunt. Hebr. Mortarii. Metaphora: qualis Jud. 15. v. 19. Succidetur] Hebr. Succisus est. Sic mox, Excisi sunt. Argentarii] Verto, Qui onusti sunt argento. Periphrasis emtorum. Hebr. Qui tollunt argentum: id est, qui imponunt sibi argentum. Metonymia effecti destinati.

12 Eritque] Verto, Et fiet. Scrutante me] Hebr. Scrutabor &c. & animadvertam. Animadvertam] Hebr. Visitabo. Qui concreti sunt &c.] Id est, Qui sibi videntur integris esse viribus, quale est vinum quod incumbit facibus suis: ac proinde secure contemnunt minas prophetarum denuntiantium ipsis excidium. Hanc expositionem confirmant verba sequentia. Dicentes] Verto, Qui dicunt. Cum animo suo] Hebr. In corde suo. Id est, qui sic cogitant. Non benefacit] Verto, Non benefaciet. Scil. nobis. Sic mox, Neq; malefaciet. Est amplificatio à contrario. Simpliciter enim dicere volunt, Non malefaciet nobis. Sed hoc amplificat à contrario, Nec benefaciet, nec malefaciet.

13 Erunt enim] Hac versione sententia hæc connectitur cum illa, Animadvertam in istos. Sed malim sic, Idcirco erunt: ut cohereat hæc sententia cum proxime-præcedente, Qui dicunt &c. Hebr. Et erunt. Domus] Numero plurali. Ædificant] Verto, Ædificabunt. Sic mox, Plantabunt. Sed] Hebr. Et.

14 Dies Jehovæ] Ut supra versu 7. Maxima] Hebr. Magna illa. Festina] Fortasse legendum, Festinat. Hebr. Accelerat.

15 Furoris] Scil. Jehovæ. Ex v. 18. Et quidem vastissimæ] Hebr. Et vastationis.

16 An-

16 Angulos] *Turres sitas in angulis urbium. Metonymia sub-*  
*jecti. Altissimos] Hebr. Altos.*

17 Quâ] *Hebr. Et. Jehovæ] Verto, Contra Jehovam. Ca-*  
*ro] Heb. כֶּסֶל, id est, cibus. Synecdoche generis: quia caro est cibus*  
*vermium. Velut stercora] Suppleo, Conculcabitur. Ellipsis*  
*verbi relati.*

18 Neque argentum &c.] *Hebr. Etiam argentum eorum,*  
*etiam aurum eorum non poterit &c. Quum] Verto, Sed. Hebr.*  
*Et. Igne zeli] Id est, zelo tanquam igne. Consumetur] Hebr.*  
*Comedetur. Hæc] In Hebræo est articulus. Confecturus]*  
*Hebr. Facturus. Hujus] Rursum in Hebræo articulus est.*

OBSERVAT. EX CAP. I.

**E**X *ψ. 2. & seqq.* In populo Judaico proponi- 1.  
Pœna di-  
vina.  
tur exemplum justæ vindictæ Dei propter  
omnis generis grassantia peccata.

Ex *ψ. 5.* Deus non approbat hypocritas, qui ita 2.  
Hypocrita.  
ipsum colunt, ut interim colant etiam idola.

Ex *ψ. 8.* Magnificis personis cavenda est vani- 3.  
Vestitus.  
tas vestitus exotici.

Ex *ψ. 9.* Ministris cavendum est, ne facultates 4.  
Ministri.  
dominorum suorum augeant per violentiam &  
dolum.

Ex *ψ. 12.* Quum Dominus alicui populo ho- 5.  
Guberna-  
tio Dei.  
stes immisit ad ipsum interficiendum ac diripi-  
endum: tum frustra sese & facultates suas occul-  
tant homines.


Ex eod. *ψ.* Cavenda securitas carnalis. 6.  
Securitas.

Ex *ψ. 14.* Quum Deus immisit hostes ad po- 7.  
Robur.  
pulum aliquem interficiendum, tum nihil juvat  
robur illorum qui se defendunt.

Ex *ψ. 16.* Quum Deus immisit hostes ad de- 8.  
Munitio-  
nes.  
moliendum munitiones, tum nihil illæ juvant.

Ex *ψ. 18.* Quum Deus immisit hostes ad po- 9.  
Aurum &  
argenti.

pulum aliquem interficiendum: tum frustra exhibetur aurum & argentum ad redimendum se.



## CAPUT II.

**E**Xcutite vos, iterumque excutite; o gens, vacua desiderio:

2 Quum nondum exsequitur decretum, *quum nondum* ut gluma transit dies; quum nondum invadit vos æstus iræ Jehovæ, quum nondum invadit vos dies iræ Jehovæ.

3 Quærite Jehovam omnes mansueti terræ, qui jus ejus operantur: quærite justitiam, quærite mansuetudinē, fortassè abscondimini die iræ Jehovæ.

4 Nam Hazza derelicta erit, & Aschkelon desolationi: Aschdodum in ipso meridie depellent, & Hekron extirpabitur.

5 Væ habitatorib. tractus maritimi, genti Cerethæorum: verbum Jehovæ contra vos est, Cenhanaea terra Pelischthæorum, me ita perditurum esse te, ut nullus sit habitator.

6 Eritque tractus maritimus procaulis, fossuris pastorum, & septis gregum.

7 Et erit tractus pro residuo domus Jehudæ, ut apud eos pascant: in domibus Aschkelonis vespere accubabunt, quum reviserit eos Jehova deus ipsorum, & reducerit captivam turbam ipsorum.

8 Audivi opprobrium Moabitaram, & convitia Hammonitarum; quibus *probris* affecerint populum meum, ut ampliaverint illud per terminum illorum.

9 Idcirco *in vivo* ego, dictum

Jhovæ exercituum, dei Jisraëli's, Moab tamquam Sedom erit, & Hammonitæ ut Hamora, locus derelictus urtiæ, & fodinæ salis, ac desolationis *locus* usque in seculum: reliquæ populi mei diripient eos, & reliquum gentis meæ possidebunt eos.

10 Hoc eis erit pro fastu eorum; quia *probris* affecerunt, & ampliaverunt *ea* per populum Jehovæ exercituum.

11 Terribilis erit Jehova in eis, quum emaciabit omnes deos terræ; & incurvabunt se *honorem habentes* ei quisque à loco suo, omnes regiones gentium:

12 Etiam vos Æthiopes, confossis gladio meo istis.

13 Nam extendet manum suam versus Aquilonem, ut perdat Assyriam; disponetque Nineven desolationi, siccam ut desertum:

14 Et accubabunt in ea greges, omnes bestię gentium, tum platea, tum anatata, in malognatis ejus pernoctabunt: vox cantabit in fenestra, desolatio in poste, quum opus cedrinum ejus nudaverit.

15 Hujusmodi erit civitas illa exultabunda, quæ residet securè, quæ dicit cum animo suo, ego sum, & præter me nulla est amplius: quomodo est desolationi? cubile bestiis? *dicens* quisquis transibit per eam sibilabit, agitabit manum suam.

ANALY-

**H**Oc capite propheta duo agit: primùm hortatur Judæos ad pœnitentiam, tribus primis versibus: deinde prophetat de excidio gentium quarundam exterarum: idq; in hunc finem, ut prophetiam de excidio Judæorum antea propositam confirmet, v. 4. & seqq.

DE PRIMA PARTE.

Hortatio tractatur quatuor modis. (1) indicatur causa procatartica quæ prophetam ad illam pronuntiandam movit, nempe stupor & securitas carnalis populi, ibi, *O gens vacua desiderio*, versu 1. (2) indicatur illius finis seu causa finalis: ne scilicet calamitatibus denuntiatis obruantur incauti, v. 2. (3) indicatur pœnitentiæ forma, in duabus partibus posita: puta precibus, ibi, *Querite Jehovaham*, v. 3. & studio justitiæ atque mansuetudinis, ibi, *Querite justitiam &c.* eodem versu. (4) indicatur pœnitentiæ illius eventus, videlicet protectio pœnitentium, ibi, *Fortasse abscondemini*, v. eod. Atq; sic tractatur hortatio.

DE SECUNDA PARTE.

Gentes de quarum excidio prophetatur, sunt quinque: Philistæi, Moabitæ, Ammonitæ, Æthiopes, & Assyrii. Philistæorum excidium declaratur duobus modis: (1) è subjectis locis numero quinque, v. 4. & 5. (2) ex eventu, v. 6. & 7. Moabitarum & Ammonitarum excidium indicatur conjunctim: & partim declaratur, partim amplificatur. Declaratur ex causa procatartica, nempe superbis probris quibus affecerunt populum Judaicum, v. 8. & 10. Amplificatur autem tribus

modis: exemplo simili, similibus duobus, & eventis tribus. Exemplum simile est excidium Sodomæ & Gomorræ, *ψ. 9.* Simili primo comparatur regio illa excisa loco repleto urticis: posteriore fodinæ salis, versu eodem. Eventum primum indicatur ibi, *Reliquia populi mei &c.* versu eodem. Secundum ibi, *Quum emaciabit &c.* versu 11. Tertium ibi, *Et incurvabunt se &c.* versu eodem. Æthiopum excidium indicatur uno verbo, vers. 12. Assyriorum excidium partim illustratur, partim amplificatur. Illustratur duobus modis: (1) indicatione loci, versu 13. (2) indicatione speciei, ibid. Amplificatur item duobus modis: ex eventis & causa corrumpente. Eventa indicantur duo: (1) occupatio regionis à feris animalibus, vers. 14. & 15. (2) insultatio prætereuntium, versu 15. Causa corrumpens quæ videbatur excidium illud avertura, fuit Ninevitarum potentia: quæ significatur ex effectis tribus, videlicet Ninevitarum exultatione, securitate carnali, & gloriatione, versu 15.

## SCHLOIA IN CAP. II.

*ψ. 1.* **E**Xcutite vos] *Verto, Colligite vos, colligite, inquam. Id est, Agendo pœnitentiam operam date, ne instar stipularum hic illic jacentium dispellamini ab hoste, tanquam à vento. Nam verbum Hebraicum significat propriè colligere stipulas. Metaphora. Vacua desiderio] Scil. reconciliandi sibi De. m. Heb. Non affecta desiderio.*

2 *Quum nondum exsequitur decretum] Verto, Quum nondum parit decretum. Id est, Quum decretum Dei de excidio vestri per Chaldaeos nondum affert pœnã decretam. Dies] Tempus quod elabetur usq; ad exsequutionem decreti illius. Quum nondum invadit &c.] Epexegetis. Invadit vos] Hebr. Venit super vos.*

3 *Jus]*



3 Jus ejus] *Id est, jus ab eo præscriptum. Genitivus adjuncti.*  
 Abscondemini] *Ac proinde non lademini ab hoste.*

4 Hazza] *Vulgò Gaza. Hac urbs, & proximè sequentes, sitæ erant in regione Philistæorum: & erant urbes primariae, in quibus residebant satrapæ. Derelicta] Nempe incolis expulsis per Chaldaeos. Aschdodum] Vulgò Azotum. In ipso meridie] *Id est, palam. Sic Jerem. 15. v. 8. Depellent] Expellent. Hoc autem referendum est ad incolas urbis Aschdodi. Hekron extirpabitur] In Hebræo est paronomasia: quasi dicatur, Radicata eradicabitur.**

5 Tractus maritimi] *Hebr. Tractus maris: id est, regionis sita ad mare: nempe ad mare mediterraneum. Periphrasis Palestinae. Et genitivus subjecti: rem synecdoche generis. Tractus] Hebr. Funnis. Metonymia adjuncti. nam funibus dividebant agros. Cerethæorum] *Id est, Philistæorum. Verbum &c.] Verto, Verbum Jehovah contra te venturum est, Chananaea, terra Philistæorum: & perdam te ita ut nullus sit habitator. Verbum Jehovah] *Id est, calamitas per verbum Jehovah denuntiata. Chananaea] Pars Chananaea. Synecdoche integri. Ita ut nullus sit habitator] Hebr. A non habitatore.***

6 Tractus maritimus] *Hebr. Funnis maris. Vide versu precedente. Fossaris pastorum] Fossis quas fodiunt pastores ad excipiendum aquam caelestem. Grægum] Scil. ovium & caprarum. Tales enim greges vox Hebraica propriè significat.*

7 Et erit] *Scil. tractus ille maritimus. Ut apud eos pascant] Verto, pascantur. Id est, ut regione eorum fruantur. Metaphora ab ovibus: qualis infra cap. 3. vers. 13. Accubabunt] Verto, Recubabunt. Ut scil. recubant quadrupedes. Reviserit] Hebr. Visiterit. Scil. gratiosè, reducendo eos è captivitate Babylonica: ut sequentia declarant.*

8 Moabitarum] *Hebr. Moabi. Hammonitarum] Hebr. Filiorum Hammonis. Ut ampliaverint illud] Verto, Et quomodo extulerint se. Hebr. Magnificarint. Moab] Hebr. Quod Moab &c. Id est, Certum est quod &c. Moab] *Id est, regio Moabitarum. Tanquam Sedom erit] Subvertetur. Sedom] Vulgò Sodoma. Hammonitæ] Hebr. Filii Hammonis. Hamora] Vulgò Gomorra. Diripient &c.] Fruentur eorum regione.**

10 Erit] *Eyeniet. Pro fastu] Id est, Propter fastum. Pro-*

bris affecerunt] Scil. populum Jehova. *ἡ πόλις αὐτοῦ*. Et ampli-  
arunt &c.] *Verto*, Et extulerunt se super populum Jehova. Hebr.  
Magnificarunt: ut versu 8. Jehovæ exercituum] *Verto*, Jehovæ  
dei exercituum. Ellipsis vocis *יהוה*: nam nomen *יהוה*: quum pro-  
prium sit, non ponitur in regimine.

11 Emaciabit] *Mœrore afficiet. Metonymia effecti, & meta-  
phora* *אֲרָאָה־נִסְיָאֵן*. Deos] *Idola*. Honorem habentes] *Hoc  
supplementum non est necessarium. Regiones*] Hebr. *Insulae*.

12 Etiam vos Æthiopes] *Verto*, Etiam ad vos Æthiopes  
quod attinet: Confossi gladio meo erunt, ait Jehova. In Hebræo est  
nominativus absolutè positus.

13 Nam] *Verto*, *Præterea*. Hebr. *Et*. Extendet] *Scil. Jeho-  
va*. Ut perdat] *Vel, Et perdet*. Assyriam] *Malim, Assyrios.*  
Hebr. *Ascharem*. *Metonymia efficientis*. Disponet &c.] *Verto*,  
*Rediget in desolationem*. Hebr. *Ponet &c.*

14 Accubabunt] *Verto*, *recubabunt*. In ea] Hebr. *In medio  
ejus*. Omnes bestiae gentium] Hebr. *Omnis bestia gentis*. Tum,  
tum] Hebr. *Etiam, etiam*. In malogranatis] *In capitellis colu-  
mnarum. Metaphora*. Defolatio] *Suppleo, erit*. Opus cedri-  
num] *Tabulas cedrinæ*. Hebr. *Cedrum*. *Metonymia materiae*. Nu-  
daverit] *Scil. Dominus: sive, hostis*.

15 Hujusmodi erit civitas] *Hæc erit conditio, sive hic sta-  
tus, civitatis*. Hebr. *Hæc erit*. Civitas illa exultabunda] *Nine-  
ve*. Residet] Hebr. *Sedet*. Securè] Hebr. *Cum fiducia*. Cum  
animo suo] Hebr. *In corde suo*. Præter me nulla] Hebr. *אֵין*.  
*Sic Esa. 47. v. 8. Quomodo est desolationi*] *Verto, Quomodo  
redacta est (Hebr. facta est) in desolationem*. Bestiis] Hebr. *Bestiae*.  
Dicens] *Non placet hoc supplementum*. Per eam] *Vel, juxta  
eam*. Sibilabit &c.] *In signum irrisionis*.

## OBSERV. EX CAP. II.

1.  
Pœnitentia.

EX v. 1. & 2. Cavendum, ne tempus pœni-  
tentiaæ negligamus.

2.  
Pœnitentia.

EX v. 3. Pœnitentia consistit tum in petitione  
remissionis peccatorum apud Deum, tum in stu-  
dio justitiæ erga proximum.

EX v. 4.

Ex v. 4. & seqq. Exemplis vindictæ divinæ in alios populos moveri debemus ad pœnitentiam.

Ex v. 8. & 10 Cavenda superbia, & probra erga confellores veræ religionis.

Ex v. 15. Cavenda fiducia in munitionibus.

3.  
Pœnitentiæ.

4.  
Superbia.  
Probra.

5.  
Munitiones.

CAPUT III.

VÆ ingluvici, & contaminatæ; civitati huic opprimenti.

2 Non auscultavit voci, non accipit disciplinam; Jehovah non confidit, ad deum suum non appropinquat.

3 Principes ejus in medio ejus, sunt leones rugientes: judices ejus lupi vespertini, qui non rodunt ossa in matutinum usque.

4 Prophetæ ejus rapidi, viri perfidiosissimi; sacerdotes ejus prophanant rem sanctam, vim faciunt legi.

5 Jehovah justus in medio ejus, non facit iniquitatem; unoquoque manet jus suum edit in lucem, non deest, sed nescit iniquus erubescere.

6 Exscidi gentes, desolatæ sunt extremitates earum, destruxi vicus earum adeo ut nullus transiret: ita sunt exinanitæ civitates earum, ut non sit quisquam, ut nullus sit habitator.

7 Dicebam, Utrique timebis me, accipies disciplinam, ut non excinderetur habitaculum ejus, quibuscunque animadverterem in eam: verumtamen inde à diluculo corruerunt omnes actiones suas.

8 Idcirco præstolamini me, di-

ctum Jehovah, in diem quo surrecturus sum ad prædam; nam jus meum est ut recipiam gentes, ut congregem regna, ut effundam super illas indignationem meam, totum æstum iræ meæ, quum igne zeli mei absorpta fuerit tota hæc terra.

9 Tunc enim mutabo in populis labium ut purum sit, quo invocent omnes nomen Jehovah, colendo eum humero uno.

10 Et transfluvialibus partibus Æthiopiæ; supplices mei, filia dispersorum meorum afferent munus meum.

11 Tempore illo non erubescas ab omnibus actionibus tuis, quibus defeceris à me: nam tunc amovero è medio tui exsultantes de fastu tuo, ut non pergas efferte te amplius in monte sanctitatis meæ;

12 Reliquero autem in medio tui populum pauperem, tenuemque, qui se recipient ad nomen Jehovah.

13 Reliquiæ Jisraëlis non facient iniquitatem, neque loquentur mendacium, neque invenietur in ore earum lingua dolosa: sed

T

ipsi pascentur & recubabunt, ne-  
mine perterrente.

14 Cane filia Tzizonis, clangi-  
te Jisraëlitæ, lætare & exsulta ex  
toto animo, filia Jeruschalaimo-  
rum.

15 Amovisse Jehovam judicia  
tua, expeditisse inimicos tuos: re-  
gem Jisraëlis Jehovam esse in me-  
dio tui, fore ut non timeas ma-  
lum amplius.

16 Die illa dicetur urbi Jeru-  
schalaimorum, Ne timeto; Tzi-  
joni, Ne remittuntor manus tuæ.

17 Jehova deus tuus in medio  
tui potens servaturus est; gavisu-  
rus de te lætitia, conquieturus in  
amore suo, exsultaturus de te  
cantu, *dicens,*

18 Mœstos propter conventum  
recipiam, qui ex te sunt: *mœstos*  
*propter onus impositum ei, propter*  
opprobrium.

19 Ecce me conficiente cum  
omnibus affligentibus te, tempo-  
re illo, simul servabo claudican-  
tem, & depulsam congregabo,  
disponamq; eis laudem & nomen  
in tota terra, quod illos pudeat.

20 Tempore illo adducā vos,  
*quo* inquam tempore congrega-  
vero vos: nam dispositurus sum  
vobis nomen & laudem in omni-  
bus populis terræ, me reducente  
captivas turbas vestras in  
oculis vestris, ait  
Jehova.

### A N A L Y S I S C A P. III.

**H**Oc capite duo agit propheta: primùm de-  
nuntiat Judæis excidium, octo primis versi-  
bus: deinde proponit eis promissiones, v. 9. &  
seqq.

#### D E P R I M A P A R T E.

Excidium partim denuntiat, partim declarat  
è causis procatarticis. Denuntiat excidiū duo-  
bus modis: partim in genere seu verbis generali-  
bus: puta voculâ *Va*, versu 1: & verbis illis, *Ut effun-  
dam &c.* v. 8. In specie autem indicat duo: præ-  
dationem & consumptionem, v. 8. Ubi etiam ex-  
cidium illud illustrat à causis ministris, ibi, *Ut*  
*colligam gentes &c.* Causæ procatarticæ excidii  
illius fuerunt peccata Judæorum: quæ comme-  
morantur numero septem: (1) avaritia & rapinæ,  
v. 1. (2) contemptus verbi Dei, v. 2. (3) increduli-  
tas, ibidem. (4) tyrannis gubernatorum reipubl.  
v. 3.

ψ. 3. (5) perfidia prophetarum, ψ. 4. (6) perfidia sacerdotum, ibid. (7) contumacia in cōtemnendis tum monitis prophetarum, ψ. 5: tum exemplis judiciorum Dei in gentes vicinas, ψ. 6. & 7. Atq; hæc de excidio Judæorum.

## DE SECUNDA PARTE.

Beneficia quæ Dominus Judæis hîc promittit, sunt septem. (1) vocatio gentium, verſu 9. & 10. (2) conversio ipſorum Judæorum, ψ. 11. 12. & 13. (3) protectio eorum, ψ. 13. 15. 16. & 17. (4) liberatio è captivitate Babylonica, ψ. 14. & 15. (5) permissio conventuum sacrorum, ψ. 18. (6) excidium hostium, ψ. 19. (7) glorificatio Judæorum, ψ. 19. & 20.

## SCHOLIA IN CAP. III.

**I**n gluviei] *Id est, civitati Hierosolymæ: quæ instar ingluviei devorat facultates vicinarum civitatum & pagorum. Metaphora. Et contaminatæ] Verto, Et quidem contaminatæ ingluviei. Contaminatæ] Pollutæ peccatis. Huic] In Hebræo est articulus. Opprimenti] Vel, rapienti.*

ψ. 1.

2 Voci] *Scil. Jehovæ: ut percipitur è sequentibus. Jehovæ] Malim, In Jehova.*

3 Medio] *Hebr. Intimo. Leones] Crudeles. Judices ejus] Supple, sunt. Lupi vespertini] Hebr. Lupi vesperæ: id est, qui circa vesperam insidiantur ovibus. Genitivus subjecti. Qui non rodunt ossa &c.] Id est, Qui continenter captâ pecude illam devorant. Rodunt ossa] Verto, Extrahunt ossa. Hebr. Exossant. Sic Num. 24. v. 8. ubi nomen ossium expressè adjicitur.*

4 Rapidi] *Supple, sunt. Sed malim, Instabiles: sicut hanc vocem reddiderunt nostri Jud. 9. v. 4. Viri perfidiosissimi] Hebr. Viri perfidiarum. Genitivus adjuncti. Rem sanctam] Deo consecratam. Hebr. Sanctitatem. Metonymia formæ, & synecdoche generis.*

5 Justus] *Suppleo, Est. Medio] Hebr. Intimo. Unoquoq;*

mâne] *Hebr. Mâne mâne. Edit] Hebr. Dat. Non deest] Scil. quicquam quod ad erudiendum hunc populum faciat. Sed] Hebr. Et. Erubescere] Hebr. Pudorem.*

6 Exscidi] *Malim, Excidi: à verbo Excido, penultimâ longâ. Extremitates] Verto, turres. Hebr. Anguli. Ut supra cap. i. v. 16. Adeò ut nullus transiret] Hebr. A non transeunte. Sic mox, A non esse quenquam, à non esse habitatorem. Exinanitæ sunt] Alii, Desolatæ sunt.*

7 Quibuscunque animadverterem] *Hebr. Omni quo visitarem. Inde à diluculo corruerunt] I. e. Studiosè & de industria, seu datâ operâ, corruerunt. Hebr. Dilucularunt (seu mâne surrexerunt) corruerunt.*

8 Diem quo surrecturus sum] *Hebr. Diem surgendi me. Recipiam] Verto, colligam. Super illas] Verto, Super illos. Nempe Judæos. Quum igne &c.] Verto, Nam igne zeli mei absumetur tota hac terra.*

9 Tunc enim] *Verto, Certè tunc. Scil. postquam Judæos ita visitavero. Quo invocent] Heb. Ad invocandum. Omnes] Malim, Cuncti. Heb. Omnes ipsi. Humero uno] Unanimi consensu.*

10 E transfluvialibus partibus] *Hebr. E transitu (id est, ripa) fluviorum. In Hebræo nulla est ellipsis. Æthiopiæ] Hebr. Cuschi. Metonymia duplex: una efficientis, Cusch pro Æthiopibus: altera adjuncti, Æthiopes pro Æthiopia. Filia] Verto, Unâ cum filia. Filia disperforum meorum] Id est, Cum dispersis Judæis qui mihi sunt chari instar filie. Afferent munus meum] Colent me. Synecdoche speciei: qualis Malach. i. v. 11.*

11 Tempore illo] *Hebr. Die illo. Ab omnibus &c.] Verto, Propter omnes actiones tuas. Defeceris à me] Vel, rebellaveris mihi. Amovero] Vel, amovebo. Ut non pergas] Vel, Nec perges. Hebr. Nec addes. In monte &c.] Verto, Ob montem sanctum meum. Id est, ob templum in monte Tsijonis edificatum. Metonymia subjecti.*

12 Qui] *Hebr. Et. Se recipient &c.] Verto, Confident in nomine Jehova.*

13 Lingua dolosa] *Heb. Lingua doli. Genitivus adjuncti. Pascuntur] Eruentur bonis, nempe spiritualibus. Metaphora ab ovibus. Nemine perterrente] Hebr. Et non erit qui exterreat.*

14 Jif-

14 Jisraëlitæ ] Hebr. Jisraël. Animo ] Hebr. Corde. Filia Jeruschalaimorum ] *Id est, popule Hierosolymitane.*

15 Amovisse ] *Verto, Amovit. Sic deinceps. Judicia tua ] Castigationes tuas, calamitates tuas. Expedivisse ] Verto, E medio removit. Inimicos tuos ] Hebr. Inimicum tuum.*

16 Urbi Jeruschalaimorum ] *Verto, Hierosolyma. In Hebræo vox urbi non habetur: neq; etiam deficit: sed ipsum nomen Hebræum est numeri singularis.*

17 In medio &c. ] *Verto, In medio tui est, tanquam potens servaturus est. Gavifurus ] Addo, est. Sic deinceps. Non enim sunt participia in Hebræo, sed verba indicativi modi. Conquicturus ] Hebr. Taciturus. Metonymia effecti. In amore ] Quo te complectitur. Cantu ] Cum cantu.*

18 Propter conventum ] *Propterea quòd non licet eis convenire in templo Hierosolymitano ad colendum Deum. Recipiam ] Colligam. Impositum ei ] Hebr. Quod erat super eâ. Scil. Hierosolyma. Propter ] Malim, Nempe. Appositio: qua declaratur vocabulum oneris quod præcessit.*

19 Ecce me &c. ] *Verto, Ecce ego conficiam consummationem &c. Hoc supplementum sumo ex cap. 1. v. 18. Simul ] Verto, Et. Claudicantem ] Vide Mich. 4. v. 6. Disponamq; eis laudem ] Hebr. Ponam eos in laudem & in nomen. Eos: nempe Judæos, quos modò intellexit per claudicantem & depulsam. Quod illos pudeat ] Verto, In qua pudefacti fuerant. Hebr. In tota terra pudoris ipsorum.*

20 Dispositurus sum &c. ] *Hebr. Dabo vos in nomen & in laudem. Me reducente ] Verto, Quum reducam. In oculis vestris ] Verto, Ante oculos vestros.*

OBSERVAT. EX CAP. III.

**E**X octo primis versibus. In excidio Hierosolymæ per Chaldæos proponitur exemplum justæ vindictæ Dei propter grassantia peccata.

Ex v. 1. Cavenda avaritia & rapinæ.

Ex v. 2. Cavendus contemptus verbi Dei.

Ex eod. v. Cavenda incredulitas.

Ex v. 3. Gubernatoribus reipubl. cavenda tyrannis.

1. Pœna divina.


2. Avaritia.

3. Contemptus verbi Dei.

4. Incredulitas.

5. Tyrannis

6. *Perfidia.* Ex v. 4. Doctoribus verbi Dei cavenda perfidia.
7. *Contumacia.* Ex v. 5. 6. & 7. Cavenda contumacia in contemnendis monitis pastorum Ecclesiæ, & exemplis iudiciorum Dei.
8. *Calamitates.* Ex v. 8. In publicis calamitatibus pii debent expectare protectionem Dei.
9. *Vocatio gentium.* Ex v. 9. & 10. notetur testimonium de vocati-  
one gentium.
10. *Conversio Judæorum.* Ex v. 11. 12. & 13. notetur testimonium de conversione Judæorum.
11. *Liberationes divina.* Ex v. 14. & 15. Pro liberationibus divinis gratiæ Deo agenda sunt.
12. *Hostes Ecclesiæ.* Ex v. 19. notetur testimonium de excidio hostium Ecclesiæ.
13. *Glorificatio Ecclesiæ.* Ex v. 19. & 20. notetur testimonium de Ecclesiæ glorificatione.



## ANALYSIS PROPHE- TÆ HAGGÆI.

### ARGUMENTUM LIBRI.

**P**ropheta Haggæus exhortatur primores Hierosolymitanos & populum, ut templum quod ante multos annos à Babyloniis fuerat eversum, & cujus reædificandi potestas eis primùm à Cyro, deinde à Dario Notho data fuerat, reædificent: & contra speciem templi humilem consolatur eos promissione gloriæ majoris illi tribuendæ, quàm fuerat gloria templi prioris: quia scilicet Christus in illo concionaturus sit.

CAPUT



## CAPUT I.

**A**Nno secundo Darii regis, mense sexto, die primo mensis; fuit verbum Jehovæ per Chaggaium prophetam ad Zerubbabelem filium Schealthielis ducem Jehudæ, & ad Jehoschuham filium Jehotzadaki sacerdotem maximum, dicendo;

2 Sic edixit Jehova exercituum, ut dicam; Populus hic dicunt, non advenisse tempus, tempus quo domus Jehovæ ædificetur.

3 Fuit itaque verbum Jehovæ per Chaggaium prophetam, dicendo,

4 An tempus est vobis, *heus* vos, desidendi in domibus vestris contabulatis; quum domus hæc vasta est?

5 Quapropter nunc sic ait Jehova exercituum, Adhibete animum vestrum ad vias vestras.

6 Seritis multum, & infertis parum; comeditis, minimè verò ad saturitatem; bibitis, sed minimè affatim; induimini, sed nemo *ita* ut sit calor ipsi; & qui mercedem reportat sibi, mercedem reportat in loculum pertusum.

7 Sic ait Jehova exercituum, Adhibete animum ad vias vestras.

8 Ascendite in istum montem, & afferentes ligna ædificate domum hanc, ut acceptum habens illud glorificem me, ait Jehova.

9 Spectatis ad multa, sed ecce ad pauca pervenitis, & quod infertis domum, efflo illud: quamobrem? dictum Jehovæ exerci-

tuum. Propterea quòd domus mea est vasta, & vos excurritis quisq; pro domo sua.

10 Idcirco contra vos cohibentur cæli à rore; & terra cohibetur à frumento suo.

11 Me advocante siccitatem super hanc terram, & super hos montes, & super frumentum, & super mustum, & super oleum, & super id quod prolatura esset hæc terra: etiam super homines, & super jumenta, deniq; super omnem laborem manuum.

12 Auscultavit autem Zerubbabel filius Schalthielis, & Jehoschuah filius Jehotzadaki sacerdos maximus, & totæ reliquæ populi, voci Jehovæ dei sui, & verbis Chaggaji prophetæ, quum misisset eum Jehova deus ipsorum: timueruntque populus à facie Jehovæ.

13 Tunc loquutus est Chaggai legatus Jehovæ ex legatione Jehovæ populo, dicendo; Ego vobiscum sum, dictum Jehovæ.

14 Concitavitq; Jehova spiritum Zerubbabelis filii Schalthielis ducis Jehudæ, & spiritum Jehoschuhæ filii Jehotzadaki sacerdotis maximi, & spiritum reliquiarum totius populi; ut venientes facerent opus in domo Jehovæ exercituum dei sui:

15 Die vigesimo quarto mensis, sexto mense; anno secundo Darii regis.

**H**Oc capite continetur primus Haggæi sermo: quo primores Hierosolymitanos & populum hortatur ad reedificationem templi. Sunt autem duæ capitis partes: priore recitatur ipse sermo, usque ad v. 12. posteriore narrantur eventa illius, v. 12. & seqq. Ipse sermo quinque membris constat. Primo indicatur tempus quo fuit habitus, vers 1. Secundo causa procatartica quæ Deum movit ut Haggæo sermonem hunc mandaret. Ea fuit sermo populi quo negabat tempus jam esse ut templum reedificarent, v. 2. Tertio subjicitur sermonis illius refutatio: quæ constat argumento à pari, vel à minori: in hanc sententiam, Si tempus jam est ut reedificetis domos vestras: ergo etiam, vel, ergo multo magis tempus jam est ut reedificetis domum Dei, v. 4. Quarto additur hortationis argumentum ab eventis molestis & noxiis quæ evenerant & tunc quoq; eveniebant ex reedificatione templi neglecta: puta maledictiones Dei multiplices, v. 5. 6. 7. & rursus v. 9. 10. 11. Quinto inseritur argumentum ab eventis jucundis & salutaribus duobus: approbatione Dei, & glorificatione sive ipsius Dei sive templi, v. 8. Atque sic tractatur ipse sermo. Eventa illius narrantur tria: (1) obedientia primorum & populi: quæ illustratur ex causa procreante, videl. timore Dei, v. 12. (2) promissio præsentia Dei per Haggæum illis facta, v. 13. (3) operis aggressio: quæ illustratur (1) ex causa procreante, videl. excitatione divina, v. 14. (2) ex adjuncto tempore, v. 15.

SCHO.

## SCHOLIA IN CAP. I.

**D**arii] Regis Persarum, cognomento Nothi. Vide Efr. 4. v. 24. Primo] Hebr. Uno. Fuit] Verto, Factum est. Per Chaggaium] Hebr. Per manum Haggaii. Filium] Id est, nepotem. nam proprie loquendo erat filius Pedaje, 1. Corinth. 3. v. 17. 18. 19. Sic deinceps. Jehudæ] Tribus Juda. Maximum] Hebr. Magnum. Cum articulo.

\*1.

2 Jehova exercituum] Verto, Jehova deus exercituum. Deficit enim nomen יהוה, quod alibi additur. Nomen autem Jehova quum sit proprium, non ponitur in regimine. Ut dicam] Hebr. Dicendo. Tempus quo &c.] Heb. Tempus domus Jehovæ ut edificetur. Domus Jehovæ] Templi.

3 Fuit] Verto, Factum est. Per Chaggaium] Hebr. Per manum Haggaii. Quum] Hebr. Et.

5 Quapropter] Hebr. Et. Jehova exercituum] Verto, Jehova deus exercituum. Adhibete animum vestrum ad vias vestras] Id est, Considerate statum rerum vestrarum. Heb. Ponite cor vestrum super vias vestras.

6 Affatim] Verto, Ad hilaritatem. Hebr. Ad ebrietatem. Synecdoche generis: qualis Genes. 33. v. 34. Vini enim vis est, exhilarare cor hominis. Et hoc genus ebrietatis licitum est, quatenus caveatur nimia ingurgitatio.

7 Jehova exercituum] Verto, Jehova deus exercituum. Adhibete &c.] Ut versu 5.

8 In istum montem] Nempe Libanum. Confer 1. Reg. 5. v. 6. Afferentes &c.] Hebr. Afferte & adificate. Ligna] Hebr. Lignum. Hanc] In Hebraeo est articulus. Ut acceptum habens &c.] Hebr. Et acceptum habebo illud, & glorificabo me. Vel, Et gloriosam reddam illam. Si pro אֲכַבֵּד legatur אֲכַבֵּד.

9 Spectatis] Hebr. Spectare. Ad multa] Ad amplam messem & vindemiam. Synecdoche generis. Sed] Hebr. Et. Pauca] Hebr. Parum, vel pauxillum. Et quod infertis &c.] Verto, Et quum intulistis in domum, difflo illud. Hebr. Et intulistis & difflo. Hebr. Sufflo in illud. Jehovæ exercituum] Verto, Jehovæ dei exercituum. Propterea quod &c.] Heb. Propter domum meam

quòd est vasta. Excurritis] *Vel simpliciter, Curritis.* Pro domo sua] *Scil. edificanda.*

II Me advocante] *Verto, Nam vocavi. Hebr. Et vocavi.* Hanc] *In Hebræo est articulus. Sic deinceps.* Terra] *Hebr. Humus.* Etiam] *Hebr. Et.* Homines] *Hebr. Hominem.* Jumenta] *Hebr. Jumentum.* Denique] *Hebr. Et.* Laborem] *Id est, terræ nascentia, labore culta. Metonymia efficientis, vel adjuncti: diverso respectu.* Manuum] *Heb. Volarum.*

12. Autem] *Malim, Igitur. Hebr. Et.*

13. Tunc] *Hebr. Et.*

14. Concitavit] *Malim, Excitavit.* Spiritum] *Animum.* Ut venientes facerent] *Hebr. Et venerunt & fecerunt.* Jehovæ exercituum] *Verto, Jehovæ dei exercituum.*

## OBSERVAT. EXCAP. I.

I.  
Hominis  
naturæ.

EX  $\psi$ . 2. & 4. In populo Judaico negligente ædificationem templi & procurante ædificationem domuum propriarum, proponitur exemplum corruptionis naturæ: unde fit ut plus curemus commoda nostra terrena, quàm bona cælestia & cultum Dei.

2.  
Cultus Dei.

EX  $\psi$ . 5. & seqq. usque ad 12. In populo Judaico propter intermissionem reædificationis templi divinitus castigato, proponitur exemplum punitæ negligentiae in instaurando cultu Dei collapso.

3.  
Cultus Dei.

EX  $\psi$ . 8. Ad instaurandum cultum Dei moveri debemus hac ratione, quòd Deus id acceptum habet.

4.  
Tempestas  
noxia.

EX  $\psi$ . 11. Siccitas, & omnino tempestas noxia, immittitur à Deo propter hominum peccata.

5.  
Verbi Dei  
efficacia.

EX  $\psi$ . 12. In Serubbabele, Josua & populo Judaico, locum dantibus hortationi prophetæ Haggæi, proponitur exemplum efficaciae verbi Dei.

EX  $\psi$ . 13.

Ex v. 13. collato cum præcedente. Deus obedientiam nostram erga ipsius mandata remuneratur sua benedictione. 6. Obediētia.

Ex v. 14. Ut bonum aliquod opus suscipiamus & faciamus, opus est spiritum nostrum ad illud à Deo excitari. 7. Bona opera.

## CAPUT II.

**M**ense septimo, vigesimo primo die mensis; fuit verbum Jehovæ per Chaggaium prophetam, edicendo,

2 Alloquere jam Zerubbabel filium Schalthielis ducem Jehudæ, & Jehoschuah filium Jehotzadaki sacerdotem maximum; & reliquias populi, dicendo,

3 Quis inter vos sit reliquus, qui viderit domum istam in gloria ipsius prioris? et si qualem vos videtis eam nunc, nonne ad illam tamquam nihil est in oculis vestris?

4 Attamen nunc confirmare Zerubbabel, dictum Jehovæ, & confirmare Jehoschuah filii Jehotzadaki sacerdos maxime, & confirmare universæ popule hujus terræ, dictum Jehovæ exercituum.

5 Cum verbo, quo pepigeram vobiscum, exeuntibus vobis ex Ægypto, & spiritu meo stante in vobis: ne timeatis.

6 Sic enim ait Jehova exercituum, Adhuc semel, parum illud est: tum ego commoturus sum cælos, & terram, & mare, & siccū:

7 Et commoturus sum omnes gentes, ut veniant desiderati omnium gentium; & impleturus

domum hanc gloriâ, ait Jehova exercituum.

8 Meum est argentum, & meum est aurum; dictum Jehovæ exercituum:

9 Major futura est gloria domus hujus posterioris quàm illius prioris, ait Jehova exercituum; nam in loco hoc disponam pacem, dictum Jehovæ exercituum.

10 Vigesimoquarto die noni mensis, anno secundo Darii; fuit verbum Jehovæ per Chaggaium prophetam, dicendo,

11 Sic ait Jehova exercituum, Interroga jam sacerdotes de lege, dicendo;

12 En, tulerit aliquis carnem sanctam in ala vestis suæ, vel tetigerit ala sua panem, aut pulmentum, aut vinum, aut oleum, aut ullum cibum; an sanctificabitur? Cui respondentes sacerdotes dixerunt, Non.

13 Deinde dixit Chaggai, Si tetigerit immundus ex cadavere quicquam istorum, an immundum erit? Cui respondentes sacerdotes dixerunt, Immundum erit.

14 Respondens itaq; Chaggai dixit, Ita populus iste, & ita gens

ista coram me fuit, dictum Jehovahæ, & ita totum opus manuum istorum: imò quod obtulerunt ibi, immundum fuit.

15 Nunc enim adhibete jam animum vestrum ab hoc die ad eos qui præcesserunt; ex quo nondum impositus fuit lapis lapidi in templo Jehovahæ.

16 Ex quo sunt dies illi, si quis venit ad acervum vicenarum modiorum, est denum; si venit ad lacum ut exhauriat quinquagenas mensuras torcularis, vicenarum est.

17 Percussi vos uredine, & rubigine, ac grandine, totum opus manuum vestrarum; & nullus apud vos ad me venit, dictum Jehovahæ.

18 Adhibete jam animum vestrum à die hoc ad eos qui præcesserunt: à die vigesimoquarto mensis noni, inde à die quo fundatum fuerat templum Jehovahæ,

adhibete animum vestrum.

19 An adhuc semen granarii, adeoque vitis, & ficus & malus punica, & olea non protulit? ab hoc ipso die benedicturus sum.

20 Deinde fuit verbum Jehovahæ secundo ad Chaggaium, vigesimoquarto die mensis, dicendo,

21 Alloquere Zerubbabelem ducem Jehudæ, dicendo; Ego commoturus sum caelos & terram,

22 Et subversurus sum solium regnorum, ac perditurus firmitatem regnorum ipsarum gentium; subversurus, inquam, currum & sessores ejus, ruentibus equis & sessoribus eorum unoquoque per gladium fratris sui.

23 Die illo, dictum Jehovahæ exercituum, assumam te Zerubbabel fili Schealthielis serve mi, dictum Jehovahæ, ponamque te ut annulum signatorium; quia te elegi, dictum Jehovahæ exercituum.

#### A N A L Y S I S C A P. I I.

**H**Oc capite continentur adhuc tres Haggæi sermones: quorum primus continetur novem primis versibus, secundus à versu 10. usque ad 20: tertius à v. 20. usque ad finem. Primo illorum sermonum (qui respectu præcedentis fuit secundus) consolatur Haggæus Judæos contra humilem templi, quod ædificabant, speciem. Constat autem hic sermo quatuor membris. Primo indicatur temp<sup>9</sup> quo fuit habitus, v. 1. Secundo narratur mandatū Domini de sermone hoc habendo, v. 2. Tertio cōmemoratur species illa humilis: & commemoratio illa cōfirmatur testimonio illorum qui viderant templum prius v. 3. Quar-

Quarto afferuntur consolationis argumenta quinque: quorum primum sumtum est à præsentia Dei, v. 4: secundum à constantia Dei in servando federe quod cum populo Israëlítico pepigerat, quum is exiret ex Ægypto nempe in monte Sinai, per legislationem, v. 5. Tertium à promissione patefactionis illustrioris per prædicationem evangelii, v. 6. Quartum à conversione electorum, v. 7. Quintum ab ipsius templi gloria, v. 7. 8. & 9. nempe gloria spirituali propter docentem in illo Christum: quæ illustratur antithesi gloriæ externæ, qualis fuit templi prioris: nempe magnificentiæ ædificii. Atque sic tractatur sermo primus. Secundo sermone (qui respectu præcedentis fuit tertius) arguit primùm Haggæus errorem Judæorum de sacrificiis, quo putabant, se Deo propter sacrificia sua acceptos esse: deinde eos hortatur ad continuandum reædificationem templi. Redargutio constat tribus membris. Primo indicatur tempus quo illa fuit facta, vers. 10. Secundo error ille demonstratur argumento à pari, videl. à carne sancta quæ immunda redditur per contactum hominis immundi: quod argumentum confirmatur testimonio sacerdotum, v. 11. 12. & 13. Tertio argumentum hoc concluditur per paris allati applicationem ad populum, v. 14. Atque hæc de erroris redargutione. Hortatio ad continuandum ædificationem templi confirmatur duobus argumentis: (1) ab eventis molestis & noxiis quæ evenerant ex ædificationis templi neglectu, v. 15. 16. 17. 18. & 19. (2) ab eventu jucundo & utili: quem eis

promittit Deus propter susceptam templi ædificationem, in fine versus 19. Atque hæc de sermone secundo. Tertio sermone (qui respectu præcedentis fuit quartus) proponit Deus populo aliquot promissiones evangelicas. Primum autem indicatur sermonis hujus tempus, v. 20. Deinde commemorat beneficia illa quæ Deus promittit, numero tria: (1) patefactionem sui per prædicationem evangelii, v. 21. (2) deletionem hostium ecclesiæ, v. 22. (3) exaltationem Christi, versu 23.

## SCHOLIA IN CAP. II.

v. 1. **V**igesimoprimum] *Hebr. Vigesimo & uno. Fuit] Verto, Factum est. Per Chaggaium] Heb. Per manum Haggaii. Sic vers. 10.*

2 Alloquere] *Hebr. Dic ad.*

3 Sit] *Vel, est. Gloria] Majestate, magnificentia. Et si &c.] Verto, Et qualem vos videtis eam nunc? Ad illam] Scil. comparata. Heb. Sicut illa.*

4 Attamen] *Hebr. Et. Hujus] In Hebræo est articulus. Jehovæ exercituum] Verto, Jehovæ dei exercituum. Sic deinceps.*

5 Cum VERBO &c.] *Verto, Verbum illud, quod pepigi vobiscum, quum exiretis ex Ægypto, præstabo: & spiritus meus manebit in vobis: ne timetote. Præstabo] Ellipsis verbi conjugati. Manebit] Hebr. Stans erit. In vobis] Hebr. In intimo vestri.*

6 Adhuc semel] *Scil. pangam vobiscum verbum: ex versu præcedente. Parum illud est] Verto, Brevi illud fiet. Commoturus sum] Scil. per prædicationem Evangelii. Cælos] Angelos. Metonymia subjecti. Terram] Homines in terra degentes. Metonymia qualis modo. Mare] Homines degentes in mari, id est, in insulis. Siccum] Homines degentes in sicco, id est, in terra continente.*

7 Gentes] *Id est, populos. Sic deinceps. Ut veniant] Scil. ad me: id est, credant in me. Hebr. Et venient. Vel, Venient: scil. ad hoc templum: id est, amplectentur religionem populi Israëlitici, qui*  
Deum



Deum colet in hoc templo. Similem loquutionem vide *Esa. 2. v. 3.* *Mich. 4. v. 2.* Desiderati omnium gentium] *Id est, electi in omnibus populis. Hebr. Desiderium omnium gentium. Metonymia adjuncti. Potest etiam verti, Omnes gentes desiderabiles. id est, charæ Deo: quo sensu Daniel nominatur vir desideriorum, Dan. 9. v. 23. Ut sit hypallage, Venient desiderium gentium: id est, gentes desiderii. Quidam per desiderium omnium gentium intelligunt Christum: sed hanc expositionem non admittit verbum pluralis numeri, VENIENT. Impleturus] Addo, sum. Gloriâ] Nempe ob presentiam Christi in illa domo docentis.*

8 Meum est argentum &c.] *Quasi dicat, Si vellem hanc domum gloriosam reddere ex ornatu externo, facile id procurarem: quum mihi sumtus abundè suppetant.*

9 Major quàm] *Hebr. Magna pra.* Nam] *Hebr. Et.* Disponam] *Heb. Dabo.*

10 Fuit] *Verto, Factum est.*

12 Carnem sanctam] *Consecratam Deo per sacrificium. Hebr. Carnem sanctitatis. Genitivus adjuncti. Vel] Verto, Et: ut est in Hebraeo. Aut pulmentum] Heb. Et pulmentum. Sic deinceps. An sanctificabitur] Scil. illa res quam ille tetigerit. Cui respondentes &c.] Hebr. Et responderunt & dixerunt. Sic versu seq.*

13 Deinde] *Hebr. Et.* Ex cadavere] *Hebr. Anima. Anima pro corpore è quo migravit anima. Metonymia adjuncti.*

14 Respondens itaque &c.] *Hebr. Et respondit & dixit. Imò] Verto, Nam. Hebr. Et. Ibi] In altari holocausti. Relativum sine antecedente.*

15 Nunc enim] *Hebr. Et nunc.* Adhibete &c.] *Ut supr. cap. 1. v. 5. Adhibete jam animum vestrum] Suppleo, Ad vias vestras: ex loco modò allegato. Ad eos qui præcesserunt] Hebr. Et sursum. Sic versu 18.*

16 Sunt] *Verto, Fuerunt. Sic deinceps, Fuit, pro Est. Et Venit tempore præterito. Item, exhauriret. Acervum] Scil. tritici, vel filiginis, vel hordei. Vicenûm modiorum] Qui ratione sementis debebat esse vicenûm modiorum. Lacum] Torcularis.*

17 Vos] *Fruges vestras. Opus manuum vestrarum] Segetes vestras. Synecdoche generis.*

18 Adhibete &c.] *Ut versu 15.*

19 An adhuc &c.] *Verbo, An adhuc semen in granario est? Imò nec vitis, nec ficus, nec malus Punica, nec olea protulit. A die autem hoc benedicturus sum. Sensus est, An hætenus tantum frumenti messuistis, ut partem seminis posssetis recondere in granario? quasi dicat, Non. Imò nec vitis &c.] Hebr. Et usq<sub>3</sub> ad vitem & ficum & malum Punicam etiam arbor olive non tulit.*

20 Deinde] *Hebr. Et. Fuit] Verbo, Factum est.*

21 Alloquere] *Hebr. Dic ad. Commoturus] Ut supra versu 6.*

22 Ruentibus equis] *Hebr. Et descendent equi & sessorum eorum, unusquisq<sub>3</sub> &c.*

23 Zerubbabel] *Sic vocat hoc loco Christum, cujus typus fuit Zerubbabel. Sic alibi idem nominatur David. Ponamq; te ut annulum signatorium] Id est, (ait Fr. Junius) curabo te, in te conquiescam, te in oculis manibusq<sub>3</sub> feram.*

## OBSERV. EX CAP. II.

1.  
*Cult<sup>9</sup> Dei.*

**E**X  $\psi$ . 3. & 4. Etiam si in instaurando cultu Dei non omnia nobis succedunt ex voto & animi sententia: tamen constanter in illa instauracione pergere debemus.

2.  
*Cult<sup>9</sup> Dei.*

Ex  $\psi$ . 5. Contra obstacula quæ nobis objiciuntur in instaurando cultu Dei, consolari nos debemus consideratione constantiæ Dei in servando federe nobiscum pacto.

3.  
*Evangelium.*

Ex  $\psi$ . 6. Doctrina Evangelii tam sublimis est, ut in admirationem rapiat tam angelos, quam homines. Vide Hebr. 12.  $\psi$ . 26. 1. Pet. 1.  $\psi$ . 12.

4.  
*Evangelii prædicatio.*

Ex  $\psi$ . 7. Per Evangelii prædicationem moventur corda electorum ut veniant ad Christum. Vide Johan. 6.  $\psi$ . 45.

5.  
*Ecclesia N. Testamenti.*

Ex  $\psi$ . 7. 8. & 9. Gloria Ecclesiæ novi Testamenti non consistit in magnificis templis, aut splen-

splendido ac sumtuoso illorum ornatu: sed in prædicatione Evangelii & præsentia Christi.

Ex v. 11. 12. 13. & 14. Opera externa, quantum-  
vis à Deo præcepta, non tamen ei placent, si  
fiant à persona immunda. Immundi autem sunt  
omnes increduli: quia non nisi fide mundatur  
homo per sanguinem Christi. Hinc apostolus,  
Absq; fide impossibile est placere Deo, Heb. 11.  
versu 6. 6.  
Opera ex-  
terna.

Ex v. 15. & seqq. usque ad 20. In populo Ju-  
daico propter intermissam templi reædificati-  
onem divinitus castigato, proponitur exem-  
plum punitæ à Deo negligentia in instaurando  
cultu Dei. 7.  
Cultus Dei.

Ex v. 19. ex verbis, *Ab hoc ipso die benedicturus*  
*sum.* Ad cultum Dei instaurandum & conser-  
vandam moveri debemus spe benedictionis di-  
vinæ. Huc facit illud Christi, *Quærite primò re-*  
*gnum Dei &c.* Matth. 6. v. 33. 8.  
Cultus Dei.

Ex v. 22. Contra persecutionem hostium  
Ecclesiæ consolari nos debemus spe deletionis  
illorum à Christo perficiendæ. 9.  
Persequi-  
tio.


Ex v. 23. notetur testimonium de officio &  
exaltatione Christi. 10. Christus.



# ANALYSIS PROPHE- TÆ ZACHARIÆ.

## ARGUMENTUM LIBRI.

**Q**uatuor sunt principales hujus libri partes. Primum enim hortatur Zacharias populum Judaicum qui ex captivitate Babylonica redierat, ad seriam pœnitentiam, sex primis versibus capituli primi. Deinde commemorat quasdam visiones: per quas Dominus populum instituit, partim quàm paternè curam eorum hæctenus gesserit, ac imprimis quomodo ipsos è captivitate Babylonica liberarit: partim quomodo posthac quoq; curam eorum gerere velit, si seriò egerint pœnitentiam & templum exædificent, à versu 7. cap. 1. usq; ad caput 7. Tum respondet eis ad quæstionem de jejunio: eosq; instituit de vero sui cultu, cui loco jejunii operam dare debeant, cap. 7. & 8. Postremò prophetat de deletione hostium populi Dei, de adventu Christi, & beneficiis illius erga Ecclesiam, cap. 9. & reliquis.



## CAPUT I.

**M**ENSE octavo, anno secundo Darii, fuit verbū Jehovæ ad Zecarjam filium Berecjae filii Hiddonis prophetam, dicendo,

2 Efferbuit Jehova contra patres vestros, ferventis;

3 Quamobrem edices istis, Sic ait Jehova exercituum; revertimini ad me, dictum Jehovæ exercituum, & revertar ad vos, ait Jehova exercituum.

4 Ne sitis similes majoribus vestris; quibus proclamaverant prophetae

prophetæ priores, dicendo, Sic ait Jehova exercituum, revertimini jam à viis vestris pessimis, & ab actionibus vestris pessimis: non enim auscultarunt, neque attenderunt ad me, dictum Jehovæ.

5 Majores vestri ubi nam sunt? & prophete ipsi an in seculum vivunt?

6 Verumtamen verba mea & statuta mea quæ præceperam servis meis prophetis, nonne allequuta sunt majores vestros? adeò ut reversi dixerint, Quemadmodum cogitaverat Jehova exercituum facere nobis secundùm vias nostras & secundùm actiones nostras, ita egit nobiscum.

7 Die vigesimo quarto undecimi mensis, is est mensis Schebat, anno secundo Darii; fuit verbum Jehovæ ad Zecarjam filium Berecjàe filii Hiddonis propheram quod diceret.

8 Vidi nocte, quòd ecce vir infidebat equo rufo, & stabat inter myrtos quæ erant in profundo: postea verò equos rufos, balios, & albos.

9 Quumq; dicerem, Quid sibi volunt isti, domine mi? dixit mihi angelus ille qui alloquutus est me, Ego ostendam tibi quid sibi velint isti.

10 Tunc respondens vir ille qui stabat inter myrtos, dixit; Hi sunt quos misit Jehova ad perambulandum terram.

11 Et respondentes angelo Jehovæ stanti inter myrtos, dixerunt, Perambulavimus terram; & ecce tota terra desidet, & tràquilla est.

12 Tunc loquutus angelus Jehovæ dixit; O Jehova exercituum, quousque tu non miserturus es Jeruschalaimorum, & civitatum Jehudæ: in quas indignatus es jam septuaginta annis?

13 Respondit autem Jehova exercituum angelo illi qui alloquebatur me verba bona, verba consolatoria.

14 Quamobrem edixit mihi angelus qui alloquebatur me, Proclama dicendo, Sic ait Jehova exercituum; Zelo prosequor Jeruschalaima & Tzjonem, zelo maximo.

15 Fervore enim maximo ferveo contra gentes istas tranquillas: quia me effervescente paululum, ipsæ adjutrices fuerunt in malum.

16 Idcirco sic ait Jehova, Reversus sum ad urbem Jeruschalaimorum misericordiâ, domus mea edificabitur in ea, dictum Jehovæ exercituum; & regula extendetur super Jeruschalaima.

17 Amplius proclama dicendo, Sic ait Jehova exercituum, Adhuc dispergentur civitates meæ præ bono; consolante Jehova adhuc Tzjonem, & eligente adhuc Jeruschalaima.

A N A L Y S I S C A P. I.

**D**Uæ sunt hujus capituli partes: primus sermo Zachariæ, sex primis versibus: & initium sermonis secundi, v. 7. & seqq. Primo sermone

hortatur Zacharias Judæos è Babylonia reduces ad conversionem. Hic sermo illustratur indicatione temporis quo fuit habitus, *ψ*. 1. Conversio autem Judæorum illorum illustratur à contrario, videlicet contumacia patrum, *ψ*. 2. & 4. Quæ contumacia amplificatur ab effectu, videlicet ira Dei, *ψ*. 2. & à modo agendi, videl. contemptu monitionum à prophetis factarum, *ψ*. 4. Confirmatur autem ista hortatio ab eventis: ac primùm ab eventu utili conversionis, *ψ* 3. ibi, *Et revertar ad vos*. Deinde ab eventu noxio contumaciæ, videl. pœnis divinis: quæ significantur per ratiocinationem à pari, in exemplo patrum, *ψ*. 6. Ad hoc autem argumentum transitur per prolepsin, *ψ*. 5. Cujus hæc videtur esse sententia: Nostri patres (poterant dicere Judæi illi) non ampliùs vivunt: nec prophetæ qui illis loquuti sunt. Itaque nescimus, quomodo illi se gesserint, aut quidnam prophetæ illis loquuti sint. Respondet Dominus: Imò nostis patres vestros expertos esse castigationes illas quas prophetæ eis denuntiarunt propter ipsorum peccata. Quare hinc facilè potestis colligere, me vos quoque similiter castigaturum, si similiter peccaveritis. Atque hæc de sermone primo. Secundo sermone commemorantur visiones octo: earumq; prima cōmemoratur hîc: qua Zachariæ in visione oblatus fuit vir quidam insidens equo rufo, & comitatus equitibus qui insidebãt alii equis rufis, alii baliis, alii albis. Hic sermo illustratur à tempore quo fuit habitus, *ψ*. 7. Similiter ipsa visio illustratur à tempore quo fuit exhibita, in principio versus octavi. De-

vi. De-

vi. Declaratur autem tum quisnam fuerit vir iste qui insidebat equo rufo, nempe angelus Jehovæ, id est filius Dei, v. 11. & 12. tum quinam fuerint comites illius, nempe angeli creati, v. 10. & 11. Describuntur autem isti omnes à subjecto loco ubi stabant, videl. in loco profundo inter myrtos, v. 8. Deinde narratur seorsim, quid utriq; fecerint: nempe quòd angeli creati ad filium Dei retulerint statum Babylonix, v. 11: quòdq; filius Dei oraverit pro Judæorum è Babylonia liberatione, v. 11. Quæ oratio sive precatio illustratur ex eventis tribus. Quarum primum fuit precatationis illius exauditio, v. 13: secundum, mandatum filii Dei ad Zachariam de annuntianda Judæis liberatione illa, v. 14. 15. & 16: tertium, mandatum ejusdem de annuntiandis beneficiis spiritualibus, v. 17. Cæterùm liberatio è captivitate Babylonica hîc declaratur duobus modis: nempe ex causis antecedentibus, & ex adjunctis. Causæ antecedentes indicantur duæ: voluntas ulciscendi Babylonios, v. 14. 15. & misericordia erga Judæos captivos, v. 16. Adjuncta indicantur item duo: reædificatio templi, & reædificatio urbis Hierosolymæ, versu eodem.

## SCHOLIA IN CAP. I.

**D**arii] Regis Persarũ, cognomento Nothi: de quo vide Esr. 4. v. 24. Fuit] Verto, Factum est. Zecarjam] Scribo, Secharjam: quia in Hebræo est צraphatum. Vulgo Zacharias dicitur. Berecjæ] Scribo, Berechjæ, propter causam modò indicatam. Vulgo nominatur Barachias. Prophetam] Vel, propheta: ut cohereat cum nomine proximo, Iddonis. Sic infrà v. 7. & Esr. 5. v. 1.

2 Fervente irâ] Vel, vehementer. Hebr. Fervore iræ.

3 Quamobrem] Hebr. Et. Edices istis] Malim, Edicito

istis. Hebr. Dices ad eos. Jehova exercituum ] *Verto, Jehova deus exercituum. Sic deinceps. Revertimini ad me ] Scil. per seriam pœnitentiam. Revertar ad vos ] Scil. per gratiam & beneficentiam.*

4 Ne sitis ] *Verto, Ne estote. Ut appareat esse Ne prohibentis. Similes majoribus vestris ] Scil. in impœnitentia. Synecdoche generis. Hebr. Sicut patres vestri. Quibus proclamaverant ] Hebr. Ad quos clamaverant. Viis ] Id est, actionibus: ut mox declaratur. Metaphora. Et ab actionibus ] Epexegetis. Pessimis ] Hebr. Malis. Cum articulo. Non enim ] *Verto, Sed non. Hebr. Et non.**

5 Majores ] *Hebr. Patres. Ubi nam sunt? ] Quasi dicat, Nusquam sunt, scil. in vivis: ut mox declaratur. In seculum ] Perpetuò. Vivunt ] Scil. vitam hanc animalem.*

6 Præceperam ] *Scil. annuntianda. Nonne assequuta sunt ] Id est, Nonne pœna verbis meis denuntiata, evenerunt eis? Metonymia adjuncti in vocabulo, Verba mea: & metaphora ab hoste qui aliquem persequitur, in verbo Assequuta sunt. Majores ] Hebr. Patres. Adeò ut reversi dixerint ] Hebr. Et reversi sunt & dixerunt. Vias ] *Ut versu 4.**

7 Schebat ] *Qui maximâ ex parte respondet nostro Januario. Darii ] Ut versu 1. Fuit ] Factum est. Quod diceret ] Hebr. Dicendo.*

8 Quòd ] *Hebr. Et. Insidebat equo ] Hebr. Vehabatur super equo. Vir ] Nempe filius Dei: ut percipitur è sequentibus. Equo rufo ] Quo colore videtur significatum fuisse, filiũ Dei instar ignis consumere hostes populi Dei: quæ consumtio c. seq. v. 3. & 4. figuratur per fabros dejicientes cornua hostium populi Dei. Inter myrtos ] Per quos videntur figurati fuisse fideles seu pii: qui coram Deo virent & suaviter olent, ut myrti. In profundo ] In loco uliginoso. Quo videtur figuratum fuisse periculum persecutionis, quo fideles ac pii perpetuò circumdati sunt. Postea verò ] *Verto, Post illum verò erãt equi & c. Post illum: rempe post virum illum qui vehabatur equo rufo. Verò ] Hebr. Et. Equos ] Scil. unã cum fessoribus seu equitibus. Synecdoche membri. Fuerunt autem isti angeli: ut declaratur versu 10.**

9 Quumque dicerem & c. ] *Hebr. Et dixi & c. & dixit ad me. Quid*



me. Quid sibi volunt isti] Genuinum supplementum hic est verbum, sunt: quod exprimitur in fine versus. Estq; loquutio metonymica: cujus sensus est, Quid significant isti? vel, Cujus rei signum sunt isti? Domine] Vox hæc in textu non rectè scribitur per D majusculum, quasi significaret Deum. Non enim est in Hebræo Adonái, sed adón: quæ vox etiam creaturis tribuitur. Et si interim verum est, virum illum quem hoc loco Zacharias vocabulo domini compellat, fuisse Deum, nempe filium Dei. Angelus ille] Quem versu precedente nominavit virum. Qui alloquutus est me] Verto, Qui loquebatur mecum. Sibi velint] Hebr. Ipsi: id est, sint.

10 Tunc respondens] Hebr. Et respondit &c. & dixit. Vir ille] Quem modò nominavit angelum. Jehova] Deus pater. Loquitur enim hæc filius Dei. Quanquam potest hoc de ipsomet filio intelligi: qui versu seq. nominatur angelus Jehovæ: ad quem referunt isti angeli quid in perambulatione sua observarint.

11 Et respondentes &c.] Hebr. Et responderunt &c. & dixerunt. Responderunt autem: id est, orsi sunt loqui. Synecdoche speciei אלֹהִים וְאֲנֹכִי. Terram] Id est, Chaldaam: ut percipitur è sequentibus. Synecdoche integri. Tota terra] Totius Chaldaæ incolæ, nempe ipsi Chaldaei. Metonymia subjecti. Desidet] Hebr. Sedet.

12 Tunc] Hebr. Et. Loquutus &c.] Hebr. Respondit &c. & dixit. Respondit autem: id est, orsus est sermonem: ut versu precedente. Angelus Jehovæ] Christus.

13 Respondit autem] Hebr. Et respondit. Qui alloquebatur me] Verto, Qui loquebatur mecum. Sic versu seq. Bona] Id est, jucunda: ut mox declaratur. Synecdoche generis. Confortatoria] Consolationis plena.

14 Quamobrem] Hebr. Et. Maximo] Hebr. Magno.

15 Enim] Hebr. Et. Maximo] Heb. Magno. Gentes istas tranquillas] Chaldaeos. Quia] Hebr. וְאֵיךְ: Me effervescente &c.] Hebr. Ego efferbui paululum, & ipsa &c.

16 Ad urbem Jeruschalaimorum] Verto, Ad Hierosolymam: sive, Ad Jerusalemum. Vox urbem in Hebræo non habetur: & nomen ipsum non est numeri pluralis, sed singularis. Civitates] Habitatores civitatum. Metonymia subjecti. Præ bono]

Propter bonum. Id est, propter multitudinem. Synecdoche generis. Consolante &c. ] Verto, Nam consolabitur &c. & eliget &c. Hebr. Et consolabitur. Tzizonem ] Habitatores Tzizonis: id est, veros cultores Dei. Eliget ] Scil. in populum suum. Id est, beneficiis planum faciet se elegisse eos. Metonymia efficientis.

## OBSERVAT. EXCAP. I.

1.  
Filii.

EX  $\psi$ . 2. 3. & 4. Impiorum parentum mores filii imitari non debent.

2.  
Dei cōmi-  
nationes.

EX  $\psi$ . 6. Deus in comminationibus suis verax est. Quare caveamus nobis ab illarum contemtu.

3.  
Ecclesia.

EX  $\psi$ . 8. Ecclesia coram Deo viret & bene olet, instar myrtorum: id est, Deo placet: sed interim degit in profundo & uliginoso loco, id est, obnoxia est variis periculis.

4.  
Angeli.

EX  $\psi$ . 8. 9. 10. & 11. Filio Dei ministrant sancti angeli.

5.  
Christus.

EX  $\psi$ . 12. & seqq. Filius Dei pro electis apud Patrem intercedit, & intercessione suâ gratiam illis impetrat.

6.  
Guberna-  
tio Dei,

EX  $\psi$ . 15. Etsi Deus utitur operâ impiorum ad affligendum pios: tamen sævitiam illorum in piis affligendis detestatur.

7.  
Guberna-  
tio Dei.

EX eodem versu. Quum Deus Ecclesiam affligit per tyrannos: distinguendum est inter scopum utrorumq;. Scopus Dei est paternè castigare: tyrannorum verò perdere.

~~~~~

## CAPUT II.

ET sublatis oculis meis vidi; qui alloquebatur me, Quid sunt  
Ecce autem quatuor cornua. ista? dixit mihi, Ista sunt illa cor-  
2 Dicente autem illi angelo nua quæ sparserunt Jehudam,  
Jisraë-

Jisraëlem, & Jeruschalaima.

3 Deinde ostendit mihi Jehova quatuor fabros:

4 Et quum dicerem, Quid isti veniunt facturi? eloquutus est dicendo, Illa cornua quæ sparserant Jehudam, adeò ut quisquam non extulerit caput suum, jam venerunt isti ad deterrendum illa, ad dejiciendū cornua gentium, quæ sustulerant cornu in terram Jehudæ ad spargendum eam.

5 Iterum sublatis oculis meis videns, quòd ecce virum; & in manu ejus funiculum mensorium;

6 Dixi, Quò vadis? qui dixit mihi, Ad mensurandū Jeruschalaima; ut videant quanta sit futura latitudo ejus, & quanta longitudo ejus.

7 Ecce autem angelo illo qui alloquebatur me procedente; angelus alter processit obviam ipsi:

8 Cui edixit, Curre, alloquere puerum istum, dicendo; Per pagos habitarunt *cives urbis* Jeruschalaimorum præ multitudine hominum & jumentorum *versantium* in ea.

9 Et ego ero ei, dictum Jehovæ, murus igneus circumquaque, & gloriæ ero in medio ejus.

10 Heus heus, jam fugite è

terra Aquilonis, dictum Jehovæ; quum expanderim vos quàm latè patent quatuor venti cælorum, dictum Jehovæ.

11 Heus Tzijon, libera te; quæ desides *apud* filiam Babylonæ.

12 Nam, sic ait Jehova exercituum; *qui post indictam* gloriam misit me contra gentes istas quæ deprædatæ sunt vos: quia qui tangit vos, tangit pupillam oculi ipsius;

13 Nam ecce ego agitaturus sum manum meam contra illas, & erunt prædæ servis suis: ita agnoscetis Jehovam exercituum misisse me.

14 Cane & lætare filia Tzijonis: quia ecce venturus sum & habitaturus in medio tui, dictum Jehovæ:

15 Et adjungentes se gentes multæ Jehovæ die illo, erunt mihi populus: & habitante in medio tui me, agnosces Jehovam exercituum mittere me ad te:

16 Tum possidebit Jehova Jehudam portionem suam in terra sancta; & eliget rursus Jeruschalaima.

17 Sile, universa caro, à facie Jehovæ; quum excitatus fuerit ex habitaculo sanctitatis suæ.

A N A L Y S I S C A P. I I.

**H**Ujus capituli partes sunt tres: (1) visio Zachariæ secunda, (2) visio tertia, (3) promissiones Dei ad populum. Prima pars continetur quatuor primis versibus: secunda versu quinto & sexto: tertia versu 7. & seqq.

Visione primâ oblata fuerunt Zachariæ primum quatuor cornua, v. i. deinde quatuor fa-

bri, ψ. 3. Per cornua figurati fuerunt Babylonii  
sive Chaldæi, qui Judæos deportarant, ψ. 2. Per  
fabros figurati fuerunt Medi & Persæ qui Baby-  
lonios subjugarunt, & Judæos è captivitate dimi-  
serunt.

Secundâ visione oblatus fuit Zachariæ vir  
cum funiculo mensorio, ψ. 5. Per hunc figurata  
fuit reædificatio urbis Hierosolymæ, ψ. 6.

Promissiones sunt partim de liberatione è ca-  
ptivitate Babylonica, partim de beneficiis spiri-  
tualibus in regno Christi. Harum promissionum  
primò narratur patefactio, deinde beneficia ipsa  
commemorantur, postremò annectitur corolla-  
rium seu *πρόεισμα*. Patefactio istarum promissio-  
num declaratur è causis efficientibus: tum prin-  
cipali, tum ministrâ. Principalis fuit angelus ille  
Jehovæ qui loquebatur cum Zacharia, id est, fi-  
lius Dei, ψ. 7. Minister fuit unus ex angelis qui  
erant in illius comitatu, ibidem. E quibus ille  
huic mandavit ut Zachariæ has promissiones pa-  
tefaceret, ψ. 8: hic autem mandatum expedivit:  
quod etsi non narratur, tamen ex re ipsa intelli-  
gitur: quum ex verbo Dei constet, angelos man-  
data Dei promptè & alacriter exsequi solere: ut  
Psal. 103. ψ. 20. & 21. Beneficia quæ promittun-  
tur, sunt novem: (1) multitudo credentium,  
(2) protectio divina, (3) glorificatio credentium,  
(4) liberatio Judæorum è captivitate Babylo-  
nica, (5) vindicta de Babyloniis, (6) cohabitatio Dei  
cum credentibus, (7) vocatio gentium. Multitu-  
do credentium declaratur è subjectis locis: idq;  
bisariam: primò quòd futurum sit ut Hierosoly-  
ma

ma

ma non capiat Judæos reduces, sed ut cogantur aliqui habitare in pagis, v. 8. Secundò, quòd expandendi sint quàm latè patent quatuor venti, seu plagæ orbis terrarum, v. 10. Protectio divina significatur simili, quatenus Dominus promittit, se murum igneum fore circa populum suum, v. 9. Glorificatio credentium indicatur uno verbo *gloria*, v. 9. & 12. Liberatio è captivitate Babylonica significatur ex adjuncto, videl. hortatione ad emigrandum è Babylonia, v. 10. & 11. Vindicta de Babyloniis declaratur tribus modis: (1) ex causis efficientib<sup>9</sup>, (2) ex forma seu modo agenda, (3) ex eventis. Causæ efficientes indicantur duplices, videl. tum procreantes, tum impulsivæ. Procreantes causæ indicantur duæ, Jehova (id est, Deus pater) & angelus ille Jehovæ qui tunc coram Zacharia loquebatur, id est, filius Dei: qui dicit, quòd Jehova miserit ipsum contra istas gentes, v. 12. Impulsivæ causæ indicantur item duæ: procatarctica & antecedens. Procatarctica fuit, quòd Babylonii Judæos fuerant deprædati, v. eodem. Antecedens causa fuit eximia cura Dei pro populo suo: quæ significatur simili curæ quam homo gerit pro pupilla oculi sui, ibidem. Forma seu modus agendi significatur illis verbis, *Ego agitaturus sum manum meam contra illas*, v. 13. Eventa indicantur duo: primum ibi, *Et erunt præda servis suis*: secundum ibi, *Ita agnoscetis &c.* versu eodem. Cohabitatio Dei cum credentibus amplificatur ex effectis quatuor: quorum primum indicatur ibi, *Cane & letare filia Tsionis*, v. 14. Secundum ibi, *Agnosces, Jehovam exercituum misisse*

*me ad te, v. 15. Tertium ibi, Tum possidebit Jehova Jehudam &c. v. 16. Quartum ibi, Et eliget rursus Hierosolymam, versu eodem. Vocatio gentium indicatur ibi, Et adjungentes se gentes multæ &c. v. 15. Corollarium seu πρόεισμα est cohortatio ad universos homines, ac in primis ad hostes Ecclesiæ, ne Deo ista quæ commemorata sunt facturo resistant, versu 17.*

## SCHOLIA IN CAP. II.

v. 1.

**E**T sublatis &c.] *Hebr. Et sustuli oculos meos, & vidi. Ecce autem] Hebr. Et ecce. Quatuor cornua] Scil. aderrant.*

2 Dicenti autem &c.] *Hebr. Et dixi ad angelum illum qui loquebatur mecum, &c. & dixit. Quid sunt ista?] Id est, Quid significant ista cornua? vel, Cujus rei signa sunt? Loquutio metonymica, qualis supra cap. 1. v. 9. Ista sunt illa cornua &c.] Id est, Per ista cornua significantur Chaldaei, qui instar cornuum sparserunt &c. Jehudam] Judæos, posteros Judæ. Jisraëlem] Israëlitas.*

3 Deinde] *Hebr. Et.*

4 Et quum dicerem &c.] *Hebr. Et dixi &c. & dixit dicendo. Facturi] Hebr. Ad faciendum. Illa cornua] Verto, Quod attinet ad illa cornua. Nominativus absolutè positus. Adeo] Hebr. Secundum os. Id est, Secundum rationem: seu tali ratione. Quæ sustulerant cornu] Id est, quæ adhibuerant potentiam suam. Metaphora ab animali cornuto. Eam] Id est, incolas ejus.*

5 Iterum] *Hebr. Et. Sublatis &c.] Verto, Sublatis oculis meis vidi: & ecce vir aderat, & in manu ejus erat funiculus mensorius. Mensorius] Hebr. Mensura. Genitivus subjecti.*

6 Dixi] *Hebr. Et dixi. Qui] Hebr. Et. Ut videant] Scil. structores. Hebr. Ad videndum.*

7 Ecce autem] *Hebr. Et ecce. Angelo &c.] Hebr. Angelus ille qui loquebatur mecum, prodibat. Nempe è loco myrtorum. Vide sup. cap. 1. v. 8. Alter] Alius. Scil. ex numero illorum qui pone istum inter myrtos stabant. Loco modo citato.*

8 Cui

8 Cui edixit ] *Hebr. Et dixit ad eum. Puerum istum ] Id est, juvenem virum: nempe Zachariam. Habitabunt cives urbis ]* Jeruschalaimorum ] *Hebr. Habitabit Hierosolyma, seu Jerusalemum. Id est, incolæ ejus. Metonymia subj. cti. In Hebraeo nullæ est ellipsis. Præ multitudinẽ ]* Propter multitudinem. *Hominum & jumentorum ]* *Hebr. Hominis & jumentis. Versantium ]* Genuinum supplementum est, *Quæ erunt. In ea ]* *Hebr. In medio ejus.*

9 Murus igneus ] *Hebr. Murus ignis. Genitivus materia.*

10 Fugite ] *Apostrophe ad Judeos captivos in Babylonia. E terra Aquilonis ]* E Chaldaea, quæ Judæa sita est versus Aquilonem. *Quàm latè patent quatuor venti ]* *Hebr. Secundum quatuor ventos.*

11 Liberate ] *Evade. Desides ]* *Hebr. Sedes. Apud filiam Babyloniæ ]* Apud populum Babylonicum. *Metaphora.*

12 Nam ] *Post hanc vocem puto tollendam notam incisi. Coheret enim cum proximè sequentibus. Sic ait ]* Ab his verbis dependet initium versus sequentis, ubi demum recitantur verba Jehovæ. *Post indictam gloriam ]* Id est, Postquam sibi proposuit glorificare vos, asserendo vos è potestate Chaldaeorum. *Contra gentes istas ]* Chaldaeos.

13 Nam ] *Verto, Certè. Prædæ ]* *Hebr. Præda. Servis suis ]* Judæis quos captivos tenent. *Ita ]* *Heb. Et. Jehovam &c. ]* *Heb. Quòd Jehova misit me.*

14 Filia Tsijonis ] *Popule Judaice.*

15 Adjungentes &c. ] *Hebr. Adjungent se ad Jehovam, & erunt &c. Populus ]* *Hebr. In populum. Habitante ]* *Heb. Habitabo &c. & agnosces. Mittere ]* *Verto, misisse. Hebr. Quòd misit.*

16 Jehudam ] *Populum Judaicum. In terra sancta ]* *Hebr. Super humo sanctitatis. Eliget ]* *Ut sup. cap. i. v. 17. Rursus ]* *Verto, Adhuc: vel, amplius.*

17 Univerfa caro ] *Id est, omnes homines. Synecdoche membri gemina. Habitaculo sanctitatis ]* *Verto, Habitaculo sancto. Genitivus adjuncti. Id est, celo. Periphrasis.*

OBSERVAT. EX CAP. II.

1.  
Vindicta  
Dei.

EX quatuor primis versibus. In Babyloniis per Medos & Persas propter sævitiam in Judæos exercitam excisis, proponitur exemplum justæ vindictæ Dei.

2.  
Ecclesia N.  
Testamēti.

Ex v. 8. 10. & 15. Ecclesia Novi Testamenti antecellit veterem multitudine credentium.

3.  
Ecclesia.

Ex v. 9. Deus Ecclesiam protegit.

4. Ecclesia.

Ex v. 9. & 12. Ecclesia à Deo glorificatur.

5. Ecclesia.

Ex v. 12. Ecclesia Deo curæ est.

6. Ecclesia.

Ex v. 13. Deus hostes & persecutores Ecclesiæ ulciscitur.

7.  
Ecclesia.


Ex v. 14. & 15. Deus in Ecclesia habitat.

8.  
Ecclesia.

Ex v. 16. Beneficia Dei erga Ecclesiam proficiscuntur ab electione.

9.  
Ecclesia.

Ex v. 17. Deo protegenti Ecclesiam frustra resistunt tyranni.



CAPUT III.

POSTea ostendit mihi Jehoschuam sacerdotem maximum stantem coram angelo Jehovæ: & Satanam stantem ad dexteram ejus, ut adversaretur ei.

2 Dicebat autem Jehova Satanæ, Increpet Jehova te ô Satan, increpet, inquam, te Jehova, qui eligit Jeruschalaima: nōne hic est titio ereptus ex igne?

3 Jehoschuah autem *quum* esset indutus vestibus sordidis, & staret coram ipso angelo,

4 Respondens *angelus* alloquutus est eos qui stabant coram se, edicens, Amovete vestes istas

sordidas ab eo; & dixit ei, Vide, transtuli à te iniquitatem tuam, ut induam te mutatis vestibus;

5 Ideoque dico, Imponunto cidarim mundam capiti ejus: imposuerunt itaq; *illi* cidarim mundam capiti ejus, & induerunt eum vestibus, angelo Jehovæ adstante.

6 Tum contestatus est angelus Jehovæ Jehoschuam, dicendo,

7 Sic ait Jehova exercituum, Si in viis meis ambulabis, & si observationem meam observabis & tu cum jus dices domui meæ, tum etiam observabis atria mea; utiq; disponam



disponam tibi qui ambulent inter aditantes istos.

8 Audi jam, Jehoschuah sacerdos maxime, tu & amici tui qui sedent coram te, quandoquidem ostento sunt: ecce ego adducturus sum servum meum, German.

9 Nam ecce lapis ille est quem pono coram Jehoschuah, appo-

nens lapidi unico septem oculos: ecce ego sculpturus sum sculpturam ejus, dictum Jehovah exercituum, & amoturus iniquitatem terræ istius die uno.

10 Die illo, dictum Jehovah exercituum, vocabitis quisque amicum suum; sub vitem, & sub ficum.

### A N A L Y S I S C A P. I I I.

**H**Oc capite commemoratur visio quarta, qua Zachariæ ostensus fuit Josua, summus sacerdos illo tempore: unà cum Satana. Hujus visionis narratio constat membris novem. Ea sunt: (1) locus ubi stetit Josua, (2) locus ubi stetit Satan, (3) finis seu propositum Satanæ, (4) increpatio Satanæ per filium Dei, (5) vestes Josuæ, (6) mandatum filii Dei de vestibus illis deponendis, (7) patefactio quid illa depositio vestium significarit, (8) induitio vestium novarum, (9) promissiones filii Dei ad Josuam. De loco dicitur, quòd Josua steterit coram angelo Jehovah: is autem erat filius Dei, v. 1. & 3. De loco Satanæ dicitur, quòd steterit ad dexteram Josuæ, v. 1. De fine seu proposito Satanæ dicitur, quòd voluerit Josuæ adversari, vers. eodem. Increpatio Satanæ per filium Dei narratur versu 2: & confirmatur duobus argumentis: quorum primum continetur ibi, *Qui eligit Hierosolymam: alterum ibi, Nonne hic est titio ereptus ex igne?* De vestibus Josuæ narratur, quòd fuerint sordidæ, v. 3. Mandatum filii Dei de vestibus illis deponendis declaratur è causis ministris: qui fuerunt angeli filio Dei ad-

stantes, v. 4. Patefactio significationis continetur illis verbis, *Vide, transtuli à te iniquitatem tuam*, versu eodem. Induitio vestium novarum declaratur partim à causis procreantibus, partim à specie. Causæ procreantes indicantur duæ: filius Dei mandans, & angeli exsequentes mandatum, v. 5. Species vestis fuit cidaris munda, v. eodem. Promissiones filii Dei ad Josuam recitantur versu 6. & seqq. Beneficia quæ tum illi, tum toti populo Dei, ac imprimis electis Novi Testamenti, promittit, indicantur sex: (1) conversatio Josuæ inter angelos, (2) missio Christi, (3) cura pro illo, (4) dona illius spiritualia, (5) expiatio electorum per illum, (6) pax conscientiæ in credentibus ex gustu gratiæ Dei. Conversatio Josuæ inter angelos significatur his verbis, *Dabo tibi ambulationes inter stantes illos*: sic enim Hebraica verba sonant, in fine versus septimi. Hujus beneficii promissio constat conditione, Si Josua probè functus fuerit officio suo, ibidem. Missio Christi significatur illis verbis, *Ecce ego adducturus sum servum meum Germen*, v. 8. Hujus beneficii promissio declaratur ex causa procatartica, nempe quòd Josua & reliqui sacerdotes ostento sint, v. eodem. Cura Dei pro Christo significatur illis verbis, quòd super lapide illo quem Dominus posuerat coram Josua, futuri sint oculi septem, v. 9. Dona spiritualia Christi significantur simili sculpturæ lapidis, v. eodem. Expiatio electorum per Christum significatur illis verbis, *Amoturus sum iniquitatem terræ istius die uno*, ibidem. Pax conscientiæ in credentibus ex gustu gratiæ Dei signi-

signi-

significatur simili conviviorum quæ celebrare solebant sub vite & sub ficu, *ψ. 10.*

## SCHOLIA IN CAP. III.

**P**ostea ] *Hebr. Et. Ostendit ] Scil. Jehova. Maximum ]* *ψ. 1.*  
*Hebr. Magnum. Cum articulo. Angelo Jehovæ ] De quo*  
*suprà cap. 1. v. 11. & deinceps.*

2 Dicebat autem Jehova ] *Id est, angelus Jehovæ: ex collatione precedentium & sequentium. Increpet inquam ] Hebr. Et increpet. Eligit ] Ut suprà cap. 1. v. ult. Titio ] Quasi titio. Metaphora. Ex igne ] E servitute Babylonica.*

3 Quum esset &c. ] *Hebr. Fuit indutus &c. & stetit &c. & respondit &c. Coram ipso angelo ] Nempe angelo Jehovæ, versu 1.*

4 Alloquutus est eos ] *Hebr. Dixit ad eos. Ad eos qui stabant &c. ] Ad angelos illos qui pone ipsum stabant, supra cap. 1. v. 8. Coram se ] Verto, Coram ipso. Ut induam ] Hebr. Et induam. Mutatis vestibus ] Verto, Mutatoriis vestibus. Hebr. Mutationibus: vel, exuitionibus. Videtur deficere vox *קִנְיָוִי*. Sic nominantur vestes splendidae, quæ induuntur tantum in solennitatibus, postea exuuntur ac seponuntur.*

5 Ideoque dico ] *Hebr. Et dixi. Sed fortasse pro *קִנְיָוִי* legendum *קִנְיָוִי*. Imposuerunt itaque ] Hebr. Et imposuerunt. Vestibus ] Scil. mutatoriis: ex versu precedente. Angelo &c. ] Hebr. Et angelus Jehovæ stabat.*

6 Tum ] *Hebr. Et.*

7 In viis meis ] *Id est, à me præscriptis. Et si &c. ] Epexegetis. Observationem meam ] A me præscriptam. Et tu ] Verto, Siq. tu. Cum tum etiã ] Hebr. Etiam, & etiam. Observabis ] Verto, Custodies. Utiq; ] Hebr. Et. Disponam tibi qui ambulent ] Verto, Faciam ut ambules. Hebr. Dabo tibi ambulationes. Inter adstantes istos ] Inter angelos.*

8 Maxime ] *Hebr. Magne. Cum articulo. Amici tui ] Inferiores sacerdotes. Ostento ] Hebr. Viri ostenti. Genitivus adjuncti. Ecce ] Hebr. Quod ecce. Germen ] Id est, Christum. Vide Jerem. 23. v. 5. & cap. 33. v. 15. Item infra cap. 6. v. 12.*

9 Lapis ille est &c. ] *Verto, Quod attinet ad lapidem illum*

quem posui coram Jehosua, super lapide uno septem oculi erunt. Hebr. Lapis ille quem posui. Nominativus absolute positus. Per lapidem autem hunc intelligitur Christus: qui per lapidem fundamentalem templi præfigurabatur. Confer Psal 118. v. 22. Esa. 28. v. 16. Per oculos septem intelliguntur oculi multi, per synecdochen speciei; Per hos autem ipsos cura Dei exactissima. Sculpturus sum ] Exornabo Christum donis spiritualibus. Terræ istius ] Cui adducam servum meum Germen: ex versu 8. Id est, electorum. Die uno ] Nempe die illo quo Christus crucifigetur.

10 Die illo ] Id est, tempore illo. Vocabitis quisque amicum suum sub vitem &c. ] Id est, fruemini pace conscientie seu tranquillitate animi ex sensu favoris Dei vobis reconciliati morte Christi. Cujus typus fuit pacatus ille rei pub. status tempore regni Salomonis. Vide 1. Reg. 4. v. 24. & 25.

## O B S E R V A T. E X C A P. III.

1.  
Satan.

**E**X v. 1. & 2. Satan in primis adversatur fidis ministris verbi: sed à Deo compescitur.

2.  
Ministri  
verbi Dei.

Ex v. 3. 4. & 5. Ministris verbi æquè ac alii, opus habent remissione peccatorum, & renovatione naturæ.

3.  
Ministri  
verbi Dei.

Ex v. 7 Fidos ministros verbi Dei manet cohabitatio cum sanctis angelis.

4.  
Ministri  
verbi Dei.

Ex v. 8. Non est quod miremur aut offendamur tanquam re nova atque insolita. quum videmus fidos verbi Dei ministros ostento esse: quia idem jam olim fidos ministris accidit.

5.  
Christus.

Ex vers. 8. & 9. De Christo notanda sunt hæc. (1) quòd fuerit servus Dei patris, qui scil. ei servivit in redimenda Ecclesia Esa. 53. v. 11. (2) quòd fit verus homo: qui instar germinis enatus est è stirpe Davidis Esa. 11. v. 1. (3) quòd fit fundamentum Ecclesiæ: quippe præfiguratus per lapidem fundamentalem templi. Vide 1. Corinth. 3. v. 11. Ephes. 2. v. 20, 1. Pet. 2. v. 4. 5. 6. (4) quòd Deo singu-

singulariter fuerit curæ id quod hîc significatur per septem oculos lapidi illi appositos. (5) quòd expiaverit peccata electorum : id quod peregit sanguine suo. Vide Rom. 3. v. 25. Galat. 3. v. 13. Ephes. 1. v. 7. 1 Johan. 1. v. 7.

Ex v. 10. Qui justificati sunt fide per sanguinem Christi, illi fruuntur pacata & tranquilla conscientia, idq; ex gustu gratiæ Dei per mortem Christi ipsis conciliatæ. Vide Rom. 5. v. 1. 6. Justificatio fidei.

CAPUT IV.

**D**Einde reversus angelus ille qui alloquebatur me, excitavit me ut virum qui excitatur à somno suo:

2 Dixitq; mihi, Quid tu vides? cui dixi, Video quòd ecce lychnuchus aureus totus, cujus lecythus supra summitatem ejus est, & septem lucernæ ejus in eo, septemque infundibula septem illis lucernis quæ sunt in summitate illius:

3 Et duæ oleæ ad illum; una à dextera lecythi, & altera ad sinistram ejus.

4 Quumque respondissem, loquutus sum ad angelum qui alloquebatur me, dicendo; Quid ista sibi volunt, domine mi?

5 Respondens autem angelus qui alloquebatur me, dixit mihi, An nescis quid sibi velint ista? cui dixi, Non, domine mi.

6 Respondens itaq; alloquutus est me dicendo, Hoc est verbum Jehovæ ad Zerubbabelem, dicendo; Non virtute, neque vi, sed spiritu meo, ait Jehova exercituum.

7 Quis es, ô mons magne, coram Zerubbabele? In plauticem es: nam proferet lapidem summum, cum fragoris acclamationibus, Gratia, gratia ei.

8 Fuit enim verbum Jehovæ ad me, dicendo,

9 Manus Zerubbabelis fundaverunt domum istam, & manus ejus perfecturæ sunt; ut agnoscas Jehovam exercituum misisse me ad vos.

10 Nam quis spreverit diem parvorum operum? nam lætantur aspicientes ad lapidem illum perpendiculum in manu Zerubbabelis septem isti; oculi, inquam Jehovæ, ipsi peragrantes terram.

11 Amplius respondens dixi ei; Quid sibi volunt duæ oleæ istæ, ad dexteram lychnuchi, & ad sinistram ipsius?

12 Et respondens denuo dixi ei; Quid duæ bacce olivarum, quæ sunt in spatio duorum tuborum auri effundentium ex se aureum liquorem?

13 Qui quum alloquutus esset me, dicendo, An nescis quid sibi

velint ista? dixi, Non, domine mi. oleosæ; quæ permanent apud do-  
 14 Itaque dixit, Hæ sunt duæ minum totius terræ.

## ANALYSIS CAP. IV.

**H**Oc capite continetur visio quinta, quâ Zachariæ ostensus fuit lychnuchus cum duabus oleis. Hujus visionis narratio constat membris quatuor. Ea sunt: (1) præparatio Zachariæ ad hanc visionem, (2) descriptio lychnuchi, (3) descriptio olearum, (4) patefactio significationis typorum illorum. Zacharias ad hanc visionem præparatus fuit excitatione per angelum Jehovæ, id est, filium Dei, v. 1. Lychnuchus describitur partim ex materia, quòd fuerit aureus: partim ex membris, quæ indicantur tria: lecythus, lucernæ, & infundibula, v. 2. Oleæ describuntur à situ, v. 3. Patefactio significationis typorum illorū constat membris trib. Ea sunt: (1) causa procatartica hujus patefactionis, (2) significatio typorum illorum respectu temporis præsentis, (3) significatio eorundem respectu temporis futuri. Causa procatartica quæ filium Dei movit, ut significationem istorum typorum Zachariæ patefaceret, fuit petitio illius, v. 4. & 5. Significatio typorum illorum respectu temporis præsentis est, quòd Serubbabel exædicaturus sit templum in pace per virtutem Spiritus sancti, v. 6. Hujus exædificationis promissio primùm illustratur, deinde amplificatur. Illustratur à causa corrumpente & eventu, v. 7. Causa corrumpens quæ videbatur exædificationem illam impeditura, fuit potentia & superbia hostium populi Judaici, ibi, *Quis es ô mons magne.* Eventus fuerunt

fuerunt lætæ acclamationes, ibidem. Atque sic promissio ista illustratur. Amplificatur autem repetitione, ψ. 8. 9. & 10. Ubi promissio illa partim declaratur, partim confirmatur. Declaratur tribus modis: (1) à fine, ibi, *Ut agnoscas &c.* ψ. 9. (2) à causa corrumpente exædificationis, ibi, *Nam quis spreverit diem parvorum operum,* ψ. 10. (3) ab eventu, ibi, *Nam latantur aspicientes &c.* ibidem. Confirmatur autem illa promissio à genere, ibi, *Nam oculi Jehovæ peragrant terram,* ψ. eodem. Atque sic tractatur patefactio significationis typorum illorum respectu temporis præfentis. Significatio eorundem respectu temporis futuri, nempe in Novo Testamento, fuit: quòd Spiritus sanctus copiosè operaturus sit in electis, ψ. 11. & seqq. Hujus significationis patefactio declaratur ex causa procatarctica, videl. petitione Zachariæ, ψ. 11. 12. & 13. Significatio autem ipsa indicatur verbis generalibus, ψ. 14.

SCHOLIA IN CAP. IV.

**D**Einde ] *Hebr. Et. Qui alloquebatur me] Verto, Qui loquebatur mecum. Cui dixi] Hebr. Et dixi. Legitur autem hic ויאמר pro ויאמר: ut planum est ex ipsa sententia. E contrario supra cap. 4. v. 5. legitur ויאמר pro ויאמר.* ψ. 1.

2 Quòd ecce] *suppleo, adsit. Lychnuchus] Typus ecclesie. Aureus] Hebr. Auri. Genitivus materia. Cujus lecythus] Hebr. Et lecythus ejus. וְלֵצְיָתוֹ pro וְלֵצְיָתוֹ. Supra summitatem] Hebr. Super capite. Sic mox iterum. Septemq; &c.] Hebr. Septem & septem infundibula lucernis illis. Trajectio.*

3 Ad illum] *fuxta illum. Et altera] Hebr. Et una.*

4 Quumque respondiſsem &c.] *Verto, Et respondi, & dixi angelo qui loquebatur mecum &c. Respondi: id est, orsus sum loqui. Quid ista sibi volunt?] Hebr. Quid sunt ista? Loquutio qualis supra cap. 1. v. 9.*

5 Qui alloquebatur me] *Verto, Qui loquebatur mecum.*  
 Quid sibi velint] *Hebr. Quid sint.* Cui] *Heb. Et.*

6 Respondens itaque] *Hebr. Et respondit, & dixit ad me.*  
 Non virtute] *Vel, Non exercitu. Scil. absolvetur adificatio tem-  
 pli, itemq<sub>3</sub> salvatio ecclesie.* Neque vi] *Vel, Neq<sub>3</sub> viribus.*

7 O mons magne] *Vos hostes ecclesie, potentes ac super-  
 bi.* Eris] *Redigeris.* Proferet] *Vel, educet. Scil. Serubbabel.*  
 Lapidem summum] *Scil. templi.* Summum] *Hebraea vox  
 sonat capitalem.* Cum fragoris acclamationibus] *Hebr. Cum  
 fragoribus.* Ei] *Nempe lapidi illi. Scil. contingat.*

8 Fuit enim] *Verto, Amplius factum est. Hebr. Et factum est.*  
 Jehovæ] *Id est, filii Dei: qui supra aliquoties dictus fuit angelus  
 Jehovæ: sed & Jehova, cap. 3. v. 2. Hæc expositio confirmatur ex  
 fine versus sequentis, ex verbis illis, Ut agnoscas, Jehovam ex-  
 exercituum misisse me ad vos. Ut agnoscas] Hebr. Et agnosces.  
 Jehovam &c.] Hebr. Quod Jehova misit me.*

10 Parvorum operum] *Quæ adhibentur in reedificatione  
 templi. Vide Hag. 2. v. 3.* Lapidem illum perpendiculū] *Ver-  
 to, Pondus illud stanneum. Periphrasis perpendiculi. Hebr. Lapidem  
 stanni. Genitivus materia: & metonymia materiae קלען קטן in  
 vocabulo lapidis: qualis infra cap. 5. v. 8.* Septem isti] *Nempe se-  
 ptem isti oculi quorum mentio facta supra cap. 3. v. 9. Hæc exposi-  
 tio confirmatur per verba proximè sequentia. Oculi inquam  
 &c.] Verto, Nam oculi Jehovæ peragrant terram.*

11 Amplius] *Hebr. Et.* Respondens] *Sermonem exorsus.*  
*Sic versu seq.* Sibi volunt] *Genuinum supplementum est, sunt.*  
*Est autem loquutio metonymica, qualis supra cap. 1. vers. 9.* Duæ  
 baccæ] *Fortasse rectius, Duo rami. Hebr. Duæ spica. Meta-  
 phora.*

12 Denuo] *Hebr. Secundo.* Quid] *Scil. sunt. Id est, signifi-  
 cant.* In spatio] *Puto vertendum, In latere.* Auri] *Verto, au-  
 reorum. Genitivus materia. Effundentium] Hebr. Evacuanti-  
 um. Aureum liquorem] Id est, oleum. Hebr. Aurum. Metony-  
 mia materiae, & metaphora. Per istud autem oleum figurabantur  
 dona Spiritus sancti.*

13 Qui quum &c.] *Hebr. Et dixit ad me dicendo &c. & di-  
 xi, &c.*




xi &c. Sibi velint] *Genuinum supplementum est, sint. Vide supra cap. i. v. 9.*

Itaque] *Hebr. Et. Oleosæ] Hebr. Filii olei. Id quod potest bifariam intelligi: nempe vel de duabus oleis, de quibus interrogavit versu 11: vel de duabus baccis, sive de duobus ramis, de quibus interrogaverat versu 12. Et hoc posterius mihi magis videtur: quia simili ratione ramus fecundus nominatur filius fecundæ, Genes. 49. vers. 22. Secundum priorem intellectum vertendum erit, Oleosæ arbores: secundum posteriorem, Oleosi rami. Permanent] Hebr. Stant. Dominum totius terræ] Periphrasis Dei.*

OBSERV. EX CAP. IV.

**E**X toto capite. De Ecclesia, per lychnuchum <sup>1.</sup> *Ecclesia.* figurata, notanda sunt hæc (1) quòd sit pretiosa coram Deo: sicut aurum est coram hominibus: id quod figuratum fuit per lychnuchum aureum. (2) quòd illuminetur cognitione salvificæ Dei per verbum Dei & Spiritum sanctum. Id quod figuratum fuit per infusionem olei ex oleis in lucernas lychnuchi illius. Lumen enim lucernarum per oleum fovetur.

Ex v. 6. 7. 9. & 10. Sicut Serubbabel non po- <sup>2.</sup> *Christus.* tuit impediri quo minùs absolveret structuram templi: ita nec Christus, per Serubbabelem præfiguratus, impediri potest quò minùs absolvat collectionem Ecclesiæ.



CAPUT V.

**D**Einde rursus attollens oculos meos vid; quòd ecce volumen volabat. cubitorum, & latitudine decem cubitorum.

2 Quumque diceret mihi, Qui d tu vides? dixi, Video volumen volans, longitudine viginti 3 Tum dixit mihi. Hæc exsecratio processura in superficiem totius terræ; quia quisquis furatur ex hoc populo, ut ilia, se inno-

centem asserit; & quisquis jurat ex hoc populo, ut illa, se innocentem asserit.

4 Hanc profero, dictum Jehovæ exercituum, ut invadat domum furis, & domum jurantis per nomen meum falsò: commoransque in domo ejus consumat eam, & ligna ejus, ac lapides ejus.

5 Postea progressus angelus qui alloquebatur me, dixit mihi, Attolle jam oculos tuos, & vide quid sit hoc quod procedit.

6 Dicenti autem mihi, Quid est? dixit, Est Ephā quæ progreditur, dixitque Hic est oculus ipsorum in tota hac terra.

7 Ecce autem massam plumbi allatam; cum ea, mulierem u-

nam quæ sedit in medio illius Ephā.

8 Dixitque ille, Hæc est ipsa improbitas, quæ projecit eam in medium Ephā; projecitque massam illam plumbi in os ipsius Ephā.

9 Tum attollens oculos meos vidi, quòd ecce duæ mulieres prodibant habentes ventum in alis suis, quibus erant alæ similes alis ciconiæ; efferebantque Ephā illam inter terram & cælum.

10 Me autem dicente illi angelo qui alloquebatur me; Quò istæ deferunt Ephā hanc?

11 Dixit mihi, Ut ædificet sibi domum in terra Schinharis; ubi stabiliatur & collocetur in basi sua.

## ANALYSIS CAP. V.

**C**apitis hujus partes sunt duæ: visio sexta & visio septima. Pars posterior incipit versu 5. Visione sextâ vidit Zacharias volumen volans. Hujus visionis narratio constat duobus membris: quorum primum est voluminis illius descriptio, alterum typi declaratio. Volumen describitur à quantitate, v. 2. Typus declaratur, quòd per volumen illud significetur execratio, v. 3. Hæc autem execratio partim declaratur, partim amplificatur. Declaratur à causa procatartica, videl. peccatis Judæorum: quæ in specie indicantur duo, furtum & perjurium: quod utrumque amplificatur ab adjuncta negatione, v. 3. Amplificatur autem execratio illa ab adjuncta duratione, v. 4. Sextâ visione vidit Zacharias mulierem infidentem ephā. Hujus visionis narra-  
tio

tiō constat membris septem. Ea sunt: (1) præparatio Zachariæ, (2) declaratio primæ partis typi, videl. ephæ, (3) altera pars visionis, (4) declaratio illius partis, (5) tertia pars visionis, (6) quarta pars visionis, (7) declaratio illius partis. Zacharias ad hanc visionem præparatus fuit hortatione filii Dei, vers. 5. Typus illius ephæ declaratur de Dei omniscientia & providentia, v. 6. Altera pars visionis fuit massa plumbi, & mulier insidens ephæ, v. 7. Declaratio illius partis est, quòd per mulierem illam significetur improbitas, v. 8. Tertia pars visionis fuit, quòd filius Dei mulierem illam projecit in epham, quòdque superinjecit massam plumbi, v. eodem. Quarta pars visionis fuerunt duæ mulieres alatæ, ferentes epham illam, v. 9. Declaratio illius partis est, quòd impii Judæi annumerandi sint Babyloniis, v. 11. Hæc autem declaratio illustratur à causa procatartica: quæ fuit interrogatio Zachariæ, v. 10.

## S C H O L I A I N C A P. V.

**D**Einde] *Hebr. Et. Rursus attollens] Hebr. Reversus sum & sustuli. &c. & vidi. Quòd &c.] Verto, Et ecce volumen volans aderat.* v. 1.

2 Diceret] *Nempe angelus Jehovæ: cujus jam crebra facta mentio. Longitudine &c.] Hebr. Longitudo ejus est viginti cubitorum, & latitudo ejus est decem cubitorum.*

3 Tum] *Hebr. Et. Hæc execratiō &c.] Verto, Hæc est execratiō quæ exit. Id est, In isto volumine scripta est execratiō. Terræ] Nempe terræ Judæ: ut percipitur è sequentibus. Synecdoche integri. Ut illa] Verto, Secundum illud volumen. Sic mox iterum. Se innocentem asserit] Verto, Innocens habetur. Sic mox iterum. Jurat] Scil. falsò: ut exprimitur v. seq.*

4 Hanc] *Scil. Execrationem. Ut invadat] Hebr. Et ve-*

niet in domum furis & in domum jurantis &c. Fal. ò ] Hebr. Ad falsitatem. Commoransq; &c. ] Hebr. Et pernoctabit in medio domus ejus & consumet eam.

5 Postea ] Hebr. Et. Progressus ] Hebr. Exivit. Qui alloquebatur me ] Verto, Qui loquebatur mecum. Procedit ] Hebr. Exit. Ephā ] Mensura aridorum: qualis apud nos Ein fester oder simmer / oder māsse / oder scheffel. Oculus ipsorum ] Id est, oculus qui observat ipsos. Genitivus objecti. Per hunc autem oculum intelligitur providentia & cura Dei. Hac ] In Hebræo est articulus.

7 Massam plumbi allatam ] Verto, Massa plumbea efferebat se, & cum ea erat mulier quaedam &c. Per hanc massam figurabatur gravitas judicii divini. Plumbea ] Hebr. Plumbi: ut versu seq. Genitivus materiae.

8 Quum projiceret ] Hebr. Et projecit. Massam illam plumbi ] Verto, pondus illud plumbeum. Hebr. Lapidem plumbi. Metonymia materiae ἡ ἀλαξενική: qualis supra cap. 4. vers. 10. In os ipsius ephā ] Ad figurandum, impios Judæos non effugituros poenas Dei.

9 Tum attollens ] Hebr. Et sustuli &c. & vidi. Quòd ] Hebr. Et. Duæ mulieres ] Quibus figurabantur impii Judæi respectu duorum temporum: puta Esræ, Esr. 9. vers. 10: & Nehemiæ, Nehem. 13. Habentes &c. ] Hebr. Et ventus erat in alis earum. Ceterum pronomen affixum est generis masculini, ἀνωμαλως. Per ventum autem istum figurabatur celer ille processus quem contra impios Judæos adhibuerunt Esras & Nehemias: sicut per alas fortitudo eorum. Quibus &c. ] Hebr. Et eis erant alæ sicut alæ ciconiae. Efferebant ] Malim, ferebant. Et calum ] Hebr. Et inter calum. Sic autem figurabatur excommunicatio impiorum Judæorum.

10 Me autem dicente &c. ] Hebr. Et dixi ad angelum illum qui loquebatur mecum &c. & dixit &c. Istæ ] Hebr. Isti. Anomalia generis qualis paulò antè, versu precedente. In terra Schinbaris ] Id est, in Babylonia. Vide Genes. 10. v. 10. Sic figurabatur, impios Judæos impiis Babyloniis annumeratum iri.

OBSE R-

## OBSERVAT. EX CAP. V.

**E**X toto capite. Etsi Deus impiis ad tempus *Guberna-*  
parcit: tamen tandem execrationem com- *tio Dei.*  
meritam eis immittit. Ergo caveant impii, ne  
longanimitate Dei abutantur ad perseveratio-  
nem in peccatis. Vide Rom. 2. v. 4. & 5.

## CAPUT VI.

**D**Einde rursus attollens oculos meos vidi, quòd ecce quatuor currus prodibant è medio duorum montium; qui montes *erant* montes chalybei.

2 In curru primo equi rufi *erant*, & in curru secundo equi nigri:

3 In curru autem tertio equi albi; & in curru quarto equi grandine guttati, confirmati.

4 Itaque proloquens dixi angelo qui alloquebatur me: Quid *sibi hæc volunt*, domine mi?

5 Et respondens angelus dixit mihi, Hi quatuor *sunt* venti caelorum, procedentes inde ubi constituerant, apud dominatorem totius terræ.

6 Qui sunt in illo *curru*, & equi illi nigri egrediuntur in terram Aquilonalem, & albi illi egrediuntur post eos; grandine verò guttati egrediuntur in terram Meridianam.

7 Confirmati itaque illi egressi quærebant eundo ut obambulant terram hanc: quapropter edixit, Ite, obambulate terram hanc: sic obambulantur *eque* terram.

8 Et accersens me alloquutus est me, dicendo; Vide, hi qui e-

gressi sunt in terram Aquilonalem, tranquillarant spiritum meum in terra Aquilonali.

9 Tum fuit verbum Jehovæ, edicendo mihi,

10 Accipe à deportatis, à Cheldaiio, & à Tobija & à Jedahja, veniens tu die eodem, veniens inquam *in* domum Joschijæ filii Tzephanjæ, qui veniunt è Babylonia:

11 Et accipiens argentum & aurum, facies coronas, ac impones capiti Jehoschuhæ filii Jehotzadaki, sacerdotis maximi:

12 Quem alloquëris, dicendo, Sic ait Jehova exercituum dicendo, Ecce virum cujus nomen *est* Germen, qui è loco suo germinabit, & ædificabit templum Jehovæ.

13 Is enim ædificaturus est templum Jehovæ, idemq; reportaturus decorem, & sessurus ac dominaturus in folio suo: eritq; sacerdos in folio suo, & consilium pacis erit inter utrosque.

14 Quamobrem illarum coronarum quæq; esto pro Chelemo, & pro Tobija, & pro Jedahja, & pro Chene filio Tzephanjæ: in memoriale, in templo Jehovæ.

15 Nam longinqui advenient

& ædificabunt in templo Jehovæ, *quidem* futurum est, quum omni-  
 ita cognoscetis Jehovam exerci- no auscultaveritis voci Jehovæ  
 tuum misisse me ad vos: atq; *hoc* dei vestri.

## ANALYSIS CAP. VI.

**C**apitis hujus partes triuæ sunt: visio Zacha-  
 riæ octava, & mandatum ei à Deo datum de  
 conficiendis duabus coronis. Posterior pars in-  
 cipit versu 9.

## DE PRIMA PARTE.

Visione octavâ vidit Zacharias quatuor cur-  
 rus cum equis, v. 1. Hujus visionis narratio con-  
 stat membris quinque. Ea sunt: (1) locus unde  
 currus isti prodibant, (2) color equorum, (3) de-  
 claratio hujus partis typi, (4) alia pars typi, (5) de-  
 claratio illius partis. De loco dicitur, quòd currus  
 isti prodierint è medio duorum montium æreo-  
 rum, v. 1. Color equorum fuit quadruplex pro  
 diversitate curruum, v. 2. & 3. Declarationis hu-  
 jus partis visionis narratio constat membris tri-  
 bus: ea sunt, (1) causa procatartica, (2) quid si-  
 gnificetur in genere, (3) quid in specie. Causa  
 procatartica hujus declarationis, fuit petitio  
 Zachariæ, v. 4. In genere per illos quatuor cur-  
 rus significati fuerunt angeli, v. 5. In specie per  
 tres currus priores significati fuerunt angeli qui  
 tunc missi fuerunt in Babyloniam: per quartum  
 autem currum, angeli qui tunc missi fuerunt in  
 Judæam, v. 6. Alia pars visionis fuit, quòd equi il-  
 li progressi sunt eò quò missi erant, v. 7. Declara-  
 tio illius progressionis fuit, quòd angeli qui tunc  
 in Babyloniam missi fuerunt, tranquillarint spi-  
 ritum Domini, v. 8.

DE SE-

## DE SECUNDA PARTE.

Narratio mandati de conficiendis duabus coronis constat tribus membris. Primo indicatur, à quibus accipienda sit coronarum illarum materia: secundo, quænam illa esse debeat: tertio quid coronis istis agendum. Illi à quibus materia coronarum fuit accipienda, fuerunt quatuor viri primarii, qui tunc è Babylonia venerant Hierosolimam: & nominibus suis exprimuntur, v. 10. & 14. Hæc pars narrationis illustratur à loco ubi acceptio illa fieri debuit, v. 10. Materia autem illarum coronarum debuit esse argentum & aurum, v. 11. Porrò agenda de istis coronis mandantur duo: unum, ut imponantur capiti Josuæ summi sacerdotis, v. 11: alterum, ut asserventur in templo, v. 14. Impositionis illius typus declaratur, quòd Christus futurus sit & sacerdos & rex, v. 12. & 13. Asservatio autem partim declaratur, partim amplificatur. Declaratur ex causa finali, v. 14. ibi, *In memoriale*. Amplificatur ab eventu, ibi, *Longinqui advenient &c.* v. 15. Cujus eventus promissio declaratur partim à causa finali, ibi, *Ita cognoscetis &c.* partim ab adjuncta conditione, ibi, *Atq; hoc quidem futurum est &c.*

## SCHOLIAIN CAP. VI.

**D**Einde] *Hebr. Et. Rursus attollens &c.*] *Hebr. Reversus sum, & sustuli oculos meos, & vidi.* Quòd] *Hebr. Et. Quatuor currus*] *Per quos figurabantur angeli: quippe qui in quatuor mundi plagas à Deo emittuntur ad exsequendum judicia illius.* Duorum montium] *Per quos figurabatur providentia Dei immota & immutabilis.* Qui montes] *Hebr. Et montes illi. Chalybei*] *Sive, erei. Hebr. Æris. Genitivus materie.*

v. 1.

2 Equi] Per quos similiter, ut per currus, figurabantur angeli: propter ipsorum velocitatem & robur.

3 Grandine guttati] In Hebraeo est vox unica, quae sonat Grandinati. Confirmat] Id est, robusti. Hoc epitheton referendum est ad equos illos omnes, ut percipitur ex v. 7.

4 Itaque] Heb. Et. Proloquens] Sive, loqui incipiens. Heb. Respondi. Qui alloquebatur me] Verro, Qui loquebatur mecum. Sibi volunt] Genuinum supplementum est, sunt: ut supra cap. 1. v. 9.

5 Procedentes] Hebr. Exeuntes. Inde ubi constiterant] Hebr. A consistendo. Dominatorem totius terrae] Periphrasis Dei.

6 In illo] Scil. primo. Id est, equi illi rufi: ex versu 2. Aquilonalem] Dicerem, Aquilonarem. Hebr. Aquilonis. Sic versu 8. Intelligitur autem Babylonia sive Chaldaea: sicut supra cap. 2. v. 10. Meridianam] Id est, Judaeam. Hebr. Meridiei. מִיָּמִינִי: à יָמִינִי, id est, dextera: quia aspicienti Orientem Meridies sita est ad dexteram.

7 Confirmati illi] Robusti illi equi. Terram hanc] Scil. Meridianam: ex versu precedente. Hinc perspicitur, nostros epitheton illud Confirmatorum restringere ad equos grandine guttatos. Sed refragari videtur versus sequens: ubi angelus narrat, quid reliqui equi effecerint. Itaque pronomina Hanc & hic & in sequente membro expungendum judico. Quapropter edixit] Puto vertendum, Nam dixerat. Sic] Hebr. Et. Equae] Hanc vocem suppleverunt: quia verbum est generis foemini.

8 Accersens me] Hebr. Fecit ut inclamarent me. Tranquillarunt spiritum meum] Scil. inspirando Judaeis in Babylonia adhuc degentibus pios affectus.

9 Tum] Hebr. Et. Fuit &c.] Verro, Factum est verbum Jehovae ad me, dicendo.

10 Accipe] Heb. Accipere. A deportatis] Hebr. A migratione. Id est, à Judaeis qui migraverant in Babyloniam, eò deportati à Nebucadnetzare. Metonymia adjuncti. Veniens] Verro, Et venito. Sic mox, Venito inquam: Hebr. Et venito. Veniunt] Verro, Venerunt. E Babylonia] Sive, E Babele.

11 Accipiens] Hebr. Accipito. Facies] Verro, Facito. Et sic mox, Imponito. Coronas] Nempe coronas duas: unam argenteam,

team,



team, alteram auream: quarum illa figurabatur sacerdotium, hac regnum. Jehoschubæ] *Tanquam typi Christi.*

12 Quam alloqueris] *Verto, Dicitq; ad illum.* Ecce virum] *Verto, Ecce vir veniet.* Cujus nomen &c.] *Hebr. Germen nomen ejus est.* Qui] *Verto, Nam. Hebr. Et.* E loco suo] *Scil. Nazareth urbe: quæ sic dicta fuit à nomine נצר, id est, surculus.* Confer Esa. 11. vers. 1. *Ædificabit] Scil. per prædicationem Evangelii.* Templum Jehovæ] *Ecclesiam.*

13 Is enim] *Verto, Is inquam. Hebr. Et is.* Reportaturus] *Verto, portaturus: sive gestaturus.* Decorem] *Id est, magnificas illas vestes sacerdotales.* Hoc est, erit summus sacerdos. In solio suo] *Id est, erit rex.* Eritque] *Nempe ille Germen. Sacerdos] Quasi dicat, Non tantum rex, sed etiam sacerdos. Talis erit rex, qui simul sit sacerdos.* Inter utrosq;] *Scil. Inter regem & sacerdotem: quia scil. unus & idem erit & rex & sacerdos.*

14 Quamobrem] *Hebr. Et.* Illarum coronarum quæque esto] *Heb. Coronæ illæ erit: hoc est, esto. Syntaxis distributiva.* Chelemo] *Is antea dictus fuit Cheldai, v. 10.* Chene] *Is supra dictus fuit Joschija, versu citato.*

15 Nam] *Hebr. Et.* Longinqui] *Gentes.* In templo Jehovæ] *In Ecclesia.* Ita] *Hebr. Et.* Jehovam &c.] *Hebr. Quod Jehova misit me.* Omnino] *Hebr. Auscultando.*

OBSERVAT. EX CAP. VI.

**E**X vers. 1. Decreta Dei immutabilia sunt. id <sup>1.</sup> *Decreta Dei.* quod hîc figuratur per montes æreos è quibus prodeunt angeli ad exsequendum decreta Dei.


Ex v. 2. & seqq. usque ad 9. Angelorum san- <sup>2.</sup> *Angeli.*ctorum operâ utitur Deus in gubernandis rebus humanis per totum terrarum orbem: ac nominatim ipse Christus, v. 8. & 9.

Ex v. 10. & seqq. notetur doctrina de persona <sup>3.</sup> *Christus.* & officio Christi. Ratione personæ est verus homo: quo respectu nominatur Germen, versu 12.

Ratione officii primùm fuit propheta: quippe qui per prædicationem Evangelii ædificavit templum Domini, *ÿ. 12. & 13.* Deinde est summus Ecclesiæ sacerdos: quippe qui gestat decorem seu ornatum sacerdotalem, item coronam argenteam, *ÿ. 11. & 13.* Tum verò etiam rex est, sedens ac dominans in solio suo, *ÿ. 13.*

4.  
Vocatio  
gentium.

Ex *ÿ. 15.* notetur testimonium de vocatione gentium.



## CAPUT VII.

POSTEÀ fuit anno quarto Darii regis; fuit verbum Jehovæ ad Zecarjam, quarto die mensis noni, Cislevo mense:

2 Quum misisset *populus* in domum Dei Scharezzerum & Regem Melecum, & viros suos; ad deprecandum faciem Jehovæ,

3 Et alloquendum sacerdotes qui aderant domui Jehovæ exercituum & prophetas, dicendo; An fleturus sum mense quinto separando me, quemadmodum feci jam aliquot annis?

4 Fuit igitur verbum Jehovæ exercituum, edicendo mihi,

5 Alloquere totum populum hujus terræ, & sacerdotes, dicendo; Quum jejunatis & plangitis quinto & septimo mense, ut illis septuaginta annis, an ullo pacto mihi, mihi inquam jejunatis?

6 Et quum comeditis, aut quibibitis; nõne vos comeditis & vos bibitis *vobis*?

7 Nõne *facturi fuistis* secundum verba illa quæ proclamavit Jehova per prophetas priores,

quum esset urbs Jeruschalaimorum deserta, & tranquilla, & civitates circumstantes eam; quum australem locum & humilem regionem *populus* inhabitare?

8 Fuitque verbum Jehovæ ad Zecarjam, ut diceret:

9 Sic loquutus fuerat Jehova exercituum, edicendo; Jus veritatis dicite; benignitatemque & misericordiam exercete alter in alterum:

10 Viduamque aut pupillum, peregrinum, aut pauperem ne opprimite: & malum alteri alterius ne cogitate cum animo vestro:

11 Sed reverterunt attendere, & præbuerunt humerum refractarium: auresque suas aggravarunt ne audirent:

12 Et cor suum disposuerunt ut lapidem perditurnum, ne audiret legem ipsam & verba quæ mittebat Jehova exercituum spiritu suo *dicenda* per prophetas illos priores: unde fuit fervor *iræ* magnus à Jehova exercituum.

13 Fuit enim quemadmodum clamando

clamantem ipsam non audiverant; ut ita clamantes ipsos non audirem, ait Jehova exercituum.

14 Sed turbine disjicerem eos in omnes gentes quas non nove-

rant, & terra hæc desolaretur post eos, destituta transeunte & redeunte: ita disposuerunt terram desiderabilem in desolationem.

## ANALYSIS CAP. VII.

**H**Oc capite continetur sermo Zachariæ ad Judæos: cujus duæ sunt partes. In priorè rejicit Dominus solennia eorum jejunia quæ celebrare soliti erant propter clades acceptas à Babyloniis, septem primis versibus: in posteriore commemorat sermonem per prophetas habitum ad ipsorum patres, atq; ita obliquè eos hortatur ad justitiam.

## DE PRIMA PARTE.

Hæc sermonis pars constat membris quatuor. Primo indicatur tempus quo sermo hic fuit habitus: secundo occasio: tertio rejectio jejuniorum, cum annexo argumento: quarto exprobratio omissi officii. Tempus indicatur versu 1. per species tres: puta annum, mensem, & diem. Occasionem huic sermoni præbuit quæstio populi de jejunio: cujus propositio illustratur indicatione tum personarum per quas fuit proposita, v. 2: tum personarum quibus fuit proposita, v. 3. ubi etiam quæstio ipsa recitatur. Rejectionis argumentum sumtum est ab eventu inutili, quòd scilicet ex jejuniis illis Judæorum nihil utilitatis perveniat ad Dominum, vers. 5. Hoc argumentum amplificatur collatione similium in contrariis: quòd sicut quum edunt & bibunt Judæi, nulla inde utilitas perveniat ad Deum: ita etiam quum jejunant, v. 6. Exprobratio omissi officii anne-

Y

ctitur per antithesin diverforum, in hanc sententiam: Non peto ut jejunetis, sed postulo ut obediatis monitis prophetarum quæ illi proposuerunt patribus vestris: at vos de hac obedientia præstanda solliciti non estis. Hic monita prophetarum illustrantur à tempore quo fuerunt proposita, nempe quum res Judæorum adhuc essent salvæ: quo ipso significatur, per contemptum illorum monitorum rempubl. ipsorum perditam esse, *ψ. 7.*

## DE SECUNDA PARTE.

Hæc pars tribus constat membris: narratione hortationis habitæ ad patres, querela de inobedientia illorum, & commemoratione pœnæ ob inobedientiam eis inflictæ. Hortatio fuit ad justitiam: quæ justitia primùm significatur verbis generalibus, *ψ. 9:* deinde per species quasdam illustratur, *ψ. 10.* Querela de inobedientia amplificatur copiâ verborum, *ψ. 11. & 12.* Pœna declaratur tribus modis: à causa antecedente, à causa corrumpente, & à partibus. Causa antecedens fuit ira Domini, in fine versus 12. Causa corrumpens quæ videbatur pœnam illam avertura, fuit deprecatio populi, *ψ. 13.* Partes indicantur duæ: deportatio populi & desolatio terræ. Quarum illa illustratur simili turbinis: ista verò amplificatur partim ab eventu, quòd jam nemo isthic habitet: partim à contrario, videl. pristinâ amœnitate, *ψ. 14.*

## SCHOLIA IN CAP. VII.

*ψ. 1.* **P**ostea] *Hebr. Et. Fuit] Verto, Factum est: id est, accidit. Sed verbum istud hic elegantius in vertendo omittitur absq; injuria*

juria sensus, si scilicet sic vertatur: Postea anno quarto Darii regis factum est verbum Jehovæ &c. Cislevo] Scribo Chisleu: quia in Hebræo est צraphatum. Mensis autem iste maxima ex parte respondet nostro Novembri.

2 Quum misisset] Hebr. Et misit. Populus] Hanc vocem hic subintelligendam esse, percipitur ex versu 5: ubi ad questionem quæ hic proponitur, respondetur. In domum Dei] In templum. Melecum] Scribo, Melechum: quia est צraphatum.

3 Et alloquendum sacerdotes] Hebr. Dicendo ad sacerdotes. Qui aderant domui] Verto, Qui erant apud domum. An fleturus sum] Verto, An debeo flere. Id est, jejunio vacare. Synecdoche membri metonymica, quâ unâ cum subjecto intelligitur adjunctum. Mense quinto] Nempe Julio: decimo die mensis, quo templum exustum est, Jerem. 52. vers. 12. & 13. Separando me] Scilicet à cibo, potu, concubitu: denique omni voluptate corporis. Synecdoche generis. A verbo illo Hebraico dicti sunt Nesiræi, id est, separati: qui vulgò Nazaræi. Aliquot annis] Hebr. Secundum aliquantum annorum.

4 Fuit &c.] Verto, Factum est igitur verbum Jehovæ ad me, dicendo.

5 Alloquere &c.] Hebr. Dic ad totum populum & ad sacerdotes. Hujus] In Hebræo est articulus. Quum jejunatis &c.] Verto, Quum jejunastis, & quidem plangendo, quinto & septimo mense, idque his septuaginta annis: an ullo pacto jejunastis mihi, mihi inquam? Ullo pacto] Hebr. Jejunando. Quinto mense] De hoc dictum est ad versum tertium. Septimo] Hujus mensis jejunium institutum fuerat in memoriam necis Gedalje. Vide 2. Reg. 25. v. 25. vel 28. & Jerem. 41. v. 2. An jejunastis mihi?] Id est, An ego aliquid commodi percepi ex vestro jejunio?

6 Comeditis, bibitis] Verto, Comedebatis, bibebatis. Nonne vos] Emphasis est in pronomine Vos. q. d. Vos: non autem ego. Id est, Ad me nihil utilitatis inde redibat. Itaque non opus est supplere vocem Vobis.

7 Facturi fuistis] Pro his verbis suppleo ista, Facere debebatis: sic postulante scopo hujus loci. Quæsiverant enim, an adhuc deberent observare jejunium mensis quinti, v. 3. Respondet Dominus, quid debeant facere, nempe quod debeant obedire monitis

prophetarum, propter quorum contemptum abducti fuerant in captivitatem. Urbs Jeruschalaimorum] *Verto, Hierosolyma. In Hebraeo non habetur vocabulum urbs, neq<sup>3</sup> etiam deficit: nec pluralis numeri est nomen Jeruschaláim: sed singularis. Deses] Hebr. Quum sederet & tranquilla esset. Civitates circumstantes eam] Hebr. Civitates ejus quæ erant circa eam. Australem locum] Hebr. Austrum. Metonymia adjuncti.*

8 Fuitque] *Verto, Et factum est. Ut diceret] Hebr. Dicendo.*

9 Sic loquutus fuerat] *Verto, Sic ait. Et refero ad tempus præsens: quæ est usitata significatio istius loquutionis. Interim ex versu 11. planum evadit, hinc recitari sermonem habitum ad patres Judæorum quos tunc alloquebatur Zacharias. Itaq<sup>3</sup> hoc loco deest sententia ista, Dixi patribus vestris. Jus veritatis dicite] *Verto, Judicium verum judicate. Genitivus adjuncti. Exercete] Hebr. Facite. Alter in alterum] Hebr. Vir cum fratre suo.**

10 Aut] *Hebr. Et. Sic mox iterum. Alter alterius] Hebr. Vir fratris sui. Cum animo vestro] Hebr. In corde vestro.*

11 Sed] *Hebr. Et. Præbuerunt] Hebr. Dederunt. Ne audirent] Malim, Ut ne audirent. Hebr. Ab audiendo.*

12 Disposuerunt] *Malim, effecerunt. Hebr. Posuerunt. Lapidem perdiuturnum] In Hebraeo est vox unica יָדָשׁ: qua videtur significari lapis durissimus ac durabilis, ut qui se servet à corruptione, à יָדָשׁ, custodivit, servavit. Quidam adamantem reddunt. Aliàs significat veprem sive sentes. Legem ipsam] Pronomen Ipsam elegantius abesset. In Hebraeo est articulus, quo notatur lex Dei. Per prophetas] Hebr. Per manum prophetarum. Unde] Hebr. Et. Fuit] *Malim, Exstitit.**

13 Fuit enim] *Hebr. Et factum est. Quemadmodum clamantem &c.] Hebr. Quemadmodum clamaverat, & non audiverant. Ut ita clamantes &c.] Hebr. Ita clamabant, & non audiebam.*

14 Sed] *Hebr. Et. Disjicerem] Verto, disjiciebam. Et mox pro Desolaretur, verto, Desolata mansit. Destituta transeunte] Hebr. A transeunte & à redeunte. Id est, Ita ut non esset qui transiret aut rediret. Ita] Hebr. Et. Disposuerunt] *Verto, Redege-**

Redegerunt. Hebr. Posuerunt. Terram desiderabilem ] Periphrasis Judææ. Hebr. Terram desiderii, seu concupiscentiæ. Genitivus adjuncti.

O B S E R V A T. E X C A P. V I I.


**E**X v. 5. 6. & 7. Verus Dei cultus non consistit in jejuniis, aliisve ceremoniis: sed in studio justitiæ, ac proinde etiam pietatis seu timoris Dei. 1. Cal. Dei.

Ex v. 9. & 10. notentur aliquot species justitiæ quibus operam dare debemus. 2. Justitiæ.

Ex v. 11. & 12. In populo Judaico proponitur exemplum contemptus verbi divini. 3. Contemptus verbi Dei.

Ex v. 12. 13. & 14. In eodem proponitur exemplum puniti contemptus verbi divini. 4. Contemptus verbi Dei.

Ex v. 13. Qui cupiunt clamorem suum (id est, preces suas) à Deo exaudiri: necesse est ut & ipsi clamantem Deum audiant, id est, verbo ejus quo ad bona opera per ministros suos exhortatur, obediant. 5. Preces.



C A P U T V I I I.

**D**Einde fuit verbum Jehovahæ exercituum, dicendo,

2 Sic ait Jehova exercituum, Zelotypus fui Tzizonis zelotypiâ magnâ; & excandescentiâ magnâ zelotypus fui ipseus.

3 Sic ait Jehova, Reversus sum ad Tzizonem, & habito in medio Jeruschalaimorū; ut vocetur urbs Jeruschalaimorum civitas veritatis, & mons Jehovahæ exercituum mons sanctitatis.

4 Sic ait Jehova exercituum, Adhuc sedebunt senes & anus in

plateis Jeruschalaimorū; habens quisq; scipionem suum in manu sua piæ multitudine dierum.

5 Et plateæ civitatis replebuntur pueris & puellis, ludentibus in plateis ejus.

6 Sic ait Jehova exercituum, Quia mirabile est in oculis reliquiarum populi hujus diebus his; an etiam in oculis meis mirabile esset? dictum Jehovahæ exercituum.

7 Sic ait Jehova exercituum, Ecce ego servaturus sum popu-

lum meum è terra Orientis: & è terra occasus solis:

8 Et reducturus eos ut habitent Jeruschalaimis: eruntq; mihi populus, & ego ero eis deus in veritate & iustitia.

9 Sic ait Jehova exercituum: Confirmantor manus vestræ, qui audistis diebus his verba ista: ex ore prophetarū ipsorum, ex quo die fundata est domus Jehovæ exercituum, templum ædificandum fuisse.

10 Nam ante dies hos merces hominis non efficiebatur, & merces jumenti nulla erat: & exeunti ac egredienti nulla erat pax ab hoste, sed committebam omnes homines unum cum altero.

11 Nunc verò non sum ut diebus illis prioribus ego, reliquii populi hujus: dictum Jehovæ exercituum.

12 Nam sementis pacis est, vitis edit fructum suum; & terra edit proventum suum, cælique edunt rorem suum: denique facio ut possideant reliquiæ populi hujus omnia ista.

13 Eritque ut quemadmodum fuistis maledictioni in gentibus, ò domus Jehudæ, & domus Jisraëlis, ita servem vos & sitis benedictioni: ne timetote, confirmantor manus vestræ.

14 Sic enim ait Jehova exercituum: Quemadmodum cogitaveram malo afficere vos, quum ferverecissent me patres vestri, ait Jehova exercituum: neque pœnituit me:

15 Ita conversus cogito diebus his bono afficere Jeruschalaima

& domum Jehudæ: ne timetote.

16 Hæ sunt res quas facturi estis: loquimini veritatē altercum altero; veritatis & pacis jus dicite in portis vestris:

17 Et alter malum alterius ne cogitetis cum animo vestro, & juramentum falsum ne ametis. nā omnia hæc sunt quæ odi, dictum Jehovæ.

18 Fuit igitur verbum Jehovæ exercituum, dicendo mihi,

19 Sic ait Jehova exercituum, Jejunium quarti mensis, & jejunium quinti, & jejunium septimi jejuniumque decimi futurum est domui Jehudæ gaudio, & lætitiæ, & in solennitates hilares: sed veritatem & pacem amate.

20 Sic ait Jehova exercituum: Adhuc erit quum venient populi, & habitatores civitatum multarum:

21 Et adibunt habitatores unius alteram, dicendo, Eamus indefinenter ad deprecandum faciem Jehovæ; & ad quærendum Jehovam exercituum; eam ego quoque.

22 Ita venient populi multi, & gentes numerosæ, ad quærendum Jehovam exercituum Jeruschalaimis; & ad deprecandum faciem Jehovæ.

23 Sic ait Jehova exercituum; Erit diebus illis, quum prehendent decem homines ex omnibus linguis gentium; prehendent inquam alam viri Jehudæi, dicendo, Ituri sumus vobiscum, quia audimus Deum esse vobiscum.

ANALY-



## ANALYSIS CAP. VIII.

Quatuor sunt hujus capituli partes: quarum primâ continentur promissiones ad Hierosolymitanos, octo primis versibus: secundâ hortatio ad continuandum reedificationem templi, v. 9. & deinceps: tertiâ hortatio ad justitiam, v. 16. & deinceps: quartâ prophetia de vocacione gentium, v. 20. & seqq.

## DE PRIMA PARTE.

Hæc pars constat membris decem. Ea sunt: (1) causa antecedens illorum beneficiorum quæ Deus Hierosolymitanis promittit, (2) beneficium primum, (3) beneficium secundum, (4) beneficium tertium, (5) beneficium quartum, (6) prolepsis, (7) beneficium quintum, (8) beneficium sextum, (9) beneficium septimum. (10) beneficium octavum. Causa antecedens quæ Deum movit ad beneficia ista in Hierosolymitanos conferenda, fuit zelotypia ipsius, v. 2. Beneficium primum est cohabitatio, v. 3. ibi, *Et habitabo in medio Hierosolymæ.* Secundum beneficium est Hierosolymitanorum integritas & sanctitas, v. eodem. ibi, *Et vocabitur Hierosolyma civitas veritatis &c.* Tertium beneficium est longævitas: quæ illustratur ex longævorum adjunctis duobus: sessione in plateis, & prehensione scipionis, v. 4. Quartum beneficium est copia parvulorum: quæ illustratur distributione ex adjuncto sexu, & ex facto quodam, videlicet lusu in plateis, v. 5. Prolepsis est contra opinionem impossibilitatis. Objectio: Impossibile nobis videtur, Hierosoly-

mam ita in integrum restitutum iri: Ergo non fiet. Respondet Dominus per antithesin diverforum, Etsi vobis impossibile videtur: mihi tamen impossibile non videtur. quo ipso innuit, impossibilem non esse ipsi hanc Hierosolymæ restorationem, vers. 6. Quintum beneficium est liberatio captivorum Judæorum: quæ illustratur è subjectis locis unde liberandi sint, v. 7. Sextum beneficium est Judæorum illorum reductio Hierosolymam, v. 8. Septimum beneficium est eorundem habitatio in urbe Hierosolyma, ibidem. Octavum beneficium est federis redintegratio, ibidem: quæ amplificatur ab adjuncta sinceritate.

DE SECUNDA PARTE.

Hæc pars constat quatuor membris. Ea sunt: (1) hortatio ad continuandum reedificationem templi, (2) exprobratio reedificationis intermissæ, (3) argumentum hortationis ab eventu noxio, (4) argumentum hortationis ab eventu utili. Hortatio continetur versu 9. ibi, *Confirmant or manus vestre.* Item v. 13. & v. 15. ibi, *Ne timetote.* Exprobratio continetur eodem versu 9. ibi, *Ex quo die fundata est &c.* Eventus noxius, qui evênit ex reedificatione templi intermissa, narratur versu 10: per partes quatuor: quarum prima continetur ibi, *Merces hominis non efficiebatur:* secunda ibi, *Et merces jumentis nulla erat:* tertia ibi, *Et exeun- ti ac venienti nulla erat pax ab hoste:* quarta ibi, *Sed dimittebam omnes homines, unumquemq; contra proximum ejus.* Eventus utilis, qui continuantibus reedificationem templi eventurus sit, ipse quoq; per

per partes declaratur: quæ commemoratur tres: fertilitas terræ fruitio proventuum terræ & copia benedictionum divinarum. Fertilitas terræ indicatur versu 12. ibi, *Nam sementis &c.* Fruitio proventuum terræ indicatur eodem versu, ibi, *Deniq; faciam ut possideant &c.* Copia benedictionum divinarum indicatur versibus 13. 14. & 15. Illustratur autem à simili in contrariis.

## DE TERTIA PARTE.

Hæc pars constat tribus membris: ea sunt, (1) justitiæ declaratio per partes, (2) argumentum hortationis ab eventu noxio, (3) argumentum hortationis ab eventu utili. Justitia declaratur per partes quatuor: prima ibi, *Loquimini veritatem &c.* Secunda ibi, *Veritatis & pacis jus dicite &c.* ψ. 16. Tertia ibi, *Et alter malum alterius &c.* Quarta ibi, *Et juramentum falsum &c.* ψ. 17. Argumentum ab eventu noxio, nisi justitiæ operam dede- rint, continetur eodem versu 17. ibi, *Nam omnia hæc sunt quæ odi &c.* Argumentum ab eventu utili, continetur versu 19. illustratum à contrario: quatenus gaudio & lætitiæ atque solennitatibus hilaribus opponuntur jejunia ante id tempus à Judæis celebrari solita.

## DE QUARTA PARTE.

Vocatio gentium amplificatur ab adjuncta multitudine, ψ. 20. & seqq. Constat autem hæc pars quatuor membris. Ea sunt: (1) loca, (2) modus agendi, (3) adjunctæ linguæ seu dialecti, (4) causa procatartica. Loca unde gentes ad populum Dei venturæ sint, dicuntur esse civitates, ψ. 20. Modus agendi quem in veniendo adhibi-

turæ sint, indicatur duplex: unus, cohortatio mutua inter ipsas, *ψ. 21*: alter, petitio comitatus Judæorum, *vers. 23*. Linguae seu dialecti illarum gentium dicuntur esse omnes linguæ, *ψ. 23*. Causa procatartica quæ illas motura est ut sese populo Dei aggregent, indicatur *ψ. 23*. in fine, ibi, *Quia audivimus Deum esse vobiscum.*

## SCHOLIA IN CAP. VIII.

ψ. I.

**D**Einde] *Hebr. Et. Fuit] Verto, Factum est. Et suppleo, ad me.*

2 Zelotypus fui Tzijonis] *Id est, Ad vindicandum Tsijonem ab ignominia excandui in eos qui ipsam ignominia afficiebant, nempe in Babylonios. Et excandescentiâ &c.] Epexegetis. Tzijonis] Id est, urbis Hierosolymæ. Metonymia subjecti. nam in monte Tsijone Hierosolyma sita erat. Hæc expositio confirmatur tum ex pronomine affixo in fine versus, quod est generis feminini, tum ex versu sequente.*

3 Habito] *Verto, habitabo. Ut vocetur] Hebr. Et vocabitur. Urbs Jeruschalaimorum] Verto, Hierosolyma: ut supra cap. 7. v. 7. Civitas veritatis] In qua habitabunt amantes veritatis. Genitivus adjuncti. Mons sanctitatis] In quo habitabunt amantes sanctitatis. Genitivus qualis modò. Habens quisque &c.] *Heb. Et scipio cujusq; erit in manu ejus. Præ multitudine dierum] Malim, Propter multitudinem dierum. Scil. vitæ suæ. Id est, Propter senectutem. Periphrasis.**

6 Mirabile est] *Suppleo, hoc: nempe hoc quod modò dixi. Mirabile est in oculis reliquiarum] Id est, Impossibile videtur reliquiis. Metonymia effecti: qualis Genes. 18. v. 14. Et verbum illud Hebraicum Lucas reddidit verbo ἀδυνατεῖν, Luc. 1. v. 37.*

7 E terra Orientis &c.] *Id est, Ex toto terrarum orbe. Synecdoche. nam ex quatuor orbis terrarum plagis duæ tantum hic nominantur. Orientis] Hebr. Ortus. Scil. solis. Hypozeugma. Occasus] Hebr. Introitus. Vide Psal. 19. v. 6.*

8 Et reducturus &c.] *Hebr. Et adducam eos, & habitabunt. Jeruscha-*

Jeruschalaimis] *Hebr.* In medio Jeruschalaimi. Populus] *Heb.* In populum. Sic mox, In deum.

9 Prophetarum ipsorum] *Pronomen* Ipsorum elegantius abesset. In Hebræo est articulus, quo notantur propheta Domini. Ex quo die &c.] *Hebr.* Quod die quo fundata fuit domus Jehovæ exercituum, templum fuit ad edificandum. Id est, debuit edificari. Quod] *Hebr.* רשן.

10 Ante dies hos] *Scil.* quibus resumta est readificatio templi. Merces hominis] *Quæ* homini pro labore ejus dabatur. Genitivus subjecti. Intelligitur autem homo Judæus, per synecdochen generis. Non efficiebatur] *Id est*, non reddebatur ei utilis. *Synecdoche* generis. Confer Hag. 1. vers. 6. Merces jumentis] *Quæ* dabatur pro usu jumentis. Genitivus subjecti: qualis modò. Nulla erat] *Id est*, nihil juvabat. *Metaphora*. Egredienti] *Ver-*to, Venienti. Sed] *Hebr.* Et. Committebam &c.] *Ver-*to, Dimittebam omnes homines, unumquemq; contra proximum ejus. Rursum autem nomine hominum intelligendi sunt Judæi.

11 Non sum ego] *Ver-*to, Non ero. Ita ut nulla sit ellipsis: & pronomen אני positum sit loco verbi substantivi: idq; ex more lingue. Non ero reliquiis] *Id est*, Non talem me exhibebo erga reliquias: nempe severum castigatorem. Ut diebus illis prioribus] *Quibus* intermissa fuit readificatio templi.

12 Nam] *Hebr.* Sed. כי pro אם. Sementis pacis est] *Pro* Est suppleo Erit: & sic deinceps pro verbis presentis temporis repono verba futuri temporis: puta, edet, edent, faciam. His enim verbis continentur promissiones. *Ver-*to autem hîc, Sementis prosperabitur: Die saat wirdt wol geraathen. Nam vocabulo pacis passim significatur prosperitas. Edit] *Ver-*to, edet. *Hebr.* Dabit. Sic mox iterum. Edunt] *Ver-*to, edent. *Hebr.* Dabunt. Deniq;] *Hebr.* Et. Facio] *Ver-*to, Faciam.

13 Eritque] *Ver-*to, Et fiet. His verbis continetur precisio, qua enumerationi specierum subjicitur genus. Itaq; precedentia quoq; reddi debuerunt per verba temporis futuri. Maledictioni] *Ex* hac versione apparet, nostros hîc ante voces קללה & ברכה supplere literam ב, id est, præpositionem In. Sed mihi videtur *ἐμπαλινώτερον*, si voces istæ accipiantur in nominativo, ac proinde absq; ellipsi illa: ut sensus sit, Fuistis maledictio: id est,

omnis generis maledictione obruti. Item, Eritis benedictio: id est, omni benedictionis genere repleti. Per metonymiam formæ hyperbolicam: qualis etiam habetur Genes. 12. v. 2.

14 Fervescissent] Id est, exacerbassent.

15 Conversus cogito] Vel, Rursus cogito. Hebr. Reversus sum, cogitavi.

16 Hæ sunt res] Hebr. Hæc sunt verba. Facturi estis] Verto, Facere debetis. Hebr. Facietis. Alter cum altero] Hebr. Vir cum proximo suo. Veritatis &c.] Verto, Judicium verum & pacificum pronuntiate. Hebr. Veritatis & judicium pacis judicate. Trajectio: & genitivus prior adjuncti, posterior effecti.

17 Alter malum alterius] Hebr. Vir malum proximi sui. Ne cogitetis] Vel. Ne cogitatote. Sic mox, Ne amatote. Cum animo vestro] Hebr. In corde vestro. Fallum] Hebr. Falsitatis. Genitivus adjuncti. Quæ odi] Id est, talia ut oderim ea.

18 Fuit igitur] Verto, Amplius factum est verbum Jehovahæ ad me, dicendo. Hebr. Et factum est &c.

19 Jcjunii quarti mensis] Quo mense urbs Hierosolyma à Chaldeis perrupta fuit, Jerem. 52. v. 6. & 7. Quinti] Vide supra cap. 7. vers. 3. Septimi] Vide supra cap. 7. vers. 5. Decimi] Quo Chaldei Hierosolymam cœperunt obsidere, Jerem. 52 v. 4. Domui] Familia, tribui. Gaudio & lætitiæ] Hebr. In gaudium & in lætitiã. Hilares] Hebr. Bonas. Synecdoche generis. Sed] Vel, Tantummodo. Hebr. Et. Sensus est, Si modò veritatem & pacem amabitis.

20 Erit quum venient] Verto, Fiet ut veniant.

21 Abibunt &c.] Hebr. Ibunt habitatores unius ad alteram. Indefinenter] Vel, alacriter: vel, diligenter. Hebr. Eundo. Eam] Malim, Ibo. Ut non sit hortantis, sed indicantis.

22 Ita] Hebr. Et.

23 Erit diebus illis &c.] Verto, Diebus illis fiet utprehendant &c. Homines] Vel, Viri. Prehendent inquam] Hebr. Et prehendent. Alam] Nempe alam vestis. Audimus] Verto, Audivimus. Deum esse vobiscum] Hebr.

Quòd Deus est vobiscum.

OBSER-

OBSERVAT. EX CAP. VIII.

**E**X vers. 2. Ecclesia Deo chara est: ac proinde de ulciscitur eos qui illam violant. 1.  
Ecclesia.

Ex versu 3. & seqq. usque ad 20. In Hierosolymitanis è Babylonia reversis proponitur exemplum singularis ac multiplicis beneficentiæ Dei. 2.  
Beneficentiæ  
Dei.

Ex v. 4. Longævitas est beneficium Dei. 3.  
Longævitas.

Ex v. 5. Copia parvulorum in plateis ludentium, est beneficium Dei. 4.  
Parvuli.

Ex versu 6. notetur testimonium de omnipotentia Dei. 5.  
Omnipotē-  
tia Dei.

Ex v. 10. In populo Judaico è Babylonia reverso proponitur exemplum punitæ negligentiae in instaurando cultu Dei. 6.  
Cultus Dei.

Ex v. 11. & seqq. usq; ad 16. Qui diligenter elaborant in instaurando cultu Dei, eos manet Dei benedictio. 7.  
Cultus Dei.

Ex v. 16. & 17. notentur aliquot species justitiæ, quibus operam dare debemus. 8.  
Justitia.

Ex v. 19. In populo Judaico è captivitate Babylonica reverso proponitur exemplum vicissitudinis rerum humanarum: qua fit ut ex gubernatione Dei hominib. nunc contristari, nunc lætari contingat. Vide Eccles. 3. v. 1. & deinceps. 9.  
Vicissitudo  
rerum hu-  
manarum.

Ex v. 20. & seqq. notetur illustre testimonium de vocatione gentium. Quæ prophetia quum jam pridem impleri cœperit, & adhuc quotidie impleatur: perspicitur hinc Dei veracitas, & scripturæ propheticæ autoritas. 10.  
Vocatio  
gentium.

~~~~~

CAPUT IX.

**P**rophetia onerosa est verbi Jehovæ in terram circumstantem te, & Damascus requies erit illius: quia Jehovæ est oculus spe-

*Etator* hominum, ut omnium tribuum Jisraëlis.

2 Quin etiam Chamathā terminabit illā; Tyrū & Tzidonem, quamvis sapiens sit valde.

3 Et ædificaverit Tytus munitiōnem sibi; coacervaveritque argentum quasi pulverem, & effossum *aurum* quasi lutum platearum.

4 Ecce Dominus expellet eā, & percutiens *deturbabit* in mare præmunitionem ejus; & ipsa igne absumetur.

5 Videns Aschkelon timebit, & Hazza dolebit quoque valde; etiam Hekron, quod pudfecerit *ipsam* exspectatio sua: peribitque rex è Hazza, & Aschkelon non permanebit:

6 Et habitabit nothus Aschdodi, denique excindam fastum Pelischthæorum.

7 Quumque amovero cædes ejusque ab ore ipsius, & detestationes ejus è dentibus ejus, relinquetur etiā ipse deo nostro; ut sit tamquam dux in Jehuda, & Hekron ut Jebusæus:

8 Et castra habebō ad domum meam propter exercitum, propter transeuntes, & propter redeuntes, ut non pervadat eos ampliùs exactor: quia jam visum est mihi in oculis meis.

9 Exsulta valde filia Tzisionis, clange filia Jeruschalaimorum, ecce rex tuus advenit tibi, justus & salute præditus est; pauper, & insidens asino, idque pullo nato asinabus.

10 Nam excindam currus ex

Ephrajimo, & equos è Jeruschalaimis, excindetur etiam arcus bellicus, pacemque eloquetur gentibus; & dominatus ejus à mari uno ad alterum, & à flumine usque ad fines terræ *protendetur*.

11 Tu autem infecta sanguine federis tui, emisi vinctos tuos è cisterna, in qua nullæ sunt aquæ:

12 Reverimini ad munitiōnem, vincti sperantes: tum illo die, quod indico duplum, restitutam tibi:

13 Quum tetendero mihi Jehudam, arcum implevero Ephrajimo, & excitavero filios tuos, o Tzizon, contra filios tuos, o Javan; disponens te tamquam gladium potentis.

14 Nam Jehova contra hos conspicuus erit, prodeunte velut fulgure sagitta ejus: & Dominus Jehovi buccinā clangent, & progredietur procellis meridianis.

15 Jehova exercituum proteget illos; ut comedant, postquam subegerint lapides fundæ, & bibant strepentes quasi vino; implebuntque tum cratera, tum angulos altaris.

16 Denique servabit eos Jehova deus ipsorum die illa, tamquam gregem populi sui; quam lapides coronarii pro vexillis erunt in terra illius.

17 Nam quantum erit bonum ejus? & quanta pulchritudo ejus? Frumentum juvenes, & mustum facundas faciet virgines.

ANALY.



## ANALYSIS CAP. IX.

**C**apite hoc continentur prophetiæ quatuor: quarum prima est de deletione hostium populi Dei, octo primis versibus: secunda de adventu Christi, à v. 9. usq; ad 13: tertia de protectione populi Judaici contra Græcos, à v. 13. usque ad 17: quarta de regno Christi, v. 17.

## DE PRIMA PROPHETIA.

Hostes delendi commemorantur quatuor: Syri Damasceni, Hamathæi, Tyrii atq; Sidonii, & Philistæi. Deletio cunctorum illorum significatur vocabulo oneris, v. 1. Syrorum deletio declaratur à causa antecedente quæ Deum ad illos delendos movit: ea fuit providentia ejus qua observavit impias illorum actiones: quæ observatio illustratur collatione parium, quòd sicut observat actiones Israëlitarum, ita etiam observet actiones omnium aliorum hominum, ac proinde etiam Syrorum. Hamathæorum deletio similiter declaratur à causa antecedente, v. 2. Tyriorum deletio declaratur tribus modis: (1) à causa antecedente, (2) à causa corrumpente, (3) à modo agendi. Causa antecedens indicatur versu 2. ubi dicitur, oculus Jehovæ Tyrum & Sidonem terminaturum requie illâ oneris. Causa corrumpens, quæ videbatur deletionem illam posse avertere, indicatur triplex: (1) persuasio propriæ sapientiæ, v. 2. (2) munitio, v. 3. (3) opes: quæ amplificantur similibus duobus, versu eodem. Modus agendi quo Dominus in delenda urbe Tyro usus sit, indicatur versu 4. Philistæorum deletio declaratur sex modis: (1) enumeratione

partium, (2) ab adjunctis, (3) à modo agendi, (4) à causis procatarticis, (5) ab eventu, (6) a contrario. Partes, nempe urbes delendæ, indicantur quatuor: Aſcalon, Gaza, Ekron, & Azotum Adjuncta antecedentia illius deletionis indicantur tria: nempe Philistæorum timor, dolor ac pudefactio, *ψ. 5.* Modus agendi quo Deus in delendis Philistæis usus erat, indicatur versu 5. & 6. Causæ procatarticæ quæ Deum ad delendum Philistæos moverunt indicantur tres: (1) fastus *ψ. 6.* (2) cædes, *ψ. 7.* (3) idololatria, ibidem. Eventus istius deletionis fuit aggregatio reliquiarum ad populum Dei, *ψ. 7.* ibi, *Relinquetur etiam ipse &c.* Contraria isti deletioni fuit protectio Judæorum, quæ illustratur à causa antecedente, videl. gratiâ atq; misericordiâ Dei, *ψ. 8.*

#### DE SECUNDA PROPHEZIA.

Prophetia de adventu Christi constat membris sex. Ea sunt: (1) eventus, (2) descriptio Christi, (3) contrarium, (4) officium Christi, (5) *πρόβλημα* seu corollarium, (6) beneficia Christi. Eventus adventus Christi fuit lætitia ecclesiæ Judaicæ: quæ hîc indicatur sub specie hortationis, vers. 9. Christus describitur è quinque argumentis, versu eodem: videl. (1) ab adjuncta dignitate regia, (2) ab adjuncta justitia, (3) ab adjuncta facultate salvandi, (4) ab adjuncta paupertate, (5) à subiecto jumento quo vectus introit Hierosolymam, nempe pullo asinæ. Contraria huic adventui fuit amotio belli à Judæa: quæ amplificatur commemoratione instrumentorum bellicorum trium; puta curruum, equorum, & arcuum, *ψ. 10.* Officium

cium

eium Christi indicatur triplex: (1) propheticum, ibi, *Pacem eloquetur gentibus*, v. 10. (2) regium, ibi, *Et dominatus ejus &c.* versu eodem: (3) sacerdotale: quod declaratur v. 11. ex tribus argumentis, videl. ex modo agendi, ex fine, & ex effectu. Modus agendi positus fuit in oblatione proprii sanguinis: finis fuit confirmatio federis inter Deum & electos: effectus fuit, & est, liberatio à vinculis peccati & potestatis Diaboli. *πρόεισμα* seu corollarium, quod ex ista prophetia deducitur, est hortatio ad pios Judæos ut ad gratiam Christi confugiant, v. 12. ibi, *Revertimini ad munitionem.* Beneficia Christi quæ in pios Judæos ad gratiam ipsius confugientes collaturus erat, amplificantur ab adjuncta magnitudine per collationem cum beneficiis antegressis tanquam minoribus, ibi, *Tum illo die indicabo duplum &c.* versu eodem.

## DE TERTIA PROPHEZIA.

Protectio Judæorum contra Græcos declaratur tribus modis: (1) à modo agendi, (2) ab eventis, (3) à causa antecedente. Modus agendi consistit in pugna Judæorum contra Græcos: quæ pugna primùm amplificatur, deinde illustratur. Amplificatur similibus: quatenus Judæi comparantur instrumentis bellicis, quibus Deus in illa pugna usus sit: puta arcui, sagittis, & gladio, v. 13. Illustratur illa pugna item similibus: quatenus sagittæ Dei comparantur fulguri, & hostilis invasio ejus tempestati impetuosa, v. 14. Eventa istius protectionis Judæorum indicantur quatuor: (1) victoria contra Græcos, ibi, *Postquam subegerint lapides fundæ*, v. 15. (2) fruitio hilaris cibi &

Z

potus: ibi, *Ut comedant & bibant &c.* versu eodem. (3) oblatio sacrificiorum eucharisticorum, ibi, *Impl. buntq, tum cratera &c.* versu eodem. (4) trophæa seu signa victoriæ, ibi, *Quum lapides coronarii &c.* versu 16. Causa antecedens quæ Deum ad hanc Judæorum protectionem movit, fuit cura ejus paterna pro illis, quæ significatur simili curæ pastoralis, ibi, *Servabit eos tanquam gregem populi sui,* versu eodem.

## DE QUARTA PROPHETIA.

Regnum Christi in primo ejus adventu declaratur ex adjuncta populi Dei felicitate: quæ amplificatur duobus modis: (1) ab adjuncta magnitudine, ibi, *Nam quantum erit bonum ejus? & quanta pulchritudo ejus? &c.* 17. (2) à partibus: quæ indicantur duæ, pulchritudo & eloquentia spiritalis, nempe sermones disertis de rebus divinis, puta de mysteriis regni cælorum. Quæ eloquentia amplificatur à subjectis, puta personis teneræ ætatis, & illustratur simili, quatenus comparatur eloquentiæ quæ manat ex liberali fruitione panis & vini, versu eodem.

## SCHOLIA IN CAP. IX.

[V. I. **P**rophetia &c.] *Verto, Onus verbi Jehovæ de terra Hadrach, quod requiescet in Damasco. Onus verbi] Id est, Verbum quod est veluti onus: quia annuntiat res molestas: vel, Verbum de onere, hoc est, de molestis quæ prement terram Hadrach. Terra Hadrach] Hæc videtur esse periphrasis Syriae, quia mox fit mentio Damasci, quæ fuit Syriae metropolis: et si interim nõ liquet, quanam sit appellationis illius ratio. Quod nostri reddiderunt, terram circumstantem te, coactum videtur: nec video quid sequuti sint: quum ista versio aliena sit à significatione nominis הדרח, quo significatur decor. Et insolens est, titulis prophetiarum inseri עש קאן הט יז.*

φώνησι. Quæ μεσοφώνησις eò minus huc quadrat, quodd non exprimitur nomen illius ad quem dirigitur. De terra] Prepositionem & hîc accipio pro De, &: quia indicatur objectum prophetiæ hujus. Quod requiescet in Damasco] Hebr. Et Damascus requies illius (scil. oneris) erit. Id est, locus quietis. Metonymia adjuncti. Jehovæ est oculus] Id est, Jehova habet oculum. Vox Jehovæ est dativi casus. Oculus spectator hominum] Scil. aliorum: ex collatione membri sequentis. Cæterum in Hebræo nulla hîc est ellipsis: sed dicitur oculus hominum, oculus qui spectat & observat homines. Genitivus objecti. Per oculum autem Jehovæ intelligitur ejus providentia & cura rerum humanarum, per ἀσπαστοπάθειαν: ut supra cap. 3. versu 9. & cap. 4. versu 10. Ut] Hebr. Et.

2 Chamatham] Nomen urbis. Terminabit] Scil. oculus ille Jehovæ, ex versu præcedente. Illâ] Nempe illâ requie oneris, cujus ibidem facta mentio. Quamvis] Hebr. Sapiens sit] Vel, sapientes sint. Hebr. Sipientia sit eis. Vide Ezech. 28. v. 3.

3 Et ædificaverit] Verto, Nam ædificavit. Hebr. Et ædificavit. Sic mox, Coacervavit. Tyrus] Id est, Tyrii. Metonymia subjecti.

4 Dominus] Hebr. Adonái. Percutiens deturbabit] Hebr. Percutiet. Ellipsis verbi relati. Absumetur] Hebr. Comedetur.

5 Videns &c.] Hebr. Videbit & timebit. Aschkelon] Nomen urbis in Philistæa: sicut & reliqua hoc versu & sequente. Hazza] Vulgo Gaza. Dolebit quoq;] Hebr. Et dolebit. Etiam] Hebr. Et. Permanebit] Hebr. Sedebit.

6 Nothus] Spurius: nempe extraneus aliquis. Habitabit] Nempe ut dominus. Deniq;] Hebr. Et.

7 Quumq; amovero &c.] Hebr. Et amovebo &c. & relinquetur &c. Cædes] Hebr. Sanguines. Metonymia objecti, vel effecti: diverso respectu. Cujusque] Scil. Philistæorum. Hebr. Ejus. Ab ore] Id est, à sermone: ita ut non amplius sermonem cum sociis conferat de cædibus perpetrandis. Metonymia efficientis. Detestationes] Res detestabiles, puta idola. E dentibus] Id est, à sermone. Metonymia qualis modo. Hebr. Ab inter dentes. Ut sit] Hebr. Et erit. Tanquam dux &c.] Id est, exaltabuntur in po-

pulo Dei. Hekron ut Jebusæus] *Id est, Hekronite suscipientur in populum Dei, sicut olim Jebusæi: ut testatur exemplum Arauna, 2. Sam. 24. v. 16. & deinceps.*

8 Habebo] *Vel, metabo. Ad] Apud, vel, circa. Domum meam] Ecclesiam. Propter exercitum] Nempe hostilem: ne scilicet invadat domum meam. Propter transeuntes &c.] Epexegetis. Heb. Propter transeuntem & propter redeuntem. Ut non pervadat] Hebr. Et non pervadet. Visum est mihi in oculis meis] Verto, Aspexi illam oculis meis. Nempe domum meam: id est, Ecclesiam. Oculis] Nempe benevolis.*

9 Filia Tzizonis] *Popule Hierosolymitane. Sic mox, Filia Hierosolymæ. Clange] Verto, Vociferare. Nempe latâ voce. Jauchse. In qua significatione vox ista passim occurrit. Rex tuus] Christus. Tibi] Tuo bono, ad salutem tuam. Infidens asino] Hebr. Equitans super asino. Idque pullo] Verto, Nempe pullo. Heb. Et super pullo. Nato asinabus] Verto, Currente apud asinas: nempe apud duas asinas uno jugo conjugatas. Heb. Filio asinarum. In hanc sententiam phrasin istam exponit Matthæus cap. 21. v. 5. ubi hæc verba reddit ἵδὼν ἄσινους, scilicet ὄντας: id est, filium subjugis asinæ.*

10 Nam] *Hebr. Et. Currus] Vox Hebræa est numeri singularis: sed usurpatur collectivè. Ex Ephrajimo] Ex tribu Ephrajimitarum: id est, ex decem tribubus. Metonymia efficientis, & synecdoche membri. Equos] Hebr. Equum. E Jeruschalaimis] Id est, ex tribu Judæ. Synecdoche membri. Exscindetur etiam] Hebr. Et exscindetur. Bellicus] Hebr. Belli. Genitivus objecti. Pacem] Reconciliationem cum Deo. Synecdoche generis. Eloquetur] Per prædicationem Evangelii. A mari uno ad alterum] Hebr. A mari ad mare. A flumine] Euphrate.*

11 Tu autem &c.] *Verto, Ad te autem quod attinet, quæ in sanguine federis tui manes. Nominativus absolutè positus. Alloquitur autem populum electum tanquam mulierem: sicut antea nominaverat filiam Tzizonis, & filiam Hierosolymæ, v. 9. In sanguine federis tui] Id est, in federe quod Deus tecum pepigit, & sanguine Christi confirmaturus est. Hypallage. Vincit tuos] Nempe vincit vinculis peccati: sicut Judæi vinciti erant captivitate corporali in Babylonia. E cisterna &c.] Id est, è potestate Diaboli,*

Diaboli, sub qua fuisset eis contabescendum siti spirituali, nempe ex sensu ira Dei.

12 Ad munitionem] Ad ecclesiam Christianam: sicut olim Judæi ad urbem Hierosolymam. Vinciti sperantes] Nempe sperantes liberationem à vinculis. Heb. Vinciti spei. Genitivus objecti. Tum] Verto, Atque etiam. Quod indico &c.] Verto, Indicabo duplum, & restituum tibi. Duplum] Id est, longè majora beneficia quàm fuit liberatio è captivitate Babylonica: nempe beneficia spiritualia, remissionem peccatorum, renovationem per Spiritum sanctum, & vitam eternam.

13 Quum tetendero] Vel, Nam tetendi. Et sic deinceps, Implevi, excitavi, disposui. Tetendi: Scil. tanquam arcum. Heb. Calcavi. Synecdoche membri metonymica, quâ unâ cum effectu destinato intelligitur finis. Implevi Ephrajimo] Scil. tanquam sagittis. Contra filios tuos] Apostrophe. O Javan] Id est, O Græcia. Id quod percipitur ex præcedente pronomine affixo: quod est generis fæminini. Intelligit autem Alexandrum Magnum, & successores illius, reges Asiæ & Syriæ: contra quos Deus Judæos mirabiliter tutatus est: ut videre est in libris Machabæorum, & in libris Josephi historiographi Judæi. Metonymia efficientis: nam ex Javane Græci orti sunt. Vide Genes. 10. vers. 4. Disponens te] Verto, Reddidi te. Hebr. Posui te. Te] Scil. Tsyionem. Potentis] Malim, robusti.

14 Nam] Hebr. Et. Contra hos] Nempe Græcos. Vel, Super eis: nempe Judæa & Ephrajimo. Quæ versio confirmatur ex collatione versus sequentis. Prodeunte &c.] Epexegetis. Hebr. Et exhibit &c. Procellis meridianis] Verto, Ut procellæ meridiana. Id est, cum magno impetu. Litera 2 videtur hîc posita pro 3: ut alibi passim. Meridianis] Hebr. Meridiei. Genitivus subjecti.

15 Proteget illos] Nempe Judæos. Ut comedant] Hebr. Et comedent. Comedent & bibent] Id est, fruuntur bonis suis cum lætitia & in pace. Synecdoche membri. Postquam subegerint] Hebr. Et subigent. Lapidés fundæ] Id est, hostes qui in ipsos conjecerant lapides fundæ. Metonymia adjuncti. Implebuntque tum cratera &c.] Id est, gratias Deo agent pro victo-

ria. Metaphora à sacrificiis eucharisticis: quorum sanguine implebatur crater, & effundebatur in angulos altaris.

16 Denique] Hebr. Et. Quum] Vel, Nam. Coronarii] Sive, coronati. Id est, epistylis ornati. Hebr. Coronamenti. Genitivus adjuncti. Pro vexillis erunt] Id est, pro trophæis. Hebr. Vexillabunt. Terra] Hebr. humo. Illius] Scil. populi Judaici.

17 Bonum] Felicitas. Ejus] Populi Judaici. Juvenes] Scil. facundos faciet. Hypozeugma. Facundas faciet] Hebr. Faciet ut abundè proferant proventum. Scil. labiorum: ut loquitur Esaias cap. 57. v. 19. aliàs 23.

## OBSERVAT. EX CAP. IX.

1.  
Providentia Dei.

EX v. 1. notetur testimonium de providentia Dei.

2.  
Sapientia humana.  
Munitio-  
nes. Opes.

Ex v. 2. 3. & 4. Sapientiâ humanâ, munitio-  
bus, & opibus, non est confidendum.

3.  
Impii.

Ex v. 5. Ex animadversa aliorum ultione divi-  
na concipiunt quidem homines impii timorem  
ac dolorem, metuentes scil. ne ipsis quoq; idem  
eveniat: sed interim non convertuntur ad De-  
um, ut vindictam commertitam avertant.

4.  
Fastus.  
Cædes.  
Idololatria.

Ex v. 6. & 7. Cavendus est fastus: item cædes  
& idololatria: quia Deus propter ista peccata  
Philistæos perdidit.

5.  
Vocatio  
gentium.

Ex v. 7. notetur testimonium de vocatione  
gentium.

6.  
Ecclesia.

Ex v. 8. Deus Ecclesiam tuetur contra hostes,  
idq; ex gratia.

7.  
Jesum esse  
Christum.

Ex v. 9. notetur pars argumenti quo demon-  
stratur, Jesum illum Nazarenum, Mariæ virginis  
filium, esse Christum seu Messiam: quia scil. in il-  
lo impleta est hæc prophetia de introitu Christi  
solenni in urbem Hierosolymam.

Ex eo-



Ex eod. v. notetur, regnum Christi non esse mundanum: quia in mundo vixit pauper, & humili gestu introiit, tanquam rex, in urbem Hierosolymam.

8.  
Regnum  
Christi.

Ex eodem versu notetur officium Christi in genere, quod scilicet est salvator populi sui, id est electorum.

9.  
Officium  
Christi.

Ex v. 10. & 13. notetur officium Christi triplex: propheticum, regium, & sacerdotale.

10.  
Officium  
Christi.

Ex v. 10. ex verbis, *Pacem eloquetur gentibus.* Officium Christi propheticum constitit potissimum in prædicatione Evangelii.

11.  
Officium  
Christi pro-  
pheticum.

Ex eodem versu, ex verbis, *Dominatus ejus &c.* Regnum Christi patet per totum terrarum orbem. Vide Apoc. 5. v. 9. & 10.

12.  
Regnum  
Christi.

Ex v. 11. Sacerdotii Christi pars posita fuit in effusione sanguinis: quâ effusione confirmatum fuit fedus gratiæ quod Deus pepigit cum electis, eisdemq; impetrata liberatio à vinculis peccati & potestatis Diaboli.

13.  
Sacerdotiū  
Christi.

Ex v. 12. Qui frui cupiunt beneficiis Christi, necesse est ut ad gratiam ipsius confugiant, ex verbis, *Revertimini admunitionem.*

14.  
Beneficia  
Christi.

Ex eodem versu, ex verbis, *Indicabo duplum &c.* Beneficia spiritualia quæ Christus in Novo Testamento electis tribuit, beneficiis corporalibus, quibus populum Israëliticum in Veteri Testamento affecit, longè majora sunt.

15.  
Beneficia  
Christi.

Ex v. 13. 14. 15. & 16. In Judæis contra Græcos à Deo protectis atq; defensis proponitur exemplum curæ Dei pro ecclesia.

16.  
Ecclesia.

Ex v. 17. Cives regni Christi ineffabili fruuntur felicitate.

CAPUT X.

**P**etite à Jehova pluviam tempore serotinae, Jehova efficiente nimbos; & pluviam imbriferam est editurus eis, cuique herbam in agro suo.

2 Nam imagines loquuntur vanitatē, & divini vident falsum, & somnia vana loquuntur, vanitate consolantur: idcirco proficiscentes velut grex, testificati sunt nullum fuisse pastorem.

3 Contra pastores istos accēsa est ira mea, & in istos hircos animadverti: nam visitavit Jehova exercituum gregem suum, domum Jehudæ, & disposuit illos velut equum decōris sui in bello.

4 Ab ipso fuit angulus, ab ipso clavus, ab ipso arcus bellicus; ab ipso processit omnis exactor pariter:

5 Fueruntq; similes potentibus conculcantibus lutum platearum in bello, quum præliabantur, quia Jehova cum ipsis erat; & pudecerunt eos qui infidebant equis.

6 Corroborabo autem domū Jehudæ, & domum Josephi servabo, & tranquillè collocabo eos, quia misereor eorum, eruntque ac

si non abjecissem eos: quia ego sum Jehova deus eorum, & exaudiam eos.

7 Eruntque similes potenti Ephrajimitæ, & lætabitur animus eorum quasi vino; & filii eorum videntes lætabuntur, exultabit animus eorum in Jehova.

8 Sibilans ad eos congregabo eos, quum redimam eos: & multiplicabuntur sicut multiplicati fuerant:

9 Et diseminabo eos in populos, ut in longinquis locis recorderentur mei; & viventes cum filiis suis revertentur.

10 Ita reducā eos è terra Ægypti, & ab Assyria congregabo eos; & in terram Gilhadis, Libanique adducam eos, & non sufficiet eis.

11 Quamobrem transiens per mare angustia, percutiet in mari fluctus, arescentq; omnia profunda rivi; & dejicietur fastus Assyriæ, sceptrumque Ægypti amovebitur.

12 Roborabo autem illos in Jehova, ut in nomine ejus continenter ambulent; dictum Jehovæ.

A N A L Y S I S C A P. X.

**D**uo hinc agit propheta. Primùm hortatur populum ad petendum à Deo pluviam, duobus primis versibus: deinde promittit eis protectionem Dei & victoriam, contra hostes.

DE PRI-

## DE PRIMA PARTE.

Hortatio illa tractatur tribus modis: nam partim confirmatur, partim illustratur. Confirmatur (1) à causa procreante: pluviam petendam esse à Jehova, quia Jehova is sit qui efficiat pluviam, *ψ. 1.* (2) ab eventu utili: quia petentibus pluviam herbiferam daturus sit Jehova, ibidem. Illustratur autem ista hortatio à contrario, quatenus monet ne pluviam petant ab idolis & hariolis. Quæ monitio non exprimitur: sed innuitur recitatione argumentorum: quæ afferuntur duo: utrumque petitum ab eventu inutili. Primum: quia idola & harioli pluviam dare non possint; alterum, quia propter cultum idolorum captivi abducti fuerint, *ψ. 2.*

## DE SECUNDA PARTE.

Hujus promissionis propositio constat sex membris. Ea sunt: (1) contrarium quoddam, (2) simile, (3) eventa, (4) modus agendi, (5) causa antecedens, (6) contrarium aliud. Contrarium illius protectionis fuit pœna Judæis antea illata, *ψ. 3.* ibi, *Contra pastores istos &c.* Simile quo protectio hæc illustratur, offertur duplex: nam comparatur illa primùm visitationi gregis, deinde adornationi equi bellici, versu eodem, ibi, *Sed visitabit &c.* Eventa istius protectionis commemorantur sex: (1) ædificatio turrium, *ψ. 4.* (2) fixio tenteriorum, ibidem: (3) tensio arcuum bellicorum, ibidem, (4) amotio exactorum, ibidem: (5) lætitia, *ψ. 7.*: (6) multiplicatio gentis, *ψ. 8. & 10.* Modus agendi quem Deus in hac protectione adhibiturus erat, indicatur per partes, versibus 5.

Z 5

8.10.11. & 12. Causa antecedens quæ Deum ad hanc protectionem Judæorum movit, fuit misericordia ejus, v. 6. ibi, *Quia misereor eorum*. Contrarium alterum istius protectionis, fuit dispersio Judæorum in populos, v. 9. Quæ declaratur partim ex fine seu causa finali, partim ex eventu, ibidem.

## SCHOLIA IN CAP. X.

v. 1.

**S**erotinæ] *Addo, pluvia. Nam vox Hebræa id significat. Jehovahâ efficiente] Verto, Nam Jehovah efficit. Nimbos] Alii, nubes imbriferas. Imbriferam] Hebr. Imbris. Editurus] Verto, daturus. Eis] Scil. qui ab eo petiverint. Cuiq;] Repete, daturus est. Suo] Verto, Ejus.*

2 *Imagines] Idola. Divini] Divinatores, harioli. Vident] Prophetant. Metonymia adjuncti. Vana] Hebr. Vanitatis. Genitivus adjuncti. Idcirco] Scil. quia istis crediderunt. Proficientes] Hebr. Profecti sunt. Nempe Judæi, in Babyloniam. Grex] Scil. ovium. Testificati sunt] Hebr. Responderunt. Nullum esse pastorem] Scil. sibi. Id est, nullum gubernatorem, nullum regem. Hebr. Quod non esset pastor.*

3 *Contra pastores istos] Id est, gubernatores populi Judæici. Est] Verto, Fuit. In istos hircos] Opulentos Judæos. Animadverti] Hebr. Visitavi. Scil. in ira. Nam visitavit] Verto, Sed visitabit. Scil. in gratia. Voculam ׀ accipio pro ׀: & verbum præteriti temporis pro futuro. Continetur enim his verbis promissio: ut percipitur ex collatione sequentium. Disposuit] Verto, Reddet. Hebr. Ponet. Decôris] Verto, magnificam. Hebr. Majestatis. Genitivus adjuncti.*

4 *Ab ipso] Verto, Ab ipsa. Scil. domo Jehuda: ex versu præcedente. Est quidem pronomem affixum generis masculini: sed refertur ad nomen ׀, i. e. domus: quod & ipsum generis masculini est. Hunc autem versum ita reddo: Ab ipsa ædificabuntur turres, ab ipsa infigentur clavi, ab ipsa tendentur arcus bellici: ab ipsa exhibunt omnes exactores pariter. Ubi observandum, in Hebræo nomina numeri singularis esse, quæ ponuntur collectivè: & ad tria priora*

priora deficere verba relata. Turres] Hebr. Angulus. Metonymia subjecti: qualis Soph. 1. v. 16. Clavi] Quibus eriguntur tentoria. Bellici] Hebr. Belli. Genitivus objecti.

5 Fueruntq;] Verto, Eruntq;: ut est in Hebraeo. Scil. Qui sunt de domo Juda. Similes potentibus] Malim, robustis. Hebr. Sicut robusti. Conculcantibus lutum] Verto, Conculcantibus hostes ut lutum. Ita ut כ positum sit pro כ: ut passim. Quum praeliabantur] Verto, Quum praeliabuntur. Erat] Suppleo, erit. Pudefecerunt] Verto, Pudefacient: ut est in Hebraeo. Eos qui infidebant equis] Verto, Infidebunt. Loquitur autem de hostibus Judæorum qui eos invasuri erant temporibus Machabeorum.

6 Corroborabo autem] Verto, Nam corroborabo. Hebr. Et corroborabo. Tranquillè collocabo] Verto, Iterum collocabo. Hebr. Collocabo & reducam: quod utrumq; significatur unicâ voce הַשִּׁיבוּתִי וְהוֹשִׁיבוּתִי: quæ composita est ex his duab. Misereor] Hebr. Misertus sum.

7 Eruntque &c.] Construo sic, Et Ephraimitæ erunt similes &c. Potenti] Malim, robusto. Hebr. Sicut robustus: nempe robustus aliquis bellator, heros, ein held. Ephraimitæ] Hebr. Ephraïm. Metonymia efficientis. Animus] Hebr. Cor. Sic deinceps. Videntes &c.] Hebr. Videbunt & letabuntur. In Jehova] Verto, Ob Jehovam: nempe ob protectionem illius.

8 Sibilans &c.] Hebr. Sibilabo eis & congregabo eos. Redimam] Hebr. Redemi.

9 Ut recordentur] Hebr. Et recordabuntur. Viventes &c.] Hebr. Vivent & revertentur.

10 Ita] Vel, Nam. Hebr. Et. Reducam eos è terra Ægypti &c.] Id est, Liberabo eos ab hostibus ipsorum, & introducam eos in calum: sicut olim liberavi patres eorum ex Ægypto & introduxi in terram Chanaan. Allegoria metaphorica. Sufficiet] Scil. locus. Confer sup. cap. 2. versu 8. Hebr. Invenietur. In qua significatione verbum istud reperitur etiam Jos. 17. versu 16. Num. 11. versu 22. Jud. 21. versu 14.

11 Quamobrem &c.] Verto, Et transibit per mare cum angustia, & percutiet &c. Transibit: Scil. Jehova, cujus mentio fit versu seq. Id est, Christus. Cum angustia] Ita ut mare reddat anxium: sicut olim fecit mari rubro. Vide Psal. 114. vers. 3. & dein-

ceps. Rivi] *Id est, Nili.* Sceptum] *Regnum, gubernatio. Metonymia adjuncti: qualis Genes. 49. v. 10.*

12 In Jehova] *Vel, Per Jehovah: nempe Christum.* Ut ambulent] *Hebr. Et ambulabunt.*

## OBSERVAT. EXCAP. X.

1.  
Pluvia.

EX  $\psi$ . 1. Pluvia frugifera datur à Deo: itaque ab illo petenda est.

2.  
Idola.

EX  $\psi$ . 2. notetur testimonium de vanitate idolorum, deq; pœna idololatriæ.

3.  
Falsi doctores.


EX eodem versu, ex verbis, *Divini vident falsum &c.* Cavendi falsi doctores.

4.  
Visitatio Dei.

EX  $\psi$ . 3. notetur, duplicem esse visitationem Dei: unam iræ, alteram gratiæ.

5.  
Beneficia Dei.

EX  $\psi$ . 6. ex verbis, *Quia misereor eorum.* Beneficia quæ Deus in Ecclesiam confert, proficiscuntur ex misericordia ejus.



## CAPUT XI.

A Peri Libane januas tuas, ut consumat ignis cedros tuas.

2 Ejula abies, quia corrui cedrus, quia magnifici vastantur: ejulate robora Baschanis, quia concidit silva vindemiæ.

3 Vox ejulatus pastorum, eò quòd vastetur magnificentia eorum: vox rugitus leonũ, eò quòd vastetur fastus Jardenis.

4 Sic ait Jehova deus meus; Pasce oves has interfectionis,

5 Quas possessores earum interficiunt, neque habentur rei, & eorum qui vendunt ipsas quisque dicit, Benedictus Jehova, quòd ditatus sim; & pascentium eas nemo clementiã utitur erga eas.

6 Nã non utar clementiã am-

plius erga habitatores hujus terræ, dictum Jehovah: sed ecce ego faciam ut p̄sto sint homines, alter in manu alterius & in manu regis sui; quibus contudentibus terram hanc, non eripiam e manu eorum.

7 Itaq; pavi oves interfectionis, vos, *inquam*, o pauperes gregis; & accipiens mihi duos baculos, quorum unum vocavi amœnitatis, & alterum vocavi devincientium, pavi oves illas.

8 Et excidi tres pastores mese uno: imminuto animo meo p̄pter illos, quòd etiam animus eorum coqueret *consilia* in me:

9 Et dixi, Non sum pasturus vos; quæ moritura est moriatur, & quæ

quæ excindenda est excindatur, & reliquæ comedant altera carnem alterius.

10 Itaque accipiens baculum meum, *baculum* jucunditatis, succidi ipsum; irritum faciendo fedus meum quod pepigeram cum omnibus populis istis.

11 Irritoq; facto die illa; agnoverunt recte pauperes illius gregis qui observabant me, verbum Jehovæ esse.

12 Dixeram enim illis, Si bonum videtur in oculis vestris, date mercedem meam; si minus, desistite: qui appenderunt mercedem meam, triginta argenteos.

13 Edixit autem Jehova mihi, Projice eos *conferendos* in figulum, magnificum pretium quo pretiosè æstimatus sum ab illis: ita accipiens illos triginta argenteos projecit eos in domum Jehovæ, *confe-*

*rendos* in figulum.

14 Postea succidi baculum meum secundum, *baculum* devincientium; irritam faciendo fraternitatem inter Jehudam & Jisraëlem.

15 Tandem edixit Jehova mihi, Amplius sume tibi instrumentum pastoris stulti.

16 Nam ecce ego suscitaturus sum pastorem in hac terra qui erraticas non visitabit, ætate teneram non requirit, & fractam non curabit; restituentem non portabit: sed carnem pinguioris comedet, & ungulas harum perumpet.

17 Væ pastori meo nihili, derelinqenti gregem; gladius imminet brachio ejus, & oculo dextero ejus: brachium ejus prorsus arefcet, & oculus dexter ejus omnino caligabit.

A N A L Y S I S C A P. XI.

**H**Oc capite continetur prophetia de vastatione Judææ per Romanos. Hujus prophetiæ membra principalia sunt tria: (1) simile, (2) eventus, (3) causæ procatarcticæ. Ad simile quod attinet, Judæa comparatur monti Libano, *ψ.1.* Urbes Judææ comparantur arboribus tum Libani, tum Basanis, *ψ.1. & 2.* Vastatio denique urbium comparatur combustioni arborum, *ψ.1:* item dejectioni, *ψ.2.* Eventus illius vastationis fuit ejulatus gubernatorum reipubl. *ψ.3.* Causæ procatarcticæ quæ Deum ad vastationem illam Judææ immittendam moverunt, indicantur tres: (1) oppressio tenuium, (2) ingratitude erga Christum prædicantem eis Evangelium, (3) perfidia

pastorum seu doctorum. Oppressio tenuium  
 (1) illustratur similibus, (2) declaratur ex eventu.  
 Similia afferuntur duo: nam oppressio illa com-  
 paratur primùm interfectioni, deinde venditio-  
 ni,  $\psi$ . 5. Eventus illius oppressionis fuit vindicta  
 Dei,  $\psi$ . 6. Prædicatio Christi significatur simili-  
 tudinis ovium,  $\psi$ . 4. & 7. Declaratur autem ex  
 modo agendi: qui indicatur duplex: (1) benigna  
 tractatio ovium, nempe fidelis institutio, signifi-  
 cata per duo symbola,  $\psi$ . 7. (2) convictio falsæ  
 doctrinæ scribarum & Phariseorum,  $\psi$ . 8. Ingra-  
 titudo autem erga hoc Christi beneficium signi-  
 ficatur & declaratur duobus modis: ex eventu, &  
 per speciem. Eventus fuit desertio Judæorum,  
 $\psi$ . 9. 10. 11. & 14. Quæ desertio declaratur tribus  
 modis: (1) per partes,  $\psi$ . 9. (2) per adjuncta sym-  
 bola,  $\psi$ . 10. & 14. (3) per eventum, nempe per ap-  
 probationem piorum,  $\psi$ . 11. Species ingrati-  
 tudinis illius fuit emtio Christi ad necem: quæ figu-  
 ratur per mercedem Zachariæ datam à Judæis  
 pro munere prophetandi: de qua mercede nar-  
 rantur quatuor: (1) postulatio illius,  $\psi$ . 12. (2) da-  
 tio, ibidem. (3) querela de exiguitate,  $\psi$ . 13. (4) ab-  
 jectio, ibid. Atque hæc de ingratitude Judæo-  
 rum erga Christum fungentem munere pro-  
 phetico. Perfidia pastorum seu doctorum populi  
 Judaici, videl. scribarum & Phariseorum decla-  
 ratur tribus modis: (1) ab adjuncto symbolo,  
 (2) per partes, (3) ex eventu. Symbolū indicatur  
 ἀοείσως, indefinite & generaliter; quatenus pro-  
 pheta jubetur iterū sumere instrumentū pasto-  
 ris stulti,  $\psi$ . 15. Partes perfidiæ illius enumerantur  
 sex,



sex, v. 16. Prima ibi, *Erraticas non visitabit*. Secunda ibi, *Ætate teneram non requiret*. Tertia ibi, *Fractam non curabit*. Quarta ibi, *Restitantiem non portabit*. Quinta ibi, *Carnem pinguioris comedet*. Sexta ibi, *Ungulas harum perumpet*. Eventus perfidiæ illius fuit læsio à gladio, amplificata per partes duas, versu 18.

SCHOLIA IN CAP. XI.

**L**ibane] *Id est, tu Judæa: qua sita es ad Libanum. Metonymia subjecti. Ut consumat ignis cedros tuas] Id est, ut Romani occupent & evertant urbes tuas.*

v. l.

2 Ejula abies] *Id est, Ejulate abietes. Sic mox, Cedrus: pro, cedri. Quia] Hebr. עֲצֵי מְגִלָּה. Magnifici] Verto, Magnificæ arbores. Vastantur] Hebr. Vastata sunt. Robora] Quercus. Baschanis] Montis. Concidit] Hebr. Descendit. Silva vindemiæ] Verto, Sylva munita: ut est in Hebræo. Ex expono de sylva Libani.*

3 Vox ejulatus pastorum] *Suppleo, auditur. Sic mox iterum. Ellipsis verbi relati. Per pastores autem intelliguntur gubernatores: per leones, tyranni.*

4 Sic ait Jehova deus meus] *Hic loquens introducit Christus. Pasce] Scil. predicatione tua. Oves has interfectionis] Judæos plebeios: qui à potentioribus opprimuntur, & quasi ad necem abripiuntur. Genitivus finis.*

5 Possessores earum] *Potentes in populo: primores, sacerdotes, scriba & Pharisei. Eorum qui vendunt eas quisque dicit] Hebr. Qui vendunt eas dicit. Syntaxis distributiva. Quod ditatus sim] Hebr. Et ditatus sum. Et pascentium eas nemo clementiâ utitur] Hebr. Et qui pascent eas non utitur clementiâ. Syntaxis qualis modò.*

6 Nam] *Verto, Certè. Sed] Hebr. Et. Faciam ut præsto sint &c.] Verto, Exhibebo homines, unumqueng<sub>3</sub> in manum alterius & in manum regis sui. Hebr. Faciam inveniri homines &c. Sic 2. Sam. 3. v. 8. Homines] Hebr. Hominem. Cum articulo: quo notantur impii illi Judæi: ex collatione præcedentium. Unum.*

quenque &c.] *Hebr. Virum in manum proximi ejus. Quibus contudentibus &c.] Verto, Ut contundant. Hebr. Et contudent, nec eripiam. Hanc] In Hebræo est articulus.*

7 Itaque] *Hebr. Et. Vos] Hebr. וְ: ubi ו notat articulum accusativi casus: vocula autē וְ est pronomem secundæ personæ, feminini generis: quia sermo est de ovibus. Accipiens] *Heb. Accepi. Quorum unum] Hebr. Unum: sed cum articulo ו. Den ainen. Amœnitatis] Verto, Amœnitatem. Quo nomine significatur, Christum benignè egisse cum miseris peccatoribus: erudiendo scil. & consolando eos. Devincientium] Verto, Devincientes. Quo vocabulo significatur, Christum studuisse Judam & Israël em inter se devincire: ut percipitur ex versu 14.**

8 Excidi] *Convici errorum & falsæ doctrinæ. Metaphora. Tres pastores] Id est, omnes doctores Judæorum: qui in tres sectas divisi erant: puta Phariseos, Sadduceos & Essenos. Mense uno] Id est, brevi tempore. Synecdoche speciei. Imminuto &c.] Verto, Quia imminuebatur animus meus propter illos, atq; etiam animus eorum fastidiebat me. Hebr. Et decurtata fuit anima mea &c. Item, anima eorum.*

9 Non sum pasturus vos] *Malim, Non pascam vos. Scil. vos ingratos Judæos. Non predicabo vobis amplius Evangelium. Quæ] Scil. ex vobis, tanquam ovibus. Altera carnem alterius] Hebr. Mulier carnem amicæ (sive proximæ) suæ.*

10 Itaque] *Hebr. Et. Accipiens &c.] Hebr. Accepi & succidi. Baculum jucunditatis] Verto, Amœnitatem. quod nomen hic usurpatur tanquam proprium. Nulla est in Hebræo ellipsis: sed est appositio. Jucunditatis] Suprà versu 7. reddiderunt Amœnitatem. Pepigeram] *Heb. Secueram. Istis] Nempe duodecim tribubus Israël. Sic Jud. 5. v. 14. In Hebræo est articulus.**

11 Irritoque factò] *Verto, Ita irritum reddebatur fedus: & agnoverunt sic pauperes illius gregis, qui observabant me, verbum Jehovæ hoc esse. Id est, hoc ita accidisse secundum verbum & voluntatem Jehovæ.*

12 Dixeram enim] *Hebr. Et dixi. Videtur] Pro videtur genuinum supplementum est verbum substantivum Est. Esse autem bonum in oculis alicujus, phrasi Hebræa est, Bonum ei videri, seu pla-*

seu placere. Qui] Hebr. Et. Argenteos] Hebr. Siclos argenti. Ellipsis nominis relati: & genitivus materia.

13 Eos] Hebr. Illud. Nempe argentum. Magnificum precium] Verto, Magnificū verò pretium. quale est illud apud Virgil. Egregiam verò laudē & spolia ampla tulisti. Est exclamatio ironica cum indignatione conjuncta. Heb. Magnificentia pretii. Pretiosè æstimatus sum] Verto simpliciter, Æstimatus sum. Interim vox Hebræa sonat, Appretiatus sum. Verbum conjugatum nomini quod præcessit. Ita accipiens &c.] Hebr. Et accepi & projeci. Triginta argenteos] Verto, Triginta illos argenteos. Nam in Hebræo additus est articulus: qui refertur ad narrationem antegressam versu præced. Argenteos] Hebr. Siclos illos argenti: ut versu præcedente. In domum Jehovæ] In templum.

14 Postea] Hebr. Et. Baculum devincientium] Verto, Devincientes. quæ vox hic nomen proprium est. Nec est in Hebræo ellipsis, sed appositio. Et Jisraëlem] Hebr. Et inter Jisraëlem.

15 Tandem] Hebr. Et.

16 Pastorem] Id est, pastores. Loquitur enim de scribis & Phariseis, item de sacerdotibus, qui vixerunt tempore Christi. Erraticas] Scil. oves. Hebr. Celatas. Metonymia effecti. Ætate teneram] Hebr. Puerum. Metaphora a *אֶלְאָרְסִינִן*. Non curabit] Non medebitur ei. Portabit] Hebr. Sustentabit. Sed] Hebr. Et. Pinguioris] Hebr. Pinguis. Genitivo casu. Scil. ovis. Harum] Nempe restitantium. Perrumpet] Vehementiore scil. ductu.

17 Pastori meo] Verto simpliciter, Pastori. nam è sequentibus apparet, sed hic esse paragogicum. Vel certè est vicarium literæ *ן*. Nihili] Verto, Nihili illi: vel, inutili illi. Imminet brachio] Verto, Veniet super brachium &c. Ellipsis verbi relati. Prorsus] Hebr. Arescendo. Omnino] Hebr. Caligando.

OBSERVAT. EX CAP. XI.

EX toto capite. In excidio Hierosolymæ per Romanos proponitur exemplum punitæ à Deo oppressionis tenuium, contemptus verbi Dei, & perfidiæ docentium.

Item ex toto capite. Ex complemento totius

I.  
Oppressio  
tenuium.  
Contemptus  
verbi Dei.  
Perfidia  
docentium.  
2. Scriptura  
prophetica.

Aa

prophetiæ hoc capite contentæ perspicitur **veritas** scripturæ propheticæ.

3.  
Pastores  
Ecclesiarū.

Ex *ψ*.7. & 8. Exemplo Christi monentur pastores ecclesiarum, ad officium suum pertinere, ut & auditores suos fideliter de cultu Dei & ratione consequendi salutem æternam instituant, & falsos doctores convincant.

4.  
Docendi  
modus  
divinus.

Ex *ψ*.7. Item ex *ψ*.12. & 13. Item ex *ψ*.15. notetur modus docendi quo Deus usus fuit in Veteri Testamento: nempe ut ad prædicationem verbi adhiberet symbola visibilia, tanquam typos.

5.  
Jesum esse  
Christum.

Ex *ψ*.12. & 13. notetur pars argumenti quo demonstratur, Jesum illum Nazarenum, Mariæ virginis filium, esse Christum seu Messiam: quia scilicet in illo completus fuit hic typus appensionis triginta argenteorum, & projectionis eorundem in templum ad usum figuli. Vide Matth. 26. *ψ*.15. & cap 27. *ψ*.9. & 10.

6.  
Pastores  
Ecclesiæ.

Ex *ψ*.16. notentur aliquot officia pastoris Ecclesiæ. Confer Ezech. 34. *ψ*.2. & deinceps.

~~~~~

## C A P U T X I I.

**O**nerosa prophetia verbi Jehovæ pro Jisraële: dictum Jehovæ, qui extendit cælos, & fundat terram, formatq; spiritum hominis in eo.

2 Ecce ego dispositurus sum Jeruschalaima *ut* pelvem soporiferam omnibus populis circumquaque; quando tum contra Jehudam erit in obsidione, tum contra Jeruschalaima.

3 Quin futurum est die illo, *ut*

disponā Jeruschalaima *velut* lapidem onerosissimum omnibus populis, quo quicumq; onerant se omnino cæduntur; etiam *sc* congregentur contra illa omnes gentes terræ.

4 Die illo, dictum Jehovæ, percutiam omnem equū stupore, & sessorem ejus amentia: & super domum Jehudæ aperiens oculos meos, omnes equos populorum percutiam cæcitate:

5 Adeò

5 Adeò ut dicant duces Jehudæ cum animo suo; Fortitudo est mihi, & habitatoribus Jeruschalaimorum, in Jehova exercituum deo ipsorum.

6 Die illo disponam duces Jehudæ tamquam foculum ignis invadentis ligna, & ut tēdam ignis invadentis manipulum, qui consumant ad dexteram & ad sinistram omnes populos circumquaque: ut permaneant Jeruschalaima adhuc loco suo, Jeruschalaimis.

7 Ita servans Jehova tentoria Jehudæ primūm; ut non magnificet se ornatus domus Davidis, & ornatus habitantium Jeruschalaimis supra Jehudam.

8 Die illo proteget Jehova habitantes Jeruschalaimis: eritque abjectissimus ex eis, die illo similis Davidi, & domus Davidis ut dii, ut angelus Jehovæ coram illis.

9 Erit enim die illo, *quum* quæram perdere omnes gentes quæ invaserint Jeruschalaima,

10 Ut effundam super domum Davidis, & super habitatores Jeruschalaimorum spiritum gratiæ & deprecationum, respicientque ad me quem transfixerint: plangentque super hoc, tamquam planctu de unigenito: & amarè plangent de eo ut amarè quis plangit de primogenito.

11 Die illo magnus erit planctus Jeruschalaimis; ut planctus Hadadrimmonis, in cōvalle Megidduntis.

12 Planget enim terra, quæque; familiæ seorsim; familia domus Davidis seorsim, & sceminæ eorum seorsim; familia domus Nathanis seorsim, & sceminæ eorum seorsim:

13 Familia domus Levi seorsim, & sceminæ eorum seorsim; familia Schimhitica seorsim, & sceminæ eorum seorsim:

14 Omnes familiæ reliquæ, familiæ singulæ seorsim; & sceminæ eorum seorsim.

A N A L Y S I S C A P. X I I.

**T**Ribus capitibus sequentibus. continetur sermo unus, sed quo complures continentur prophetiæ. Et hoc quidem capite continentur prophetiæ duæ: una de protectione Ecclesiæ contra hostes, novem primis versibus: altera de conversione electorum Judæorum tempore Christi exhibiti, v. 10. & sequentibus.

DE PRIMA PROPHETIA.

Hæc prophetia illustratur duob. modis: (1) ab authore ipsius, (2) à modo agendi. Author hu-

jus prophetiæ, atque idem author protectionis Ecclesiæ de qua loquitur prophetia, est Jehova: qui describitur ex effectis tribus, puta tribus operibus creationis, ad significandum ejus potentiam: atque ita ad confirmandum prophetiam à causis procreantibus: puta tum voluntate, tum potentia Dei. Quum enim Deus Ecclesiam protegere & velit & possit: certum est fore ut eam protegat. Modus agendi quem Deus in Ecclesia protegenda adhibiturus fuit, significatur per partes, numero quinque. Eæ sunt: (1) hostium dementatio, (2) eorundem læsio, (3) equorum hostilium pavefactio, (4) hostium consumptio, (5) fidelium ereptio. Hostium dementatio indicatur versu 2. & 4: & illustratur simili ebrietatis, vers. 2. Læsio hostium indicatur versu 3: & illustratur simili læsionis à lapide ponderoso. Equorum hostilium pavefactio indicatur versu 4: & illustratur ex eventu, videl. fidelium fiducia,  $\psi$ . 5. Consumptio hostium indicatur versu 6. & 9. Et illustratur simili consumptionis ab igne: Item amplificatur à contrario, videl. conservatione Ecclesiæ, ibid. Fidelium ereptio declaratur (1) ab ordine,  $\psi$ . 7. (2) à causa instrumentali, videl. fortitudine fidelium pugnantium: quæ ipsa illustratur & amplificatur exemplis similibus,  $\psi$ . 8.

#### DE SECUNDA PROPHETIA.

Hujus prophetiæ tria sunt membra: (1) causæ efficientes, (2) forma, (3) effectus. Causæ efficientes conversionis Judæorum iudicantur tres: (1) gratia Dei, (2) Spiritus sanctus, (3) preces,  $\psi$ . 10. Quarum ultima est causa conservans: reliquæ

quæ dux, tum procreantes, tum conservantes. Forma conversionis indicatur ibi, *Respicientq; ad me quem transfixerint*, ibidem. Effectus conversionis illius fuit planctus ob admissum scelus in necando Christo. Hic planctus amplificatur partim exemplis similibus, v. 10. & 11: partim enumeratione familiarum plangentium, versu 12. 13. & 14.

## SCHOLIA IN CAP. XII.

**O**nerosa prophetia verbi] *Hebr. Onus verbi. Id est, Verbum de onere. Hypallage. De onere autem: id est, de deletione hostium Ecclesie. Metaphora & synecdoche generis. Pro Israële] Id est, pro Ecclesia collecta ex Judæis & gentibus: qui Israël Dei appellatur à Paulo Galat. 6. v. 16. Format] Seu fingit. Metaphora à figulo. Spiritum] Animam rationalem. In eo] *Hebr. In intimo ejus.**

2 Dispositurus sum &c.] *Verto, Redditurus sum Hierosolymam pelvem. Hebr. Pono Hierosolymam in pelvem. Soporiferam] Hebr. Soporis. Genitivus effecti. Id est, repletam vino soporifero. Quanquam vox Hebraica <sup>שׁוֹפֵר</sup> proprie tremorem significat. Ebrui enim tremunt & titubant. Sensus est, hostes Ecclesie à Deo percussum iri insaniâ ac furore in illâ persequendâ. Omnibus populis] *Scil. qui persequentur Ecclesiam: ut declarant verba sequentia. Quando] Hebr. Et. Erit] Pro, Erunt. Nempe populi illi. Mutatio numeri. Nisi malimus subaudire nomen hostis.**

3 Quin] *Hebr. Et. Die illo] Tempore illo. Synecdoche membri. Sic deinceps. Disponam] Verto, Reddam. Hebr. Ponam. Jeruschalaima] Verto, Hierosolymam. Id est, Ecclesiam. Onerosissimum] Hebr. Oneris. Genitivus adjuncti. Omnibus populis] *Scil. qui oppugnabunt illam: ut declarant verba sequentia. Omnino] Hebr. Cadendo. Etiam si congregentur] Hebr. Et congregabuntur. Contra illa] Verto, Contra illam. Scil. Hierosolymam.**

4 Omnem equum] *Scil. eorum qui oppugnabunt Ecclesiam. Et] Verto, At. nam est antithesis. Aperiens] Verto, ape-*

*riam. Aperiam oculos meos] Id est, custodiam illam. Metonymia effecti, destinati metaphorica. Omnes equos] Verto, Omnes autem equos. nam rursus est antithesis. Hebr. Et omnes equum. Populorum] Scil. Oppugnantium Ecclesiam.*

5 Adeò ut dicant] *Hebr. Et dicent. Cum animo suo] Hebr. In corde suo. Fortitudo est &c.] Verto, Forti animo mihi sint habitatores Hierosolymæ ob Jehovah &c. Hebr. Fortitudo mihi sint. Metonymia forma. Ob Jehovah] Præpositio hic notat causam.*

6 Disponam] *Verto, Reddam. Hebr. Ponam. Foculum ignis] In quo ardet ignis. Genitivus adjuncti. Invadentis ligna] Vel, Inter ligna. Cui versioni videntur favere verba illa, Qui consumant ad dexteram & ad sinistram. Hebr. In lignis. Tædam ignis] Id est, ignitam seu ardentem. Genitivus qualis modo. Invadentis manipulum] Vel, Inter manipulos. Hebr. In manipulo. Qui consumant] Hebr. Et comedent. Scil. duces Jebudæ. Ut permaneant &c.] Hebr. Et sedebit Hierosolyma. Id est, Ecclesia permanebit, non expugnabitur ab hostibus suis.*

7 Ita servans &c.] *Nostri interpretes hunc versum connectunt cum sequente: ego illum lego per se, & sic verto: Servabitq; Jehova &c. Ut non] Vel, Ut ne. Ornatus] Malim, gloria: id est, majestas: Die herrlichkeit. Domus] Familia.*

8 Habitantes Jeruschalaimis] *Hebr. Habitorem Hierosolymæ. Abjectissimus] Verto, debilis. Hebr. Is qui impigit: vel, qui collapsus est. id est, qui impingere solet & corruere. Metonymia effecti. Ex eis] Hebr. In eis: id est, inter eos. Similis Davidi] Nempe ita robustus & fortis in pugnando. Hebr. Sicut David. Domus Davidis] Repete, erit. Ut dii] Id est, ut angeli. Nempe ita robusti. In hac significatione nomen Elohim reperitur etiam Psal. 8. v. 6. Angelus Jehovah] Id est, Christus: ut declarant verba sequentia. Coram illis] Verto, Qui incedit coram illis. Ellipsis verbi relati.*

9 Erit enim &c.] *Nostri hunc versum connectunt cum sequente: ego illum lego per se, & sic verto: Porro die illo proponam mihi exscindere &c. Hebr. Et fiet die illo: quæram exscindere. Quæ invaserint &c.] Hebr. Quæ venerunt contra Jeruschalaimum.*

10 Ut] *Verto, Item. Hebr. Et. Super domum Davidis &c.] Super*

*Super*



*Super electos Judæos. Habitatores] Hebr. Habitorem. Spiritum gratiæ & deprecationum] Id est, Spiritum sanctum, qui illis testetur de gratia Dei erga ipsos: quiq; eos excitet ad preces, quibus gratiam illam implorent, petendo remissionem peccatorum propter Christum. Genitivus prior notat objectum, posterior effectum. Respicientq; ad me] Vel, intuebuntur in me. Scil. oculis fidei. Sicut olim in deserto qui morfi erant à presteribus, intuiti fuerunt in serpentem æneum de pala suspensum. Ex his autem verbis percipitur, Christum hîc loqui. Quem transfixerint] Nempe lanceâ. Johan. 19. v. 34. & 37. Etsi enim quidam ex militibus id fecit: tamen illi actioni occasionem præbuerunt Judæi, qui Pilato persuaserunt ut Christum crucifigerent. Super hoc] Verto, Super illo. Scil. quem transfixerint. Pro, Super me. Mutatio personæ. Plangent autem super illo, quòd eum transfixerint: id est, crucifixerint. Vide Actor. 2. v. 37. De unigenito] Scil. filio. Intellege, mortuo. Hebr. Super unico. Quâ voce usus quoq; est Deus loquens de Isaaco, filio Abrahamæ, Genes. 22. v. 2. Amare plangent] Hebr. Amaricare: pro, amaricabunt. Scil. planctum. Ut amare quis plangit] Hebr. Secundùm amaricare. De primogenito] Hebr. Super primogenito.*

11 Ut planctus] *Id est, qualis fuit planctus. Hebr. Secundùm planctum. Hadadrimmonis] Nomen loci. In convalle Megidduntis] Ubi rex Josias in prælio occubuit, & vehemente luctu à populo defletus fuit. Vide 2. Chron. 35. v. 22. & seqq.*

12 Planget enim] *Hebr. Et planget. Terra] Incola terræ: nempe Judææ. Metonymia subjecti, & synecdoche integri. Quæque familiæ] Hebr. Familiæ familia.*

14 Familiæ singulæ] *Heb. Familiæ familia.*

OBSERVAT. EX CAP. XII.

**E**X v. 1. collato cum sequentibus. Spem conservationis atque protectionis Ecclesiæ fovere & alere in nobis debet consideratio tum potentia, tum voluntatis Dei.

1.  
Ecclesiæ.

Ex v. 2. 3. 4. 6. & 9. Deus hostes Ecclesiæ solet dementare, cladibus afficere, pavefacere, ac tandem perdere.

2.  
Hostes Ecclesiæ.

3.  
Fortitudo.

Ex v. 5. & 8. Fortitudo piorum ducum Ecclesiae, qui illam armis defendunt, fundata est in fiducia opis Dei.

4.  
Piorum officium.

Ex v. 7. Cavendum est piis, ne sese supra alios pios, qui inferioris sunt conditionis, efferant.

5.  
Dolor ob  
admissa  
peccata.  
Fides. Studium  
precandi.

Ex v. 10. & seqq. Dolor ob admissa peccata, fides in Christum, & studium precandi, sunt effecta gratiae Dei per Spiritum sanctum.

~~~~~

### CAPUT XIII.

**D**ie illo erit fons apertus domui Davidis, & habitatoribus Jeruschalaimorum, pro peccato, & pro separatione ex immunditia.

2 Erit etiam die illo, dictum Jehovæ exercituum, *ut* excindam nomina terriculorū è terra, adeò ut nō commemorentur amplius: quin etiam eorum prophetas & spiritum impunitatis amoturus sum à terra.

3 Eritq; quum prophetaverit quispiam amplius: ut dicat ei pater ejus & mater ejus qui genuerint eum, Non es victurus, quia falsitatem loquutus es nomine Jehovæ: & transigent eum pater ejus & mater ejus qui genuerint eum quum prophetaverit.

4 Ita erit die illo, ut erubescant isti prophetae quisq; à visione sua quum prophetaverit: neque induant togam villosam ut mentiantur.

5 Sed dicat, Non sum propheta; vir agricola sum, nam instituit me aliquis à pueritia mea.

6 Quòd si dixerit ei *quisquam*, Quid plagæ istæ in manibus tuis? dicet, *Plagæ sunt* quibus percussus fui in domo amantium me.

7 Gladie, evigila contra pastorem meum; & contra virum proximum meum, dictum Jehovæ exercituum: percutite pastorem, & dispergentur oves, at reducam manum meam ad parvulos.

8 Nam erit in tota terra, dictū Jehovæ, *ut* partibus duabus in ea excisis & exspirantibus, tertia relinquatur in ea:

9 Et inducam tertiam istam in ignem, conflansq; eos ut conflatur argentū, probabo eos quemadmodum probatur aurum: hic invocabit nomen meum, & ego exaudiam eum, dicam, Populus meus est; & ipse dicet, Jehova est deus meus.

### ANALYSIS CAP. XIII.

**H**oc capite continentur prophetiæ tres: quarum prima est de prædicatione Evangelii, sex

sex primis versibus: secunda de morte Christi, versu 7: tertia de Judæorum impiorum excidio, piorum verò conservatione, v. 8. & 9.

## DE PRIMA PROPHEZIA.

Hujus prophetiæ duo sunt membra: simile & eventa duo. Primùm enim significatur prædicatione Evangelii per simile, quatenus comparatur fonti aperto, v. 1. Deinde amplificatur per eventa duo: videl. abolitionem idololatriæ, v. 2. & abolitionem falsorum prophetarum, versu eod. & seqq. Abolitio autem falsorum prophetarum amplificatur duobus modis: videl. ex modo agendi & ex eventis. Modus agendi indicatur v. 3. qui positus est in prohibitione parentum. Eventa istius abolitionis falsorum prophetarum indicantur quatuor: (1) pudefactio, v. 4. (2) depositio vestis propheticæ, ibidem: (3) confessio inscitæ prophetandi, illustrata à diverso, vers. 5: (4) confessio prohibitionis parentum, v. 6.

## DE SECUNDA PROPHEZIA.

Hujus prophetiæ membra sunt quatuor: (1) forma, (2) author, (3) causa corrumpens, (4) eventa. Forma mortis Christi fuit violenta, nempe supplicium capitis: quod hîc significatur vocabulo *gladii*. Author mortis Christi fuit Deus pater: qui hîc introducitur loquens & dicens, *Gladie, evigila &c.* Causa corrumpens, quæ videbatur Deum patrem à morte Christi procuranda posse avertere, fuit duplex: una, quòd ille esset pastor (id est, doctor Ecclesiæ) ab ipso constitutus: altera, quòd esset ei proximus, nempe filius. Eventa mortis Christi indicantur duo: fuga di-

scipulorum & recollectio eorundem. Quorum illa indicatur ibi, *Et dispergentur oves: ista ibi, At reducam &c.*

DE TERTIA PROPHECIA.

Hujus prophetiæ membra sunt duo. Primo indicatur imparitas numeri piorum & impiorum Judæorum, quòd scilicet impii duplo plures sint, *ψ. 8.* Secundo illustratur piorum conservatio duobus modis: (1) à causa corrumpente, (2) à causa instrumentali. Causa corrumpens quæ piorum Judæorum conservationem videbatur averfura, fuit illorum persecutio: quæ significatur simili cõflationis argenti & auri, *ψ. 9.* Causa instrumentalis conservationis illius fuerunt illorum preces, ibi, *Hic invocabit &c.* versu eodem.

SCHOLIA IN CAP. XIII.

**D**ie illo] *Tempore illo. Sic deinceps.* Fons] *Gratia Dei propter sanguinem Christi. Metaphora.* Apertus] *Per prædicationem Evangelii.* Pro peccato] *Scil. abluendo. Sed potest verti, Contra peccatum.* Pro separatione ex immunditia] *Vox Hebraica <sup>מִן</sup> proprie significat immunditiam mulieris menstruo laborantis, propter quam separabatur à contactu aliorum: de qua habentur leges Levit. 12. & 15.*

2 Erit] *Verto, Fiet.* Etiam] *Hebr. Et.* Terriculorum] *Verto, Idolorum. Hebr. Dolorum. Metonymia effecti.* Adeò ut non commemorentur] *Hebr. Et non commemorabuntur.* Quin] *Hebr. Et.* Eorum prophetas] *Nempe prophetas idolorum. In Hebræo non habetur pronomen, sed articulus.* Spiritum impuritatis] *Id est, Diabolum, qui inspirat impuram doctrinam falsis prophetis. Genitivus effecti.* Amoturus sum] *Heb. Transire faciam.*

3 Eritque] *Verto, Et fiet.* Quum prophetaverit] *Scil. ex inspiratione Diaboli, prophetiam falsam. Synecdoche generis.* Non  
es victu-

es victurus] *I. e. Non debes vivere: dignus es cui vita eripiatur. Vide legem Deut. 13. v. 1. & deinceps. Nomine] Hebr. In nomine. Transfigent] Confodient. Id est, supplicio afficiendum tradent iudicibus.*

4 Ita] *Hebr. Et. Erit] Fiet. A visione sua] Verto, Propter visionem suam. Togam villosam] Qui erat vestitus prophetarum: ut videre est in Elia, 1. Reg. 1. v. 8. & in Johanne Baptista, Matth. 3. v. 4. Heb. Togam pili. Genitivus adjuncti.*

5 Sed dicat] *Hebr. Et dicet. Scil. unusquisq<sub>3</sub> prophetarum istorum. Agricola] Hebr. Cultor humi. Instituit me] Verto, Per hoc acquirere docuit me. Heb. Acquirere fecit me. Aliquis] Heb. Homo.*

6 Quid] *Scil. sunt. Id est, Quid sibi volunt? quid significant? In manibus tuis] Hebr. Inter manus tuas.*

7 Gladie] *Hic introducitur loquens Deus pater. Pastorem meum] A me constitutum: nempe Christum. Proximum meum] Vel, socium meum. Hac voce innuitur æqualitas Christi cum Deo patre. Percute pastorem] Confer Matth. 26. vers. 31. Pastorem] Hebr. Pastorem illum. Oves] Hebr. Grex. At] Hebr. Et. Reducam manum meam ad parvulos] *Scil. denuò congregandos ex dispersione. Loquitur autem de apostolis: qui erant homines coram mundo contemti.**

8 Nam erit] *Verto, Et fiet. In tota terra] Verto, In tota hac terra. In Hebræo est articulus. Ut partibus &c.] Hebr. Os duorum in eâ excidentur, exspirabunt, & tertia pars relinquetur.*

9 Conflansq; &c.] *Hebr. Et conflabo eos secundum conflare argentum, & probabo eos secundum probare aurum. Conflabo: nempe igne persecutionis. Hic] Qui ita fuerit conflatus & probatus. Populus meus est] Puto vertendum, Ex populo meo est.*

OBSERVAT. EX CAP. XIII.

**E**X v. 1. Sanguis Christi in cruce effusus, est  
 veluti fons quo abluuntur peccata electo-  
 rum: qui fons aperitur per prædicationem Evan-  
Sanguis  
Christi.

gelii:hauritur autem ex illo per fidem in Christum.

2.  
*Idololatria* Ex versu 2. Idololatria fugienda est:tum quia Deus illam odit, tum quia idololatræ dolorem affert.
3.  
*Doctores Ecclesiæ.* Ex v. 2. 3. 4. 5. & 6. Doctoribus Ecclesiæ cavendum ne tradant doctrinam falsam: quia se-cus pudefient.
4.  
*Christus.* Ex v. 7. notanda est doctrina de persona & of-ficio Christi. Ratione personæ est & homo, quia mortem perpeffus est: & Deus, quia Deo patri proximus, nempe filius ejus unigenitus. Rati-one officii fuit pastor, id est, doctor Ecclesiæ seu propheta: & sacerdos, qui corpus suum in cru-ce obtulit Deo ad expiandum peccata electo-rum.
5.  
*Infirma fi-des.* Ex eodem versu. In discipulis Christi fugien-tibus, quum ille ad supplicium raperetur, propo-nitur exemplum infirmæ fidei.
6.  
*Dei miseri-cordia.* Ex eodem versu. In discipulorum post Chri-sti resurrectionem recollectione proponitur ex-emplum misericordiæ Dei.
7.  
*Impii.* Ex v. 8. Impiorum major est numerus quàm piorum.
8.  
*Pii.* Ex v. 9. Piorum conditio ea est, ut perse-quutionem patiantur: sed ista persecutio conducit eis ad salutem.
9.  
*Pii.* Ex eodem versu. Piorum mos est ut Deum invocent.
10.  
*Preces.* Item, Preces piorum Deus exaudit.

CAPUT

## CAPUT XIV.

**E**cce dies ventura est Jehovæ; quum dividetur spolium tuum in medio tui.

2 Recipiam enim omnes gentes contra Jeruschalaima ad bellum, & capietur civitas, diripienturque domus, & fœminæ comprimentur, & exeunte parte civitatis in deportationem, residuum populi non excindetur à civitate.

3 Nam procedens Jehova pugnabit contra gentes illas, ut quo die pugnavit, die conflictus.

4 Et stantibus pedibus ejus die illo super montem olivarum, qui est in conspectu Jeruschalaimorū ab Oriente, scindetur mons olivarum medius Orientem & Occidentem versus, in vallē magnam valde: & recedet pars ipsius montis ad Aquilonem, & pars ejus ad Austrum.

5 Tum fugientes vallē montium, quum pertinget vallem montium, ad montem contendetis quem selegit; & fugietis quemadmodum fugiebatis metu terræ motus diebus Huzzijæ regis Jehudæ: veniente Jehova deo meo, omnibusque sanctis adstituris tibi.

6 Et erit die illo, ut non sit lux pretiosa & densa:

7 Sed erit dies unus qui agnosceretur à Jehova, non ex die & nocte; nam erit ut tempore vespertino sit lux.

8 Erit etiam die illo, prodeuntibus aquis vivis è Jeruschalaimis parte sui ad mare Orientale, & parte sui ad mare posterum (quod

æstate & hyeme futurum est)

9 Erit, inquam, Jehova rex super totam terram; die illo erit Jehova unus, & nomen ejus unum.

10 Redigetur tota hæc terra quasi campestria, à Gebaho ad Rimmonem in Australi parte Jeruschalaimorum: & exaltata urbs manebit in loco suo à porta Benjaminis usque ad locum portæ primæ usque ad portam angulorum, & à turri Chananeelis usque ad lacus torcularium regis:

11 Et habitabunt in ea, & anathema non erit amplius; nam residabit urbs Jeruschalaimorum securè.

12 Hæc verò erit plaga quâ afficiet Jehova omnes populos qui turmatim convenerint contra Jeruschalaima: tabefaciet carnem cujusque ipso stante super pedes suos, & oculi cujusque tabefient in foraminibus suis, & lingua cujusque tabefiet in ore ipsorum.

13 Erit etiam die illo, ut sit vexatio Jehovæ magna in illis; adeò utprehendant alter manum alterius, & ascendat manus unius in manum alterius.

14 Et tu quoque, Jehuda, pugnabis Jeruschalaimis; & recipientur opes omnium gentium circumquaque, aurum, & argentum, vestesque multæ admodum.

15 Et similiter futura est plaga eorum, mulorum, camelorum, asinorumque, & omnium jumentorum quæ erunt in castris illis; similis plagæ illi.

16 Eritq; ut quisquis residuus fuerit ex omnibus gentibus quæ venerint contra Jeruschalaima; ascendant de anno in annum ut incurvent se *honorem exhibentes* regi Jehovæ exercituum, & ut celebrent festum tabernaculorum.

17 Et erit *si* qui non ascenderint ex familiis terræ Jeruschalaima, ad incurvandum se *exhibitori honorem* regi Jehovæ exercituum; ut non sit super eos imber.

18 Quòd si familia Ægypti nō ascenderit, neque advenerit, super quos non *est imber*; erit illa plaga quâ affecturus est Jehova gentes quæ non ascenderint ad celebra-

dum festum tabernaculorum.

19 Hæc erit peccati pœna Ægypti; & peccati pœna omnium gentium, quæ non ascenderint ad celebrandum festum tabernaculorum.

20 Die illo erit *inscriptum* tinnabulis equorū, Sanctitas Jehovæ, ut sint ollæ in domo Jehovæ quasi crateres coram altari:

21 Imò erit omnis olla Jeruschalaimis & in Jehuda sanctitatis Jehovæ exercituum, & venientes omnes sacrificaturi accipient ex eis, & coquent in eis: neq; erit Cenahanæus amplius in domo Jehovæ exercituum die illo.

#### ANALYSIS CAP. XIV.

**H**Oc capite continentur prophetiæ quinque. Prima de excidio Hierosolymæ per Romanos, duobus primis versibus. Secunda de protectione & salvatione Ecclesiæ, à v. 3. usq; ad 12. Tertia de pœna persecutorum Ecclesiæ, à v. 12. usq; ad 16. Quarta de vocatione gentium, à v. 16. usq; ad 20. Quinta de zelo seu fervore beatorum in colendo Deo, v. 20. & 21.

#### DE PRIMA PROPHETIA.

Excidium Hierosolymæ per Romanos declaratur ex eventis tribus. Ea sunt: (1) spoliatio, v. 1. & 2. (2) stupratio mulierum, v. 2. (3) deportatio quorundam: quæ illustratur à contrario, versu eodem.

#### DE SECUNDA PROPHETIA.

Hujus prophetiæ membra duo sunt: modus agendi, & descriptio felicitatis Ecclesiæ. Modus agendi, quem in Ecclesia salvanda adhibitur<sup>9</sup> est  
Deus,



Deus, est deletio hostium illius sub tempus iudicii ultimi,  $\psi$ . 3. 4. & 5. Felicitas Ecclesiæ describitur per partes septem: (1) à luce  $\psi$  6. & 7. (2) ab aqua scaturiente,  $\psi$ . 8. (3) à rege,  $\psi$ . 9. (4) à planitie terræ,  $\psi$ . 10. (5) à magnificentia urbis, ibidem. (6) ab omissione anathematis,  $\psi$ . 11. (7) à securitate habitationis.  $\psi$ . eod.

## DE TERTIA PROPHEȒIA.

Pœna persecutorum Ecclesiæ indicatur per species quatuor. Eæ sunt: (1) putrefactio hominum,  $\psi$ . 12. (2) tumultuatio,  $\psi$ . 13. (3) spoliatio,  $\psi$ . 14. (4) putrefactio jumentorum,  $\psi$ . 15.

## DE QUARTA PROPHEȒIA.

Vocatio gentium significatur ex effectu, videl. solenni cultu Dei,  $\psi$ . 16. Hic effectus illustratur à contrario, puta omissione cultus illius,  $\psi$ . 17. 18. & 19. Quæ ipsa omissio declaratur ex eventu, videl. pœna omittentium, iisdem versibus.

## DE QUINTA PROPHEȒIA.

Zelus ille beatorum in colendo Deo declaratur tribus modis: (1) ex effectu destinato, (2) ex instrumentis, (3) ex causa corrumpente. Effectum cultui Dei destinatum sunt tintinnabula equorum: destinata scil. faciendis ollis, in quibus coquatur pecudum sacrificatarum,  $\psi$ . 20. Instrumenta cultus Dei sunt ollæ, in quibus coquitur caro sacrificiorum,  $\psi$ . 20. & 21. Hæ amplificantur ab adjuncta multitudine, versibus iisdem. Causa corrumpens quæ cultum illum poterat impedire, aut saltem labefactare, sunt homines impii: qui hîc significantur nomine Chananæorum, versu 21.

## SCHOLIA IN CAP. XIV.

v.1.

**D**ies] Tempus. Sic deinceps. Jehovæ] Dativo casu. Id est, à Jehova. Ut infra versu 7. Quum] Hebr. Et. Spolium tuum] O Hierosolyma. Dividetur] A Romanis, post urbem occupatam.

2 Recipiam] Verto, Congregabo. Hebr. Colligam. Enim] Hebr. Et. Omnes gentes] Id est, Romanos omnium gentium dominos. Civitas] Hierosolyma. Comprimentur] Stuprabitur, concubitus hostium victorum patientur. Et exeunte &c.] Verto, Et exhibit dimidium civitatis in deportationem: residuum verò &c. Civitatis] Id est, habitatorum civitatis. Metonymia subjecti. In deportationem] Hebr. In migrationem. Synecdoche generis. Residuum verò populi] Nempe illi qui ante obsidionem ex urbe excesserint, & in oppidum Pellam sese contulerint.

3 Nam] Verto, Postea. Hebr. Et. Procedens &c.] Hebr. Exibit & pugnabit. Illas] Quæ populum Dei oppugnaverint. Ut quo die pugnabit] Verto, Ut quo die pugnare solet. Hebr. Secundum diem pugnandi eum.

4 Stantibus &c.] Hebr. Stabunt pedes ejus &c. & scindetur &c. Super montem] Dicerem, Super monte. In conspectu] Hebr. Juxta faciem. Scindetur] Findetur. Medius] Heb. A medio seu dimidio ipsius. Orientem & Occidentem versus] Hebr. Ortum versus & mare versus. Mare pro Occidente, per metonymiam subjecti. nam mare mediterraneum respectu Judææ situm est ad Occidentem. Pars] Hebr. Dimidium. Sic mox iterum.

5 Tum] Hebr. Et. Fugientes &c.] Verto, Fugietis valem &c. fugietis inquam quemadmodum &c. Montium] Vel, montium meorum. Id est, duorum illorum montium quos effecero diffindendo montem oliveti. Quanquam vox  $\text{הַרִים}$ , quum sit posita in accentu distinguente, potest accipi pro voce  $\text{הַרִים}$ . Quum pertinet &c.] Sequentia verba includo parenthesi, & sic reddo: Nam pertinet vallis montium ad montem quem selegit. Periphrasis montis Tsijonis. Selegit] Scil. Jehova. Hebr. Seposuit. Metu terræ motus] Vel, Propter terræ motum. Diebus Huz-  
| zijæ] Vi-

zijæ] Vide Am. 1. vers. 1. Veniente &c.] Hebr. Et veniet Jehova deus meus, omnesq; sancti tecum. Sancti: i. e. sancti angeli. Synecdoche generis. Tecum] Apostrophe ad Jehovam.

6 Et erit &c.] Verto, Porro die illo non erit lux quæ nunc pretiosa sit, nunc caliginosa. Hebr. Et fiet die illo: non erit lux pretiorum & concretionis. Genitivi notantes adjuncta. Per lucem autem pretiosam intelligitur lux solis clara & splendida: per lucem vero concretionis intelligitur lux solis obscura & caliginosa & quasi concreta cum nubibus.

7 Sed] Hebr. Et. Unus] Scil. perpetuus. Id est, Erit lux perpetua. Qui] Hebr. Et. Agnoscetur] Curabitur: Jehova curam illius habebit. Metonymia efficientis. A Jehova] Hebr. Jehova: dativo casu: ut supra versu 1. Non ex die & nocte] Verto, Non erit dies, neq; nox. I. e. Non erit dies quem efficiat sol present: à sua: neq; nox, quæ existit per solis absentiam. Nam] Hebr. Et. Tempore vespertino] Hebr. Tempore vesperæ: id est, tempore noctis. Synecdoche membri: qualis Genes. 1. v. 5. 8. & aliis.

8 Erit etiam &c.] Nostri hunc versum connectunt cum sequente: ego illum lego per se, & sic verto: Porro die illo prodibit aqua viva ex Hierosolyma: dimidium ejus ad mare Orientale, & dimidium ejus ad mare posterum: quæ & astate & hyeme duratura est. Ubi observandum, nomen יָם, quod est numeri dualis, ratione sensus jungi cum verbo יָרַד, quod est numeri singularis. Simile exemplum vide Levit. 11. vers. 38. Aqua viva] Id est, scaturiens è terra: ut Genes. 26. v. 19. Mare Orientale] Id est, mare mortuum. Posterum] Id est, Occidentale: nempe mediterraneum. Duratura est] Hebr. Erit.

9 Erit inquam] Verto, Et erit. Rex] Hebr. In regem. Erit Jehova unus] Construe sic, Jehova erit unus: id est, solus. Hoc est, Solus pro vero deo agnoscetur & coletur. Erit: pro, cognoscetur esse. Metonymia subjecti: qualis Johan. 15. v. 8. Et nomen ejus] Repete, erit.

10 Redigetur] Verto, Circuibitur. Hæc] Nempe Judea. In Hebræo est articulus. A Gebaho ad Rimmonem &c.] Id est, Ab uno termino regionis usq; ad alterum, nam Gebah (alias Gibeà) sita erat in termino Benjamitarum Septentrionem versus, 1. Reg. 15. vers. 27: Rimmon autem sita erat in termino Judæ &

*Simeonis Meridiem versus, Jos. 15. v. 32. & cap. 19. v. 7. In Australi parte &c.] Hebr. Ad Austrum Hierosolymæ. Et exaltata &c.] Hebr. Et exaltabitur & manebit. Manebit] Hebr. Sedebit. Lacus torcularium] In Hebræo est vox unica.*

ii Nam] Hebr. Et. Residebit] Hebr. Sedebit: vel, habitabit. Urbs Jeruschalaimorum] Verto, Hierosolyma. Id est, habitatores Hierosolymæ. Hebr. Jeruschaláim. Securè] Hebr. Cum fiducia.

12 Hæc verò] Hebr. Et hæc. Afficiet] Verbum Hebraicum conjugatum est nomini precedenti: quasi dicas, Plagabit. Turmatim convenerint] Vel, militaverint. Cujusque] Hebr. Ejus. Id est, cujusq<sup>3</sup> eorum. Sic deinceps. Ipso stante] Hebr. Et ipse stans erit. Super pedes suos] Dicerem, Super pedibus suis.

13 Erit etiam] Hebr. Et erit. vel, Et fiet. Ut sit] Hebr. Erit. Vexatio Jehovæ] Qua Jehova vexabit illos. Vel, Tumultuatio Jehovæ: id est, qua à Jehova excitabitur inter illos. Genitivus efficientis. In illis] Inter illos. Adcò utprehendant] Hebr. Etprehendent. Alter manum alterius] Hebr. Vir manum proximi sui. Ascendat] Scil. animo hostili, cum proposito prosternerdi. Manus unius in manum alterius] Heb. Manus ejus in manum proximi sui.

14 Jehuda] Id est, popule Judaice. Recipientur] Malim, auferentur. Hebr. Colligentur. Multæ] Hebr. Secundum multitudinem.

15 Et similiter] Vel, Sic etiam. Hebr. Et sic. Similis plagæ illi] Hebr. Sicut plaga illa.

16 Eritque] Verto, Et fiet. De anno in annum] Id est, quotannis. Honorem exhibentes] Hoc supplementum superfluum est. Sic versu seq.

17 Erit] Verto, Fiet. Si qui non ascenderint] Hebr. Qui non ascenderit.

18 Erit illa plaga] Id est, Incumbet tamen eis illa plaga. Affecturus est] Hebr. Plagaturus est: ut versu ii.

19 Peccati pœna] Hebr. Peccatum. Metonymia efficientis.

20 Erit inscriptum tintinnabulis] Hebr. Erit scriptum super tintinnabulis. Equorum] Hebr. Equi. Collectivè. Sanctitas Jehovæ] Nempe hæ duæ voces inscriptæ erunt tintinnabulis  
equo-

equorum: quibus significatur, tintinnabula illa consecrata esse Jehovæ: sicut sequentia verba declarant. Ut sint ollæ &c.] Heb. Et fiet, olla in domo Jehovæ erunt quasi crateres &c. Quasi crateres] Id est, ita multa ut crateres.

21 Imò] Hebr. Et. Sanctitatis Jehovæ] Verto, Sancta Jehovæ: id est, consecrata Jehovæ. Hebr. Sanctitas Jehovæ. Metonymia forma. Cenahanæus] Scribo, Chenahanæus: quia est  $\Delta$  raphatum. Per Chananaum autem hic intelligitur homo impius, per synecdochen speciei.

## OBSERVAT. EX CAP. XIV.


**E**X versu 1. & 2. In excidio urbis Hierosolymæ per Romanos proponitur exemplum justæ vindictæ Dei, propter interfectum à Judæis Christum. <sup>1.</sup> Vindictæ Dei.

Ex vers. 3. 4. & 5. Adventus Christi ad iudicium erit terribilis. <sup>2.</sup> Adventus Christi.

Ex versu 6. & seqq. usque ad 12. notetur descriptio felicitatis beatorum qua fruuntur post hanc vitam. <sup>3.</sup> Felicitas beatorum.

Ex versu 12. & seqq. usque ad 20. notetur testimonium de excidio hostium Ecclesiæ sub adventum Christi ad iudicium. <sup>4.</sup> Hostes Ecclesiæ.


Ex versu 20. & 21. notetur testimonium de zelo beatorum in cælum translatorum, in colendo Deo. <sup>5.</sup> Zelus beatorum.



# ANALYSIS PROPHE- TÆ MALACHIÆ.

## ARGUMENTUM LIBRI.

**P**ropheta Maleachi (vulgo Malachias) reprehendit populum Judaicum propter varia peccata; in primis quòd perfidè agerent in cultu Dei & in conjugio: ac proinde eis minatur pœnas Dei, eosq; hortatur ad pœnitentiam. Interim consolatur pios promissione adventus Christi & Johannis Baptistæ: hortaturque populum universum, ut interea temporis meditentur legem Mosis.



## CAPUT I.

**P**rophetia onerosa verbi Jehovæ, ad Jisraëlem; per Maleacin.

2 Diligo vos, ait Jehova; & dicitis, In quo diligis nos? Nónne frater fuit Hefau Jahakobo? dictum Jehovæ; dilexi autem Jahakobum.

3 Hefauum verò odio habui; ideò disposui montes ejus desolationi & possessionem ejus draconibus deserti.

4 Quòd dicit Edomæa, De pauperati sumus *quidè*, at revertemur & edificabimus vastata loca, sic ait Jehova exercituum; Ipsi ædificent, at ego destruam: & vocabuntur terminus improbitatis,

& populus cui indignatur Jehova, usq; in seculum:

5 Quod oculi vestri visuri sunt ex termino Jisraëlis; & vos dicturi, Magnificat se Jehova.

6 Filius honorat patrè, & servus dominum suum: quòd si pater sum, ubi *est* honor meus? & si dominus sum, ubi reverentia mei? ait Jehova exercituum vobis, ô sacerdotes contemtores nominis mei, qui dicitis, Qua in re contemnimus nomen tuum?

7 Qui afferentes super altare meum cibum pollutum, dicitis, Qua in re polluimus te? In eo quòd dicitis mensam Jehovæ contemtibilem esse.

8 Nam

8 Nam quum affertis *animal* cæcum ad sacrificandum, nihilne est mali? & quum affertis claudū aut egrotum, nihilne est mali? Offer illud jam duci tuo, an acceptū habiturus sit te, aut an suscepturus vultum tuum, ait Jehova exercituum.

9 Nunc itaq; deprecamini jam faciem *Dei* fortis, ut gratiam faciat nobis; dum è manu vestra est hoc, an suscepturus est ullius ex vobis vultum? ait Jehova exercituum.

10 Quis etiam inter vos est qui claudat fores gratis? aut num illustratis altare meū gratis? Nulla est mihi delectatio in vobis, ait Jehova exercituum, & munus acceptum non habeo è manu vestra:

11 Nam ab ortu solis usq; ad occasum ejus magnum erit nomē

meum in gentibus, & in omni loco suffimentum afferetur nomini meo, & munus purum: quia magnum nomen meum erit in gentibus, ait Jehova exercituum.

12 Etenim vos profanatis illud; in eo quod dicitis, mensam Jehovæ pollutam esse, & proventus ejus contemptibilem esse cibū.

13 Et dicitis, Ecce quantum fatigationis, quum exsufflare possitis illud, ait Jehova exercituum; affertis etiam raptum, & claudū, & ægrotum, afferentes munus: an acceptum habebō illud è manu vestra? ait Jehova.

14 Imò maledictus est machinator, qui quum sit in grege ipsius masculus, vover & sacrificat corruptum Domino: nam rex magnus sum, ait Jehova exercituum, & nomen meum est reverendum in gentibus.

A N A L Y S I S C A P. I.

**V**ersu primo continetur titulus hujus libri: in quo indicantur quatuor: (1) subjectum prophetiæ hujus, ibi, *Onus*: (2) author, ibi, *Verbi Jehovæ*: (3) objectum, id est, auditores, ibi, *Ad Israëlem*: (4) minister, ibi, *Per Maleachin*. In reliquo capite duo agit Dominus per prophetam. Primū protestatur apud populum è captivitate Babylo-nica reducem de suo erga illum amore, quinq; primis versibus: deinde conqueritur de illorum ingratitude, v. 6. & seqq.

D E P R I M A P A R T E.

Protestatio illa constat duobus membris: propositione, & probatione illius. Propositio continetur illis verbis, *Diligo vos*, v. 2. Probatio illis,

*Nonne frater &c.* ibidem. Propositio illustratur à contrario, ibi, *Esauum verò odio habui*, v. 3. Probatio petitur ex effectu, videl. restitutione populi Judaici in integrum: quæ restitutio per tacitam antithesin significatur ex effectu odii, quo Deus prosequatur Esauum, videl. vastatione Edomæ perpetuò duratura, v. 3. & 4. Quæ vastationis duratio amplificatur partim antithesi causæ corrumpentis, puta conatus Edomæorum in vastatis Edomææ locis reædificandis, v. 4: partim ex duobus eventis, observatione Judæorum & laudatione nominis divini, v. 5.

DE SECUNDA PARTE.

Querela hæc constat septem membris. Ea sunt: (1) reprehensio sacerdotum in genere, (2) specialis reprehensio perfidiæ ipsorum in offerendis sacrificiis, (3) *πρόεισμα* seu corollarium, (4) amplificatio à causa corrumpente, (5) amplificatio ab effectis, (6) illustratio à contrario, (7) repetitio reprehensionis. Reprehensio generalis sacerdotum continetur ibi, *Filius honorat patrem &c.* Hæc reprehensio amplificatur partim distributione, partim antithesi. Distributione ingratitude sacerdotum distribuitur in omissionem honoris & in omissionem timoris seu reverentiæ. Antithesi omissionem hanc utramq; opponit praxi filiorum & servorum, in hanc sententiam: Filii honorare solent parentes suos: at vos me (quem parentem vestrum profitemini) non honoratis. Item servi timere solent dominos suos: at vos me (quem dominum vestrum profitemini) non timetis. Speciali reprehensione re-



ne reprehenduntur tum sacerdotes tum populus propter illegitima sacrificia, quòd scil. offerrent animalia vitiosa. Ubi peccatum sacerdotum erat, quòd animalia ejusmodi à populo acceptarent, atq; ita sacrificia contemptibilia redderent, v. 7. Populi verò peccatum erat, quòd tales pecudes ad sacerdotes afferrent. Hæc pars querelæ partim illustratur, partim amplificatur. Illustratur enumeratione specierum trium: quòd scil. offerrent animalia cæca, clauda, & ægrota, v. 8. Amplificatur autem collatione imparium, ibi, *Offer illud jam duci tuo &c.* quasi dicat, Pudere vos debebat, si talia munera offerretis vestro duci: ergo multo magis pudere vos debet, quòd offeratis illa mihi: cum quo scilicet dux vester nequaquam est conferendus, v. eodem. Πόρισμα seu corollarium ex ista reprehensione deducitur duplex: hortatio ad deprecandum iram Dei, & comminatio pœnæ, si in ista offerendi consuetudine perseverarint, v. 9. Causa corrumpens quæ sacerdotes ab ista erga Deum ingratitude atque perfidia in sacrificando debuit deterrere, fuit illius erga ipsos liberalitas in abundante victu eis præbendo etiam propter tenuia ministeria: cujusmodi erant, claudere fores templi, & accendere ignem in altari, v. 10. Effecta ex ista tum sacerdotum tum populi perfidia orta, indicantur duo: averfatio illorum & rejectio oblationum, v. eodem. Contrarium quod perfidiæ isti opponit, est cultus Dei sincerus, exhibendus ei à fidelibus Novi Testamenti, v. 11. Hic cultus declaratur tribus modis: (1) à subjectis locis, (2) à

simili, (3) à causa antecedente. Loca indicantur ibi, *Ab ortu solis &c.* Simile ibi, *Suffimentum affertur &c.* Causa antecedens ibi, *Quia magnum nomen meum &c.* Repetitio reprehensionis continetur versibus 12. 13. & 14. Amplificatur autem hîc perfidia illa quatuor modis: (1) antithesi, (2) enumeratione specierum, (3) à causa antecedente, (4) à causâ corrumpente. Antithesi opponitur levitati pecudis oblatae gravitas ejusdem: quarum hanc falsò jactat offerens, illam verò exprobrat Dominus. Utrumque autem hoc significatur ex effectis: gravitas pecudis ex fatigatione portantis, levitas verò ex difflatione ejusdem, *ψ. 13.* Species vitiosarum pecudum quas offerre solebant, enumerantur tres: raptum, claudum, & ægrotum, *ψ. eod.* Causa antecedens quæ illos ad tales pecudes offerendas movit, fuit machinatio seu fraudulenta calliditas, versu 14. Causa corrumpens quæ illos à talibus pecudibus Deo offerendis debuit deterrere, fuit majestas Dei: quæ indicatur ibi, *Nam rex magnus sum &c.* ibidem.

## SCHOLIA IN CAP. I.

*ψ. 1.* **P**ROphetia &c.] *Hebr. Onus verbi. Vide Zach. 9. vers. 1. Ad Jisraëlem] Ad Judæos è captivitate Babylonica reversos. Per Maleacin] Scribo, Maleachi: quia est ὁ raphatum. Hebr. Per manum Maleachi, Synecdoche speciei ἡ ἀρχὴ ἰκθ.*

2 Diligo] *Hebr. Dilexi. Sic mox iterum. In quo diligis nos?] Id est, Quòdnam est beneficium illud quo restatum facis, quòd diligas nos? Nonne] Responsio Domini ad præcedentem interrogationem. Interrogatio autem vim habet affirmandi, tanquam rem certam.*

3 Disposui &c.] *Verto, Redegi montes ejus in desolationem.*  
Hebr.

Hebr. Posui &c. Et possessionem ejus] *Suppleo, dedi. Ellipsis verbi relati. Possessionem] Sive, hereditatem. Id est, terram quam hereditario jure possederunt Edomæi.*

4 Quòd dicit] *Vel, Si dicet. Hebr. Quum dicet. Edomæa] Malim, Edomæus. Id est, Edomæi. Hebr. Edom. Metonymia efficien- tis. At] Hebr. Et. Sic deinceps. Revertemur & ædificabi- mus] Verto, Reædificabimus. Vastata loca] Hebr. Vastitates. Metonymia formæ. Jehova exercituum] Verto, Jehova deus exercituum. Sic deinceps. Vocabuntur] Hebr. Vocabunt eos. Impersonalis loquutio.*

5 Quod] *Hebr. Et. Ex termino Jisraëlis] Hæc verba in Hebræo posita sunt ad finem versus. Magnificat se] Scil. delen- do hostes populi sui. Hebr. Magnus fiet.*

6 Honorat] *Hebr. Honorabit. Id est, honorare solet. Et ser- vus] Suppleo, reveretur: vel, timet: ex collatione verborum se- quentium. Ellipsis verbi relati. Dominum suum] Hebr. Domi- nos suos. Sic Genes. 42. v. 33. Joseph vocatur domini terræ. Nu- mero plurali videtur notari dignitas personæ. Honor meus] Quo scil. ego affici debeo. Dominus] Scil. vester. Hebr. Domini. Ubi] *Suppleo, est. Reverentia mei] Vel, timor meus: id est, quo timeri debeo. Qui dicitis] Verto, Et dicitis.**

7 Qui &c.] *Verto, Dum affertis super altare meum cibum pollutum. Et dicitis, &c. Dum affertis] Hebr. Accedere facien- tes. Cibum] Hebr. Panem. Synecdoche speciei. Per cibum autem intelligitur hîc caro sacrificiorum quæ consumebatur ab igne, per metaphoram. Pollutum] Scil. per contemptum legis Dei de qua- litate pecudum sacrificandarum: ut sequentia declarant. Te] Id est, cibum tuum. Metonymia adjuncti occupati: vel subjecti reci- pientis ad se. Mensam] Id est, sacrificia quæ instar cibi consu- muntur ab igne altaris. Metonymia subjecti, & metaphora: qualis infra versu 12. Item Esa. 65. v. 11. 1. Cor. 10. v. 21. Hebr. Quòd men- sa Jehovæ contemptibilis est.*

8 Nam] *Hebr. Et. Affertis] Hebr. Accedere facitis. Sic mox iterum. Nihilne est mali?] Vel, Nihil mali esse dicitis. Sic mox iterum. Aut] Hebr. Et. Sit] Vel, est. Vultum tuum] Verto, faciem tuam. Suscipere autem faciem alicujus, est benevolè cum aliquo agere.*

9 Nunc itaque] *Hebr. Et nunc. Dei fortis] Verto simpliciter, Dei. Ut gratiam faciat nobis] Verto, Ut gratiâ (vel, favore) prosequatur nos. Gratiam facere alicui, apud Latinos alio sensu dicitur. E manu vestra est] Verto, A manu vestra fit. Hoc] Quòd scilicet ad sacrificandum offertis animalia vitiosa. Vultum] Verto, faciem.*

10 Inter vos] *Sacerdotes. Fores] Templi. Gratis] Hæc vox rectè suppletur ex collatione membri sequentis. Aut num] Verto, Nec. Et signum interrogationis ab hac sententia removeo. Illustratis] Scilicet accendendo ignem.*

11 Nam] *Verto, Sed. 'ב' pro 'ב'.* In gentibus] *Inter gentes. Suffimentum offeretur &c.] Id est, cultus spiritualis mihi exhibebitur, qui nunc per externum illum cultum figuratur. Metonymia adjuncti. Munus] Speisopfer. Synecdoche generis. Magnum] Gloriosum.*

12 Etenim vos] *Verto, Vos autem. Hebr. Et vos. In eo quòd dicitis] Vel, Dum dicitis. Mensam &c.] Ut versu 7. Hebr. Quòd mensa Jehovæ polluta est. Et proventus ejus &c.] Construe sic, Et cibum proventus ejus contemtibilem esse. Hebr. Et proventus ejus, contemtibilis est cibus ejus. Id est, Quòd attinet ad proventum ejus. Nominativus absolute positus.*

13 Quantum fatigationis] *Scilicet accidit mihi, dum portarem istam pecudem in templum ad sacrificandum. Id est, Quàm pinguis ac ponderosa est hæc pecus? Metonymia effecti. Exsufflare] Flatu propellere. Scilicet propter maciem & levitatem. Illud] Illud animal, illam pecudem: puta ovem, aut capram. Affertis etiam] Hebr. Et affertis. Raptum] Id est, discerptum, seu laceratum. Synecdoche membri metonymica, quâ unâ cum effecto destinato intelligitur finis. Afferentes] Verto, Deinde affertis. Hebr. Et afferetis. Munus] Das speisopfer. Illud] Nempe munus. Huc enim referendum esse istud pronomen, ostendit ejus forma: quòd scilicet est generis fœminini.*

14 Imò] *Hebr. Et. Machinator] Id est, callidus & fraudulentus. Domino] Hebr. Adonai. In gentibus] Inter gentes.*

OBSE-

## OBSERVAT. EX CAP. I.

**E**X  $\psi$ . 2. & 3. In Jacobo & Esauo proponitur <sup>1.</sup> *Electio divina.*  
 exemplum liberæ electionis divinæ: qua Deus ex duobus æqualiter damnationem æternam commeritis alterum diligit, alterum odit: ac proinde alterum salvat, alterum damnat. Vide Rom 9.  $\psi$ . 11. 12. & 13.

Ex  $\psi$ . 4. Exemplo Edomæorum frustra con- <sup>2.</sup> *Gubernatio Dei.*  
 nantium instaurare regionem suam vastatam, monemur, homines frustra reluctari Deo: quippe qui non patitur resistantiam.

Ex  $\psi$ . 6. Non satis est, nos Deum profiteri pa- <sup>3.</sup> *Cultus Dei.*  
 trem ac dominum nostrum: necesse insuper est, ut eum tanquam patrem honoremus, & tanquam dominum timeamus.

Ex  $\psi$ . 7. & seqq. usque ad finem capituli. In cul- <sup>4.</sup> *Cultus Dei.*  
 tu Dei externo requiritur tum conformitas ritus cum præscripto mandati divini: tum sinceritas cultum illum obeuntis.

Ex  $\psi$ . 10. Sicut Deus olim sacerdotibus & Le- <sup>5.</sup> *Bona opera.*  
 vitis etiam pro exiguis officiis amplam mercedem dedit: sic bona opera piorum etiam tenuia remunerabitur. Vide Matth. 10.  $\psi$ . 41. 42.

Ex  $\psi$ . 11. Quum planum sit, cultum spiritua- <sup>6.</sup> *Missæ pontificia.*  
 lem Novi Testamenti hinc significari per ceremonias quæ propriæ erant Testamenti Veteris, puta per oblationem suffitus & muneris: consequens est, Pontificios his verbis abuti, dum ea detorquent ad confirmandum oblationem corporis Christi in missa.

Ex  $\psi$ . 14. ex verbis, *Nam rex magnus sum.* Con- <sup>7.</sup> *Cultus Dei.*

fideratione majestatis Dei moveri debemus ad illam sincerè colendum.

## CAPUT II.

**N**unc itaque ad vos *spectat* præceptum istud, ô sacerdotes;

2 Nisi auscultaveritis, & nisi indideritis animo *studium* tribuendi gloriam nomini meo, ait Jehova exercituum, utique immitam in vos maledictionē, & maledicam benedictionibus vestris: quin etiam maledixi earum cuique, quia minimè inditis animo.

3 Ecce ego corrupturus sum vobis sementem, & sparsurus simum in facies vestras, simum sacrificiorum vestrorum; adeò ut abripiat vos ad se.

4 Nostis enim me misisse ad vos præceptum istud; ut sit fedus meum cum *tribu* Levi, ait Jehova exercituum.

5 Fedus meum fuisse cum illa vitæ & pacis, & dedisse eas ipsi *propter* reverentiam qua reveritus est me; & propter nomen meum contritam fuisse:

6 *Quæ* lex veritatis fuit in ore ejus, & iniquitas non est inventa in labiis ejus; in pace & in æquitate ambulavisse mecum; & multos avertisse ab iniquitate:

7 Quum labia sacerdotis observarent scientiam, & lex requireretur ex ore ipsius: nam angelus Jehovæ exercituum est.

8 At vos recessistis ab illa via, fecistis ut impingeret multi in legem; corrupistis fedus Leviticum, ait Jehova exercituum.

9 Ideoq; etiam ego reddidi vos contemptos & abjectos toti populo; prout vos minimè observatis vias meas, sed attollitis faciem contra legem, *dicendo*,

10 Nonne pater unus omnibus nobis est? nonne *Deus* fortis unicus creavit nos? Quare perfidi sumus alter in alterum, profanando fedus majorum nostrorum?

11 Perfide agit Jehuda, & abominatio fit in Juraële & Jeruschalaimis: profanat enim Jehuda sanctitatem Jehovæ quam amaturus fuerat, ducens filiam dei alieni.

12 Exscindet Jehova virum vigilantem & respondentem qui fecerit illam, è tentoriis Jahakobi; etiam offerentem munus Jehovæ exercituum.

13 Atque hoc secundum facitis, operiendo lacrymis altare Jehovæ, fletu & exclamatione; adeò ut minimè ampliùs respiciat *Deus* ad munus, & benevolentia *ejus* recipiat *oblationem* è manu vestra.

14 Dicitis autè, Propter quid? Propter quòd Jehova testificatus est inter te & uxorem adolescentiæ tuæ, contra quam tu perfide agis, cum sit socia tua & uxor federata tibi.

15 Nam nonne unum effecit, quamvis reliqui spiritus ipsius *essent*? quid autem unum? quæsiturum tamen Dei: ideò capturi estis spiritui vestro, & in uxorem adolescentem-

lescentiæ tuæ perfidè ne *quisquam* agito.

16 Sibi odio esse dimissionem ait Jehova Deus Jisraëlis, nam *en* operire violentiam pallio ipsius, ait Jehova exercituum: quare cavebitis spiritui vestro ut non perfidè agatis.

17 Fatigatis Jehovam verbis vestris; & dicitis, Qua in re fatigamus? In eo quod dicitis, Quisquis facit malum bonus *videtur* in oculis Jehovæ, & istis ipse delectatur, aut ubi *est* deus judicii?

A N A L Y S I S C A P. I I.

**H**Oc capite tria agit propheta. Primùm comminatur sacerdotibus, novem primis versibus: deinde reprehendit perfidiam quam nonnulli committebant circa conjugium, v. 10. & deinceps: postremò reprehendit eos propter blasphemum quendam sermonem, v. 17.

DE PRIMA PARTE.

Hæc pars constat quinque membris. Ea sunt: (1) comminatio generalis, (2) comminatio specialis, (3) causa corrumpens perfidiæ sacerdotum, (4) contrarium illius, (5) reprehensio ejusdem. Comminatione generali minatur sacerdotibus maledictionem, nisi destiterint à perfidia in obeundo munere suo, v. 2. Comminatione speciali indicatur maledictio duplex: corruptio sementis & contemptus: qui contemptus significatur casu quodam speciali sparsionis fimi in facies eorum, & abreptionis per palam stercorariam, v. 3. Causa corrumpens quæ sacerdotes à perfidia ista debuit deterrere, fuit fedus Dei cum tribu Levitica pactum, ejusdemq; præstatio, v. 4. & 5. Contraria perfidiæ istorum sacerdotum fuit fidelitas majorum seu patrum, quæ declaratur per partes sex: quarum prima indicatur ibi, *Lex veritatis fuit in ore ejus*, v. 6. Secunda ibi, *Et ini-*

*quitas non est inventa in labiis ejus, ibid. Tertia ibi, In pace & in equitate ambulavit mecum, ibidem. Quarta ibi, Et multos avertit ab iniquitate. Quinta ibi, Labia sacerdotis observarunt scientiam, v. 7. Sexta ibi, Lex requirebatur ex ore ipsius, ibidem. Quæ ultima pars declaratur ex causa procatartica, ibi, Nam angelus Jehovæ exercituum est, ibidem. Reprehensio perfidiæ sacerdotum continetur versu 8: & annectitur præcedenti majorum laudationi per antithesin. Declaratur autem per partes duas: quarum prima ibi, Fecistis ut impingerem &c. altera ibi, Corrupistis fedus &c. Amplificatur autem ab eventu, videl. contemptu sacerdotum, v. 9.*

#### DE SECUNDA PARTE.

Perfidia Judæorum circa conjugium narratur triplex: (1) conjugium cum exteris, (2) superinductio uxorum seu polygamia, (3) dimissio uxoris legitimæ. Constat autem hæc reprehensio membris quatuor. (1) Perfidiam illam universim reprehendit, (2) primi generis perfidis minatur pœnam, (3) secundam perfidiæ illius speciem amplificat, (4) tertiam perfidiæ illius speciem amplificat. Reprehensio illa universalis petitur à causa corrumpente duplici: quarum prior indicatur versu 10: posterior versu 11: ibi, *Profanat enim &c.* Pœna quam primis illis minatur, amplificatur partim distributione, partim à causa corrumpente, v. 12. Distributio fit per comparisonem imparium: Deus puniet tam illum qui perfidum istum excusat & defendit, quàm perfidum ipsum. Causa corrumpens quæ videbatur

batur



batur posse Deum à pœna inferenda avertere, est oblatio muneris ad illum reconciliandum instituta. Secundam perfidiæ illius speciem (puta superinductionem uxorum ultra uxorem legitimam) amplificat tribus modis: (1) ab effectis, (2) à causa corrumpente, (3) à porismate seu corollario. Effecta istius perfidiæ indicantur duo: (1) lachrymæ uxoris legitimæ & gemitus, v. 13. (2) rejectio oblationum, ibidem. Causa corrumpens quæ illos à perfidia ista debuit deterrere, indicatur duplex: quarum prima est actio federalis inter perfidum illum & uxorem ejus legitimam, conjuncta cum testificatione divina, v. 14. Altera est institutio conjugii: quæ declaratur tum ex forma, tum ex fine, v. 15. Ex forma, quòd Deus pro primo viro creavit uxorem unicam: ex fine, quòd voluit ut per tale conjugium procrearentur liberi sancti, v. 15. Porisma seu corollarium quod ex ista reprehensione deducit, est hortatio ad cavendum istam perfidiam, v. eodem. Tertiam perfidiæ circa conjugium speciem (puta dimissionem uxoris legitimæ) amplificat duobus modis: (1) à causa corrumpente, (2) à porismate seu corollario. Causa corrumpens quæ istos à dimittendis uxoribus legitimis debuit deterrere, est odium Dei quo talem dimissionem oderat, v. 16. Hoc odium amplificatur à causa procatartica, videl. prætextu legis Dei, ibid. Porisma est hortatio ad cavendum istam perfidiam, ibid.

## DE TERTIA PARTE.

Blasphemus ille Judæorum sermo declaratur

duobus modis: (1) ab eventu, (2) à forma. Eventus fuit fatigatio seu molestatio Jehovæ, *ÿ.17.* Forma indicatur per verba (uti vocant) formalia, ibi, *Quisquis facit malum &c. ÿ. eodem.*

## SCHOLIA IN CAP. II.

ÿ.1.

**N**unc itaque] *Hebr. Et nunc. Spectat] Suppleo, mittitur: ex collatione versus quarti. Ellipsis verbi relati. Nisi auscultaveritis] Scil. huic præcepto. Hebr. Nisi audiveritis. Nisi indideritis &c.] Verto, Nisi proposueritis apud animum vestrum, vos tributuros &c. Hebr. Nisi ponetis super cor ad dandum. Utique] *Hebr. Et. Earum cuique] Hebr. Ei. Quia minimè inditis animo] Verto, Quia non proponitis apud animum vestrum. Scil. tribuere gloriam nomini meo. Hebr. Quia non ponitis super cor.**

3 Sementem] *Semen in terram jactum. Fimum sacrificiorum vestrorum] Hebr. Fimum festorum vestrorum. Id est, fimum pecudum quas in festis affertis ad sacrificandum. Metonymia subjecti. Adeò ut abripiat vos] Suppleo, agricola. Ellipsis nominis relati. Abripiat] Scil. palâ stercorariâ, inter stercorandum: putans nimirum se nil nisi fimum abripere, eò quòd facies vestrae fimo erunt repletæ. Hebr. Tollat: vel, auferat.*

4 Nostis enim] *Verto, Tunc cognoscetis. Hebr. Et cognoscetis. Me misisse ad vos præceptum istud] Id est, vos pœnas dare contemti istius præcepti. Synecdoche membri. Hebr. Quòd misi &c. Ut sit] Verto, Ut esset. Cum tribu Levi] Verto, Cum Levi. Id est, Cum Levitis. Metonymia efficientis. Nulla hîc est ellipsis.*

5 Fedus meum fuisse &c.] *Verto, Nam fedus meum fuit cum illo, fedus vitæ & pacis: dediç, eas illi propter reverentiam, quia reveritus fuit me, & propter nomen meum contritus fuit. Cum illo] Cum Levi: id est, cum tribu Levi. Fedus vitæ & pacis] Quo promisi ei vitam & pacem. Genitivi notantes objectum. Dediç; eas] Scil. vitam & pacem. Propter reverentiam] Præpositio Propter rectè suppletur, ex collatione membri sequentis. Quia] *Hebr. Et. Propter nomen meum contritus fuit]**

tus fuit]

tus fuit] *Id est, Quum videret nomen meum contemni, doluit. Cujus doloris exemplum vide Exod. 32. v. 26. & deinceps, ubi narratur, quomodo Levitæ occiderint Israëlitas qui adoraverant vitulum aureum. Item Num. 25. versu 7. & 8. in Pinchaso (vulgo Phinees) confodiente Israëlitam scortantem cum muliere Madianitide.*

6 *Quum lex &c.] Verto, Lex veritatis fuit in ore ejus, & iniquitas non est inventa in labiis ejus: cum pace & cum rectitudine ambulavit mecum, & multos avertit ab iniquitate. Nam labia sacerdotis observabant scientiam, & legem requirebant ex ore ejus: &c.*

7 *Angelus] Id est, legatus: ut Hag. 1. v. 13.*

8 *At vos] Vel, Vos autem. Hebr. Et vos. Ab illa via] In qua ambularunt vestri majores. In Hebræo est articulus. Impingerent in legem] Agerent contra legem, ac proinde in calamitates inciderent. Synecdoche membri metonymica, quâ unâ cum effectu intelligitur efficiens: item metaphora. Fedus Leviticum] Hebr. Fedus Levi: id est, pactum cum Levi, h. e. cum tribu Levitica. Genitivus subjecti: & metonymia efficientis.*

9 *Id. óque] Hebr. Et. Reddidi] Effeci. Hebr. Dedi. Abjectos] Hebr. Humiles. Quæ vox hic intelligenda est de hominis conditione, non autem de moribus & affectu animi. Prout vos minimè observatis] Hebr. Secundum os quòd vos &c. Id est, pro ratione quòd &c. Vias meas] Actiones à me præscriptas. Metaphora. Sed] Hebr. Et. Attollitis faciem contra legem] Id est, audacter venitis contra legem. Vel, Suscipitis faciem in lege: id est, in interpretatione legis: dum scil. in gratiam populi legem falsò interpretamini. Dicendo] Hoc supplementum videtur mihi ab hoc loco alienum. Etenim verba proximè sequentia adscribit Judæis illis qui contraxerant illegitima conjugia, quasi illis apologiam istorum instituerent. At verba ista non rectè illis adscribi: intelligi potest primùm ex eo, quòd restringuntur ad sacerdotes: quum tamen communia fuerint aliis, ut constat ex Esr. 9. vers. 1. & Nehem. 13. vers. 23. Deinde ex eo quòd individuo nexu coherent cum verbis illis, Quare perfidi sumus? &c. tanquam antecedens enthymematis cum consequente: attamen illa verba non sunt verba Judæorum illorum qui contraxerant illegitima conjugia: sed*

sunt verba propheta illos nomine isto reprehendentis, ut patet tum ex ipsis, tum ex proximè sequentibus in principio versus undecimi.

10 Pater unus ] Nempe Deus: ut declarant verba proximè sequentia. Sensus est, Quum Deus nos omnes creaverit, tenemur mandatis ejus obedire, ac proinde à perfidia abstinere. Hunc sensum ostendunt verba illa, Quare perfidi sumus &c. Nonne Deus fortis &c. ] Epexegetis. Deus fortis ] Verto simpliciter, Deus. Quare ] Verto, Quare igitur. Perfidi sumus ] Pro, perfidi estis vos qui ultra uxorem legitimè ductam superinducitis aliam aliàsve, ex versu 14. Communicatio rhetorica. Alter in alterum ] Hebr. Vir in fratrem suum. Fedus majorum nostrorum ] Quod Deus pepigit cum majoribus nostris. Genitivus subjecti. Majorum ] Hebr. Patrum.

11 Perfide agit Jehuda ] Id est, populus Judaicus: qui hic comparatur mulieri: ut percipitur ex forma verbi, quod est generis fœminini. In Jisraële ] In populo Israëlítico. Metonymia efficientis. Sanctitatem Jehovæ ] Sanctum conjugium à Jehovæ institutum. Metonymia formæ, & synecdoche generis. Amator fuit ] Verto, Amare debebat. Quasi dicat, Non autem amare debebat mulieres exteras, quarum conjugio Deus interdixit. Tacita antithesis. Ducens ] Verto, Nam ducit. Heb. Et ducit. Ducit ] Scil. in uxorem. Vox Hebræa significat dominari, seu dominatū exercere in rem possessam. Dei alieni ] Id est, addictam cultui dei alieni. Vide Esa. 9. & 10. Nehem. 13. v. 23. & deinceps.

12 Exscindet &c. ] Hunc versum sic reddo, Exscindet Jehova filios ei qui fecerit istud, tum vigilantibus tum defendentibus, è tentoriis Jacobi: etiam offerenti &c. Filios ] Scil. quos genuerit ex uxore alieni dei. Ellipsis nominis relati. Istud ] Pronomen Hebraicum est generis fœminini, sed usurpatur neutraliter seu absolute. Vigilanti ] Id est, Studiosè observanti mulieres exteras, ut aliquam ex illis in uxorem ducat. Metaphora, & synecdoche generis. Defendenti ] Scil. conjugium istud. Hebr. Respondenti. Synecdoche generis. Etiam ] Hebr. Et. Offerenti munus ] Ad Deum reconciliandum, quem intelligit sibi iratum esse propter conjugium cum uxore extera.

13 Hoc secundum ] Hebr. Hanc secundam. Voses fœmininæ positæ

posita neutraliter, ut versu precedente. Operiendo] *Id est, quod operitis.* Operiendo lacrymis altare] *Id est, causam lacrymarum prebendo uxoris vestris legitimis, quibus superinducitis alias, a quibus ista anguntur. Vide Levit. 18. vers. 18. Item 1. Sam. 1. vers. 6.* Cum exclamatione] *Malim, Cum gemitu.* Respiat ad munus] *Gratum habeat munus. Metonymia effecti metaphorica.* Ad munus] *Quod offertis. Et benevolentia &c.]* Verto, *Nec accipiat cum benevolentia oblationem e manu vestra.* Nec] *Hebr. Et. Sed adverbium negandi וְאֵיךְ כֹּהִיבִים repetendum est ex membro precedente. Sic Psal. 1. v. 5.* Oblationem] *Ellipsis nominis relati.*

14 Propter quid?] *Scil. non respicit Deus amplius ad munus nostrum, nec oblationem cum benevolentia accipit e manu nostra: ex versu precedente.* Testificatus est] *Tanquam testis invocatus est: nempe testis promissionis tuae qua fidem conjugalem uxori tuae promisti.* Et uxorem] *Hebr. Et inter uxorem.* Uxorem adolescentiæ tuæ] *Verto, Uxorem adolescentem tuam. Sic versu seq. Uxor federata tibi] Hebr. Mulier federis tui: id est, cum qua contraxisti fedus, quum eam tibi despondisti. Genitivus adjuncti. Confer Prov. 2. v. 17.*

15 Nam] *Hebr. Et. Nonne] Hebr. An non: deficiente litera וְ interrogativâ: ut passim.* Unum] *Scil. hominem: nempe Adamum cum Eva, tanquam altera ipsius parte; quippe conditâ ex unâ costarum illius.* Fecit] *Scil. Deus.* Quamvis reliqui spiritus ipsius essent] *Verto, Quamvis residuum spiritus ipsi esset. Id est, Quamvis plures animas creare posset, quas indicet pluribus mulieribus Adamo jungendis. Quasi dicat: Quum Deus potuerit plures uxores Adamo creare, id autem non fecerit: argumento hoc est, quod nolit uni viro plures uxores jungi. Hebr. Et residuum spiritus ei erat. Quid] I. e. Propter quid, cur. Scil. fecit Deus. וְאֵיךְ כֹּהִיבִים. Unum] Verto, Unum illum, nempe unum illum hominem, constantem ex viro & muliere. Quæsiturum] Verto, Quia quærebat. Scil. Deus. Hebr. Quærens. Semen Dei] *Id est, liberos sanctos, ex Dei institutione in legitimo conjugio natos. Metonymia materiae, & genitivus efficientis.* Ideo] *Hebr. Et. Cauturi estis] Verto, Cavetote.* Spiritui vestro] *Animo vestro.* Et in uxorem &c.] *Epexegeſis. Verto autem, In uxorem adolescentem (sive ju-**

juvenculam tuam. Genitivus adjuncti. Id est, Quam juvenculam duxisti. Perfidè ne quisquam agito] Quisquam, Scil. vestrum. Pro, Ne agitote perfidè. Mutatio tum personæ, tum numeri.

16 Sibi odio esse dimissionem] Hebr. Quòd oderit dimissionem. Dimissionem] Scil. uxoris cum libello repudii. Synecdoche generis. Nam] Hebr. Et. Eum operire] Verto, Is qui dimittit operit. Ellipsis nominativi antecedentis. Operit violentiam pallio ipsius] Id est, violentam illam dimissionem excusat & defendit lege ipsius per Mosen datâ de libello repudii. Allegoria metaphorica. Pallio] Hebr. Indumento. Quare] Hebr. Et. Ut non perfidè agatis] Scil. Contra uxores vestras legitimas, dimittendo illas. Hebr. Et non perfidè agetis.

17 Bonus videtur] Genuinum supplementum est verbum substantivum est. Bonum autem esse in oculis alicujus, est bonum ei videri, seu placere. Istis] Scil. qui faciunt malum. Aut] Nisi ita est, ut diximus. Ubi est deus judicii] Ubi manet iudicium Dei quo malè agentes puniat. Quasi dicant, Quia tale iudicium nusquam conspicitur, argumento id est, Deum illis qui malum faciunt, delectari.

## OBSERVAT. EX CAP. II.

1.  
Pastores  
Ecclesiæ.

EX v. 2. & seqq. usq; ad 10. Pastores ecclesiæ ad fideliter fungendum suo munere moveri debent tum metu maledictionis divinæ, ni fidelitatem illam præstiterint: tum spe benedictionis, si præstiterint: tum deniq; exemplis laudabilibus antecessorum.

2.  
Conjugiū.

EX v. 10. & seqq. usq; ad 17. Conjugium sanctè & contrahendum & colendum est. Itaq; non est contrahendum cum personis idololatriæ affectis & addictis; nec plures simul uxores ducendæ, unive aliæ superinducendæ: nec legitimè ducta, quamdiu fidem conjugialem servat, dimittenda aut deserenda. Ad quæ vitia circa conjugium fugienda moveri debemus consideratione institutionis conjugii.

EX v. 17.

Ex v. 17. Malè argumentantur qui ex dilati-  
one pœnarum divinarum inferunt, Deum im-  
probis delectari. Nam hîc locum habet illud,  
Quod differtur, non aufertur.

Guberna-  
tio Dei.

## CAPUT III.

**E**Cce ego missurus sum ange-  
lum meum, qui expediat vi-  
am ante me: & repente veniet in  
templum suum dominus quem  
vos quaeritis, & angelus federis  
quo vos delectamini, ecce ventu-  
rus est; ait Jehova exercituum.

2 Quis autem sustineat diem  
adventus ejus? aut quis consistat  
quum apparuerit? nam ipse quasi  
ignis conflatoris, & ut simegma  
fullonum est.

3 Ut sedet conflans & purgans  
argentum, ita purgabit filios Le-  
vi, defaecans eos velut aurum &  
argentum; ut sint Jehovæ, qui of-  
ferant munus justè:

4 Et suave sit Jehovæ munus  
Jehudæ & Jeruschalaimorum; ut  
dieb. priscis, & ut annis antiquis.

5 Accedam autem ad vos in ju-  
dicium; & ero testis festinantissi-  
mus contra prestigiatores & con-  
tra adulteros, & contra jurantes  
falsò: & contra oppressionem deti-  
nentes mercedem mercenarii, vi-  
duam & pupillum ac peregrinum  
pervertentes, neq; timentes mei,  
ait Jehova exercituum.

6 Quia ego Jehova non mu-  
tor; ideo vos, filii Jahakobi, non  
consumti estis.

7 Inde à diebus majorum ve-  
strorum recessistis à statutis meis  
neque observastis; revertimini ad

me, & revertar ad vos, ait Jehova  
exercituum: sed dicitis, Qua in re  
reverteremur?

8 An spoliet homo Deum, quòd  
vos spoliatis me? & dicitis, Qua in  
re spoliemus te? Decimis & obla-  
tione.

9 Maledictione estis maledi-  
cti, eò quòd vos me spoliatis gens  
ipsa tota.

10 Afferte omnes decimas in  
thesaurum, ut sit cibus in domo  
mea, & probate me jam in hoc, ait  
Jehova exercituum: si non aperu-  
ero vobis cataractas caelorum, &  
proferam vobis benedictionem,  
adeò ut non sufficiatis:

11 Et increpabo vestri causam  
exedentem, ut nò corrumpat vo-  
bis fructum terræ, neq; orbet vos  
vitis in agro, ait Jehova exerci-  
tuum.

12 Itaque beatos prædicabunt  
vos omnes gentes, quia eritis ter-  
ra oblectationis, ait Jehova exer-  
cituum.

13 Invaluerunt contra me ver-  
ba vestra, ait Jehova; sed dicitis,  
Quid obloquuti sumus contra te?

14 Dixistis, Vanum est colere  
Deum; & quod lucrum erit, quòd  
observaverimus observationem e-  
jus, & quum ambulaverimus a-  
tratè metu Jehovæ exercituum?

15 Imò nunc felices prædica-

mus superbos: & ædificantur qui faciunt improbitatem, & qui probant Deum liberantur:

16 Tunc timentes Jehovæ frequenter prædicant alter apud alterum, *dicentes*: Enim verò attendit Jehova & audit, atq; conscriptum est *in* libro commentarii coram eo pro timentibus Jehovæ & cogitantibus *de* nomine ejus.

17 Hi erunt mei, ait Jehova exercituum, quo die ego confecturus sum peculium: & clementiâ utar erga ipsos, quemadmodum quis utitur clementiâ erga filium suum qui colit ipsum.

18 Tunc conversi videbitis inter justum & improbum *quid intersit*, inter colentem Deum, & eum qui non colit ipsum.

19 Nam ecce dies ille adveniet, ardens tamquã fornax; quo erunt omnes superbi, & omnes facientes improbitatem stipula, & inflammabit eos dies ille venturus,

ait Jehova exercituum, adeò ut non derelinquat eis radicem aut ramum.

20 Exorietur autem vobis, ô timentes nominis mei, sol justitiæ cum curatione in alis ipsius; & procedetis, augefctisq; ut vituli saginarii:

21 Et conculcabitis improbos, nam futuri sunt cinis sub plantis pedum vestrorum; quo die ego effecturus sum, ait Jehova exercituum.

22 Recordamini legis Moschis servi mei; cui præcepi in Chorebo *perferenda* ad totum Jisraëlem statuta & jura.

23 Ecce ego missurus sum vobis Elijam prophetam, antequam veniat dies Jehovæ maximus & reverendus:

24 Ut convertat cor patrum ad filios, & cor filiorum ad patres ipsorum; ne veniens percutiam terram anathemate.

### ANALYSIS CAP. III.

**C**apitis hujus partes sunt octo: prima, prophetia de missione Johannis Baptistæ, quatuor primis versibus: secunda, comminatio ob scelera, v. 5. & 6: tertia, hortatio ad pœnitentiam, ac nominatim ad fidelem contributionem decimarum, à v. 7. usque ad 13: quarta, querela de sermone blasphemico, à v. 13. usq; ad 19: quinta, comminatio ad impios, v. 19: sexta, promissio ad pios, v. 20. & 21: septima, hortatio ad meditandum legem Mosi, vers. 22: octava, altera prophetia de missione Johannis Baptistæ.

#### DE PRIMA PARTE.

Prophetia de missione Johannis Baptistæ constat



stat tribus membris: quorum primo indicatur officium illius, secundo adjunctum adventus illius, tertio actio Christi paulò post illum venturi. Officiium Johannis Baptistæ indicatur illis verbis, *Angelum meum qui expediat viam ante me*, v. 1. Adjunctum adventus illius fuit adventus Christi, ibi, *Et repente veniet &c.* v. eod. Ubi Christus describitur ex adjunctis quatuor: videl. (1) officio prophetico, ibi, *In templum suum*: (2) desiderio Judæorum, ibi, *Quem vos queritis*, (3) officio sacerdotali, ibi, *Angelus federis*: (4) delectatione Judæorum, ibi, *Quo vos delectamini*. Actio Christi quæ hîc indicatur, est detectio falsæ doctrinæ atque hypocriseos sacerdotum, itemq; scribarum & Pharisæorum: quæ significatur duobus similibus, & amplificatur ex eventis tribus. Primum simile est conflatio argenti & auri, v. 2. & 3: alterum, lotio panni per simegma, v. 2. Eventum primum est, quòd hypocritæ isti & falsi doctores non poterunt sustinere redargutionem illius, versu 2. ibi, *Quis autem sustineat &c.* Secundum, quòd aliqui Deum colent legitimè, v. 3. ibi, *Ut sint Jehova &c.* Tertium, quòd cultus illorum Deo erit acceptus, v. 4. ibi, *Et suave sit Jehova &c.* Quæ cultus acceptatio illustratur exemplo simili cultus veteris, ibid.

## DE SECUNDA PARTE.

Comminatio hæc declaratur duobus modis: enumeratione scelerum & prolepsî. Scelera enumerantur quatuor, v. 5. Prolepsis est, quòd hætenus non sint consumti seu deleti, v. 6. Objectio, Si essemus ita scelerati, jam pridem essemus

consumti. Non autem hoc. Nec illud igitur. Responsio: Negatur conexum indicatione causæ cur non sint consumti, nempe voluntatis Dei immutabilis.

DE TERTIA PARTE.

Hortationis istius membra sunt quatuor: (1) amplificatio impietatis Judæorum, (2) argumentum hortationis, (3) reprehensio specialis perfidiæ in dandis decimis & oblationibus, (4) hortatio specialis ad fidelitatem circa decimas, (5) argumentum illius hortationis. Impietas Judæorum amplificatur ab adjuncta diuturnitate, *ψ. 7. ibi, In die a diebus &c.* Argumentum hortationis ad pœnitentiam seu conversionem petitur ab eventu utili, *ibi, Et revertar ad vos,* versu eodem. Perfidia circa decimas & oblationes amplificatur (1) simili spoliationis, *ψ. 8.* (2) ab eventu noxio, videl. maledictione, *ψ. 9.* Hortatio specialis ad fidelitatem circa decimas continetur *ψ. 10. ibi, Afferte omnes decimas &c.* Argumentum illius hortationis ducitur ab eventu utili, videl. largo proventu frumenti & vini, versu 10. 11. & 12. Cujus proventus promissio confirmatur juramento, *ψ. 10. ibi, Si non aperuero &c.*

DE QUARTA PARTE.

Querelæ istius membra sunt tria: quorum primo indicatur illa verbis generalibus, *ψ. 13* secundo commemoratur in specie per verba formalia, *ψ. 14. & 15.* Tertio indicatur blasphemi istius sermonis eventus, videl. querela piorum, *ψ. 16.* Hæc autem querela declaratur ex eventis tribus: quorum primum indicatur *ibi, Attendit Jehova &c.*  
*ψ. eo-*

ŷ. eodem: secundum ibi, *Hi erunt mei, &c.* ŷ. 17:  
tertium ibi, *Tunc conversi, &c.* ŷ. 18.

## DE QUINTA PARTE.

Comminatione istâ Dominus minatur impiis  
consumtionem: quam illustrat & amplificat si-  
mili duplici: uno consumtionis stipularum per  
ignem; altero eradicationis arboris, ŷ. 19.

## DE SEXTA PARTE.

Promittuntur hîc piis beneficia duo: salus per  
Christum, & deletio impiorum. Quarum illa si-  
gnificatur duobus similibus, ŷ. 20: uno ab exortu  
folis, altero à saginatione vitulorum. Deletio au-  
tem impiorum simili conculcationis cineris,  
ŷ. 21.

## DE SEPTIMA PARTE.

Hortatio ad meditandum legem Mosis con-  
firmatur ab illius authore seu legislatore, nempe  
Deo: legislatio autem illa illustratur à subjecto  
loco, ŷ. 22.

## DE OCTAVA PARTE.

Hæc prophetia de missione Johannis Bap-  
tistæ constat duobus membris: quorum priore ille  
significatur per simile, quatenus nominat Elias  
propheta, ŷ. 23: posteriore narratur efficacia  
prædicationis illius, ŷ. 24. ibi, *Ut convertat &c.*  
Quæ efficacia amplificatur ab eventu, ibi, *Ne ve-  
niens percutiam &c.*

## SCHOLIA IN CAP. III.

**E**Cce ego &c.] Hîc loquens introducit Christum. Ange-  
lum meum] Sive legatum meum, seu nuntium meum.  
Nempe Johannem Baptistam: ut exponitur Matth. 11. versu 10.  
Marc. 1. v. 2. Luc. 7. v. 27. Qui expediat] Hebr. Et expediet. Ver-

bum Hebraicum significat *Remove* è conspectu: ut patet ex *Soph. 3. vers. 15.* Unde perspicitur, hîc esse metonymiam subjecti in vocabulo viæ. Neq; enim ipsam viam è conspectu remove debuit *Johannes*: sed obstacula in via jacentia. Dominus quem vos quæritis] *Id est, Christus: cujus adventum exoptatis.* Et angelus federis] *Id est, idem Christus, qui est mediator federis inter Deum & Ecclesiam. Epexegetis, sive ὁμιλουμί.*

2 Quis autem] *Hebr. Et quis. Sustineat] Vel, Sustinere poterit. Hebr. Sustinens erit. Aut] Hebr. Et. Fullonum] Hebr. Lavantium seu lotorum. Synecdoche generis.*

3 Ut sedet &c.] *Verto, Et sedebit ut conflans & purgans argentum: & purgabit &c. Defæcans] Verto, Expurgans. Hebr. Et expurgabit. Scil. liquando. Ut sint Jehovæ] Id est, ut habeat Jehova. Hebr. Et erunt Jehovæ. Dativo casu. Qui offerant] Hebr. Accedere facientes. Munus] Speisopfer. Justè] Legitimè. Hebr. Cum justitiâ.*

4 Suave] *Hebr. Dulce. Id est, ut placeat ei. Metaphora. Priscis] Hebr. Seculi.*

5 Accedam autem ad vos in judicium] *Hæc verba opponit Dominus blasphemis istis verbis Judæorum. qui dicebant, Ubi est deus judicii? cap. præced. v. ult. In judicium] Id est, ad puniendum vos. Metonymia effecti destinati. Ero testis contra præstigiatores &c.] Id est, efficiam ut supplicio capitis afficiantur. Synecdoche generis metaphorica. Festinantissimus] Hebr. Accelerans. Falsò] Hebr. Ad falsitatem. Ac peregrinum pervertentes] Verto, à jure suo avertentes. Hebr. Et avertentes peregrinum. Trajectio. Legitimus ordo est: Et avertentes viduam & pupillum & peregrinum. Neque timentes mei] Hebr. Et qui non timent me.*

6 Ideo] *Hebr. Et.*

7 Majorum] *Hebr. Patrum. Neq; observastis] Suppleo, ea. Sed] Hebr. Et. Reverteremur] Vel, Revertemur.*

8 An spoliet &c.] *His verbis respondet Dominus ad proximè præcedentem interrogationem. Sensus est, In hac re debetis ad me reverti, ne spolietis me. Decimis] Verto, In decimis. Oblatione] Hebr. Elatione, seu elevatione. Hebopfer. Eò quòd] Hebr. Et.*

10 In thesaurum ] *Scil. meum. Hebr. In domum thesauri.*  
 Cibum ] *Hebr. Discerptum. Synecdoche speciei וְאֵלֶּיךָ מֵאֵלֶּיךָ. nam*  
 וְאֵלֶּיךָ *proprie est pecus quam discerpit fera ut edat. Si non ape-*  
*ruero &c.] Suppleo, Non ero Deus. nam est formula jurandi*  
*elliptica, cui deest consequens connexi quo continetur imprecatio.*  
*Sensus est, Aperiam vobis &c. Si non aperuero vobis catara-*  
*ctas cælorum ] Id est, Si non dedero vobis copiosam pluviam. Sic*  
*Genes. 7. v. 11. Proferam ] Vel, effundam. Nempe ex celo: id est, ex*  
*aère. Hebr. Evacuem. Benedictionem ] Id est, pluviam frugife-*  
*ram. Synecdoche generis. Adeò ut non sufficiatis ] Verto, Adeò*  
*ut non sufficiant vasa. Scil. in quibus recondatis fruges & mustum.*  
*Ellipsis nominis relati. Hebr. Usq; ad non sufficientiam.*

11 Increpabo ] *Id est, avertam. Metonymia effecti destinati*  
*metaphorica. Vestri causâ ] Hebr. Vobis. Exedentem ] Id est,*  
*insecta quæ exedunt terræ nascentia: quorum species aliquot com-*  
*memorantur Joël. 1. v. 4. Terræ ] Hebr. Humi. Neque orbet*  
*vos ] Verto, Neq; abortiat vobis. Id est, patiatur gemmarum uva-*  
*rùmve immaturarum defluvium. In significatione abortiendi re-*  
*peritur verbum וְאֵלֶּיךָ Genes. 31. v. 38.*

12 Itaq; ] *Hebr. Et. Terra oblectationis ] Id est, terra dele-*  
*ctabilis. Genitivus adjuncti.*

13 Sed ] *Hebr. Et. Obloquuti ] Hebr. Loquuti.*

14 Vanum ] *Hebr. Vanitas. Id est, res inutilis. Observati-*  
*onem ejus ] Actiones ad observandum præscriptas ab eo. Metony-*  
*mia adjuncti, itemq; genitivus adjuncti. Atraté ] Id est, atrati,*  
*seu atrâ veste induti: nempe more lugentium. Metu Jehovæ ]*  
*Verto, Propter Jehovam. Ut scil. eum reconciliemus nobis.*

15 Imò ] *Hebr. Et. Et ædificantur ] Verto, Nam & ædifi-*  
*cantur &c. Hebr. Etiam ædificantur, etiam liberantur. Ædifi-*  
*cantur ] Florent, vigent, utuntur rebus secundis. Metaphora.*  
*Probant ] Explorant, tentant. Liberantur ] Vel, eripiuntur.*  
*Scil. E periculis.*

16 Frequenter prædicant ] *Verto, Assiduè loquuntur. Scil.*  
*conquerentes de blasphemis istis sermonibus, Deumq; orantes ut*  
*blasphemos illos puniat. Alter apud alterum ] Hebr. Vir apud*  
*proximum suum. Dicentes ] Hoc supplementum alienum mihi*  
*videtur ab hoc loco: quia ex ipsis verbis quæ sequuntur, apparet,*

ea dici in persona propheta: ut qui narret effectum sermocinationis illius timentium Jehovæ. Enimverò] *Verto, Et: ut est in Hebræo. Attendit] Ad sermocinationem illam piorum. Conscriptum est in libro commentarii] Verto, Scribitur liber memorialis. Hebr. Liber memoria. Genitivus notans finem.*

17 Hi] *Hebr. Et. Peculium] Populum selectum. Metaphora.*

18 Tunc] *Hebr. Et. Conversi videbitis] Apostrophe ad blasphemos illos. Hebr. Revertimini & videbitis.*

19 Quo] *Hebr. Et. Adeò ut] Hebr. אֲשֶׁר. Aut] Hebr. Et.*

20 Exorietur autem] *Hebr. Et exorietur. Sol justitiæ] Christus: qui corda credentium refocillat justitiâ illâ quam eis acquisivit morte suâ: quæ justitia consistit in remissione peccatorum. Cum curatione] Verto, Et medela erit. Nempe medela agrarum conscientiarum è sensu peccati. Alis] Id est, radiis. Metaphora. Procedetis] Verto, Exhibitis. Scil. ad pascua. Augescetis] Crescetis. Saginarii] Educati ad saginarium. Genitivus subjecti, vel adjuncti: diverso respectu.*

21 Effecturus sum] *Scil. ista.*

22 Jisraëlem] *Populum Israëliticum.*

23 Elijam] *I. e. Johannem Baptistam, ut exponitur Matth. 11. v. 14. Indutum scil. spiritu & virtute Eliæ, ut declaratur Luc. 1. v. 17. Quo spiritu & virtute cultum Dei collapsum instauraturus est, sicut olim Elias propheta fecit. Metaphora. Maximus] Hebr. Magnus ille.*

24 Ut convertat] *Hebr. Et convertet. Ne veniens &c.] Hebr. Ne veniam & percutiam. Terram] Incolas terra.*

## OBSERVAT. EX CAP. III.

<sup>1.</sup>  
Jesum esse  
Christum.

**E**X  $\psi$ . i. notetur pars argumenti quo probatur, Jesum illum Nazarenum, Mariæ virginis filium, esse Christum: quia scil. in eo impleta est hæc prophetia de præcursores Christi. Vide Matth. 11. vers. 10. Marc. 1. vers. 2. Luc. 1. vers. 76. & cap. 7. vers. 27.

Ex cod.

Ex eod. versu notetur testimonium de officio Christi tum prophetico, tum sacerdotali. 2.  
*Christi of-  
ficium.*

Ex v. 2. & 3. Propheticum Christi officium positum fuit non tantum in prædicando Evangelio: sed etiam in redarguenda falsa doctrina & hypocrisi sacerdotum, scribarum & Phariseorum. 3.  
*Propheticum  
Christi of-  
ficium.*

Ex v. 3. & 4. Prædicatio Christi in electis fuit efficax, efficiens nimirum in eis verum Deoque placentem Dei cultum. 4.  
*Prædicatio  
Christi.*

Ex v. 5. Etsi Deus impios non è vestigio perdit quum scelera perpetrant: tamen perdet eos suo tempore. 5.  
*Guberna-  
tio Dei.*

Ex v. 6. notetur testimonium de immutabilitate voluntatis Dei. 6.  
*Voluntas  
Dei.*

Ex v. 8. & seqq. usque ad 13. Ad studium sinceritatis in cultu Dei ex ipsius præscripto obeundo moveri debemus tum metu maledictionis, nisi sinceritatem illam præstiterimus, tum spe benedictionis, si præstiterimus. 7.  
*Cultus Dei.*

Ex v. 13. 14. 17. & 18. Blasphemum est dicere, quòd vanum sit colere Deum ex præscripto verbi ejus. Quippe & veracitas ejus, & justitia, & potentia, contrarium evincunt. 8.  
*Cultus Dei.*

Ex v. 13. 15. & 18. Blasphemum etiam est improbos prædicare felices, propterea quòd in hac vita eis bene est. 9.  
*Impiorum  
felicitas.*

Ex v. 16. Quum pii audiunt blasphemos de Dei gubernatione sermones, contristantur & inter sese de illis conqueruntur. 10.  
*Pii.*

Ex eodem versu, & v. 17. Deus piorum justas querelas audit, & in librum memorialem refert: 11.  
*Pii.*

412 OBSERV. EX CAP. III. PROPH. MALACHIÆ.  
ut illos suo tempore præmiis ornet, & in pericu-  
lis tueatur.

12.  
*Pii.* Ex v. 17. Deus suo tempore pios, tanquam pe-  
culium suum, ab impiis separaturus est.
13.  
*Pii.* Ex eod. v. Deus cum piis clementer agit.
14.  
*Impii.* Ex v. 19. Deus tempus constituit quo impro-  
bos perdet.
15.  
*Beneficia  
Dei erga  
pios.* Ex v. 20. & 21. notentur beneficia Dei erga  
pios: quæ hîc indicantur tria: salus per Christum,  
regeneratio per Spiritum sanctum, & deletio  
persequutorum.
16.  
*Justitia per  
Christum  
parta.* Ex v. 20. notetur testimonium de justitia per  
Christum parta credentibus.
17.  
*Meditatio  
verbi Dei.* Ex v. 22. Sicut fidelibus Veteris Testamenti  
perpetuò meditanda fuit lex Mosis & prophetæ:  
ita fidelibus Novi Testamenti tum illa, tum in-  
primis Evangelium seu libri Apostolici.
18.  
*Jesum esse  
Christum.* Ex v. 23. & 24. rursus notetur pars argumen-  
ti quo probatur, Jesum illum Nazarenum, Mariæ  
virginis filium, esse Christum: quia scil. hæc pro-  
phetia in illo est impleta. Vide Matth. II. v. 14.  
Marc. 9. v. 11. 12. & 13. Luc. I. v. 16. & 17.
19.  
*Evangelii  
prædicatio.* Ex v. 24. Exemplo prædicationis Johannis  
Baptistæ monemur, Deum per Evangelii prædi-  
cationem efficacem esse in cordibus electorum.
20.  
*Evangelii  
prædicatio.* Ex eod. v. Qui per prædicationem Evangelii  
non adducuntur ad charitatem fraternam erga  
pios, illos manet anathema.

F I N I S.



1373

Ex. 1373

